IHS

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
8
1 MA
41

ACADEMIA HONORIS

ERECTA PER FILIVM DEI in Regno Ecclesiæ suæ, *SVPER HVMILITATEM*, Iuxta eius Gradus oppositos Gradibus Superbiæ;

PER

R. P. LVDOVICVM RICHEOME SOCIETATIS IESV Sacerdotem, Gallico idiomate conscripta;

NVPER

Per P. HENRICVM LAMORMAINI eiusdem Soc.tis Sacerdotem Latinitate donata;

Nunc autem primùm *Voluntate ac liberalitate Reuer.mi ac Ampl.mi Domini D. REINERI, Celeberrimi Mellicensis Monasterij, Ordinis S. Benedicti, Abbatis, SS. Theologiæ Doctoris, nec non S. C. M. Consiliarij, & Austriæ Inferioris Primatis,* In gratiam amatorum HVMILITATIS, Virtutis ad salutem prorsus necessariæ, Latinis Typis excusa.

VIENNAE AVSTRIAE
Apud Michaëlem Rictium ad Lubecam, M. DC. XXXV.



REVERENDISSIMO
AMPLISSIMOQVE
Domino
D. REINERO,
Celeberrimi Melicensis Monasterij, Ordinis S. BENEDICTI,
ABBATI,
SS. THEOLOGIÆ DOCTORI,
S. C. M. CONSILIARIO,
Nec non
Austriæ Inferioris Primati,
Domino ac Patrono obseruandissimo, &c.

I quis, Reuerendissime & Amplissime Præsul, me roget cur hanc HONORIS ACADEMIAM è Gallico idiomate in Latinum traductam tibi dedicem? ei duo potissimùm respondebo.

 I. Quia

I. Quia singulari te amore prosequor & obseruo. II. Quia erga Te, erga Tuum Cœnobium, & erga Sacratissimum antiquissimúmque in Ecclesia DEI Ordinem Tuum vnà cum minima Societate IESV gratus esse cupio.

Quod ad primum attinet: quidni singulari te amore complectar? Cùm in Te, tanquam in serenissimo ac purissimo aliquo cælo tot clarissimarum virtutum sidera conspicio? Quæ inter se longè suauiorem edunt harmoniam illo concentu, quem Pythagoras ex orbium cælestium conuersione, tonorumq; inter se certis interuallis, & rarâ proportione, effici dicebat. Jlla enim, quam sibi imaginabatur, harmonia à corporibus vitæ expertibus proficiscebatur: hic autem, qui ex Tuarum Virtutum suauitate, & morum peruagata fama editur, concentus, re verâ ortum habet à vita.

Quem autem non delectet, & in amorem sui non alliciat iuncta tantæ dignitati tam singularis modestia? tantæ auctoritati tam inusitata animi demissio? in tantis curis & distractionibus, quas ex administra-

tione

tione tum Tui Cœnobij; tum munerum publicorum, à FERDINANDO II. Tibi demandatorum, oriri necesse est, tam sedula diuinarum rerum cura? in congressibus & colloquijs cum paruis æquè ac magnis tam rara comitas? in dandis responsis tam eximia benignitas? in rebus, quæ iustitiam respiciunt, tam ardens cum prudentia, æquitatis studium?

Et hæc quidem, cùm omnium pateant oculis, omnes admirantur, seque felices existimant, si efficere valeant, vt causarum suarum decisiones prudenti Tuo committantur iudicio. Certò enim sibi persuadent quòd eæ, aut felicem sortientur effectum; aut, si aliter acciderit, positum esse obicem, quò minus id consequi potuerint, quod iure sibi deberi credebant.

Sunt & alia, Reuerendissime Præsul, ac Patrone obseruandissime, quæ in Tui me trahunt amorem. Ea autem sunt, quæ Te non solùm Virum bonum, modestum, pium, æquum, ac mansuetum; sed etiam Prælatum omnibus numeris absolutum ostendunt. Et si aliud non esset, abundè sufficeret

ficeret HVMILITAS RELIGIOSA INSIGNI PRVDENTIÆ CONIVNCTA. Cùm enim assiduo istius virtutis studio bonitate naturali consociato iam dudum obtinueris, *vt verißimà Tui cognitione Tibi ipsi vilescas, tamen Præsulis officio ita viriliter fungeris, vt subditi in Te agnoscentes Fraternam humilitatem, reuereantur Paternam auctoritatem.* Agnoscunt autem fraternam humilitatem dum illud Scripturæ: *rectorem te posuerunt? noli extolli; esto in illis quasi vnus ex ipsis;* non solùm verbis, sed vel maximè operibus, & viuis exemplis Te adimplere animaduertunt; reuerentur verò in Te paternam auctoritatem, dum (iuxta præceptum Gregorij magni, qui & Ecclesiæ vniuersæ, & Tuæ Religionis permagna est columna) *Te intuentur in corde seruare humilitatem; & in opere disciplinam.* Id est, ita Te apud temetipsum studere humilitati, vt quæ præceperis, minimè sinas negligi; multò autem minùs contemni; dum notant & illud eiusdem Diui Gregorij dictum à Te accuratè obseruari: *Cuncti, inquit, qui præsunt, non in se potestatem ordinis debent, sed æqualitatem pensare*

ſare conditionis, nec praeeſſe ſe hominibus gaudeant, ſed prodeſſe. Quod non ſolum de prouentu & ſuccurſu ſpirituali, ſed etiam de tẽporali (ſine quo ille non poteſt ſubſiſtere) puto poſſe intelligi. Tu autem vtrumq́; magnis incrementis adauxiſti: illum quidem ſemper & conſeruâſti & adauxiſti; hunc autem (vt alia eius taceam increm ẽta) dum nuper morum tuorum facilitate (quâ omnes in Tui trahis amorem) à Viennenſi Ciuitate obtinuiſti, quod nullus tuorum Anteceſſorum vnquam obtinere potuit. Tale autem illud eſt, vt & Religioſorum in Tuo Cœnobio augeat numerum; &, ex conſequenti, præpotentis DEI cultum & gloriam quàm maximè amplificet.

Hæ, Reuerendiſſime Præſul, innumeræq́; aliæ (quas, ne erubeſcere Te faciam, ſilentio inuoluo) Te diligendi & ACADEMIA HONORIS Te honorandi mihi cauſæ extiterunt. Extant autem & aliæ non exiguo numero, neq; parui momenti, cur vnà cum meis, erga Te, erga tuum Monaſterium, atque vniuerſam Religionem (cuius è Præſulibus vnus es longè digniſſimus) me gra-

tum exhibere debeam. Et quidem erga Te sunt quàm plurimæ: sed vnam aliarum indicē insinuasse mihi erit satis. Ea autem est, quòd in Domum nostram Professam Viennēsem tanta & tam crebra, imò quotidiana, & omnis generis Tuæ benignitatis extent monimenta, vt nec ea eloqui dicendo valeam; nec Tu ea sine rubore audire sustineas. Vnde cùm omnibus pateant, nolo inanibus verbis ea deprædicare; sed perpetuam in animis nostris eorum memoriam conseruaturos nos polliceri.

Gratum etiam hoc LEVIDENSÆ DONO (quo tamen nec pretiosius, nec conducibilius ad salutem consequendam excogitare possum) erga Tuum Cœnobium me exhibere debui; quia præter ea beneficia, quæ Tu in Domum Professam in dies confers liberali manu, à principio Societatis Viennam à FERDINANDO I. vocatæ, nunquam in Collegium Tui Cœnobij munificentiæ testimonia non extiterunt: eo præsertim, qui Te præcessit, Reuerendiss: Domino ac Patre Joanne Hoffmanno Antistite: cuius memoria vnà cum vniuersi Cœnobij, ob

benefacta

benefacta in Societatem collata, tamdiu vigebit, quamdiu rerum nostrarum historiæ immunes ab interitu vigebunt.

Porrò erga almam Tuam, dicamné Matrem, an Religionem? D. Benedicti Patriarchæ Prolem, omni benedictione, cælesti scilicet & terrestri affluentissimam, vt pro meo modulo gratus sim, plurima, sed potissimùm tria, me monent.

PRIMVM est, quòd nascentem illa, imò & adhuc intra vteri claustra hærentem minimam nostram Religionem benignissimè exceperit; adolescētem autem omni charitatis officio fouerit; & grandiusculam iam, & acceptis mediocribus incrementis, adultam ita amârit, ac promouerit, vt Matri similior, quàm Sorori posset videri.

Et hinc SECVNDVM gratitudinis argumentum mihi exoritur. Nam non contenta hominibus & domicilijs Societatis benefacere, eidem collegia erexit, & erecta amplissimis censibus annuis dotauit ac stabiliuit. Atqui, vt alia alibi ab ea Societati extructa collegia taceam, me verum dicere testabitur omnium PRIMÒ Collegium

 Duacense,

NSE, benignitate Reuerendissimi
Abbatis AQVICINCTINI à fun-
exstructum, & annuis redditibus
catum; SECVNDÒ AVDOMARENSE
Reuerendiss: Domini Abbatis S. BERTINI
ac Duacense à fundamentis erectum
docatum; TERTIÒ Atrebatense, opus
Reuerendiss: Domini Abbatis S. VEDASTI
mortali memoria dignum; QVARTÒ
BODIENSE, quod Reuerendiss: Do-
Abbas Lessiensis fundauit, & annuis
entibus stabiliuit. Et his quidem Colle-
in Gallo-Belgica Societatis Prouincia,
eralitate, Pietate, ac Charitate Tui simi-
um Ordinis Patriarchæ S. Benedicti Abba-
um erectis gaudet Societas; in Germania
autem FVLDENSI, Reuerendiss: Jllustriss: ac
Pijssimi Principis ac Domini D. BALTHASA-
RIS à DERNBACH, ibidem Abbatis munifi-
centiâ ac zelo pietatis exstructo, ac fundato.

TERTIVM caput, quod me monet, vt
grato prosequar animo Sanctissimum Tu-
um Ordinem, sunt cùm alia innumera in
vniuerso ordine, tum maximè quæ in
oculos incurrunt, Cœnobia D. Benedicto
in

in Austria, infra & supra Onasum dicatæ; nec non ea, quibus excolitur & exornatur vtraque Styria. Horum olim permagnam expertus sum benignitatem, & non minorem hodie, qui Domum Probationis Leobiensem incolunt, experiuntur; illorum autem hîc Viennæ Domus nostra quotidie prorsus singularem experitur. quâ, vt plurimùm in suarum personarum sustentatione se adiuuari sentit; ita hoc ipsum aliqua exteriore grati animi significatione profiteri gestit.

Sed fac, Reuerendissime Præsul, & Patrone modo peculiari obseruande, neque in Te quicquam singulare, ob quod peculiari aduersum Te amore ferar me reperisse (reperi autem quàm plurima, inter quæ vnum est innominatum, quia neque verbo, neq; scripto illud scio exprimere) fac nihil Te, nihil Tuam Religionem, nihil Tuos Coabbates in vtraque Austria, in vtraque Styria, nec vllibi terrarum Societati præstitisse, ob quod, gratitudinis nomine, Tibi, Tuis Confratribus, Tuæ Religioni obstricta sit. Obstrictam autem se agnoscit immortali-

bus

Dvacense, benignitate Reuerendissimi Domini Abbatis Aqvicinctini à fundamentis exstructum, & annuis redditibus locupletatum; Secvndò Avdomarense Reuerendiss: Domini Abbatis S. Bertini æquè ac Duacense à fundamentis erectum & dotatum; Tertiò Atrebatense, opus Reuerendiss: Domini Abbatis S. Vedasti immortali memoria dignum; Qvartò Malbodiense, quod Reuerendiss: Dominus Abbas Lessiensis fundauit, & annuis prouentibus stabiliuit. Et his quidem Collegijs in Gallo-Belgica Societatis Prouincia, liberalitate, Pietate, ac Charitate Tui similium Ordinis Patriarchæ S. Benedicti Abbatum erectis gaudet Societas; in Germania autem Fvldensi, Reuerendiss: Jllustriss: ac Pijssimi Principis ac Domini D. Balthasaris à Dernbach, ibidem Abbatis munificentiâ ac zelo pietatis exstructo, ac fundato.

Tertivm caput, quod me monet, vt grato prosequar animo Sanctissimum Tuum Ordinem, sunt cùm alia innumera in vniuerso ordine, tum maximè quæ in oculos incurrunt, Cœnobia D. Benedicto

in

in Auſtria, infra & ſupra Onaſum dicata; nec non ea, quibus excolitur & exornatur vtraque Styria. Horum olim permagnam expertus ſum benignitatem, & non minorem hodie, qui Domum Probationis Leobienſem incolunt, experiuntur; illorum autem hîc Viennæ Domus noſtra quotidie prorſus ſingularem experitur. quâ, vt plurimùm in ſuarum perſonarum ſuſtentatione ſe adiuuari ſentit; ita hoc ipſum aliqua exteriore grati animi ſignificatione profiteri geſtit.

Sed fac, Reuerendiſſime Præſul, & Patrone modo peculiari obſeruande, neque in Te quicquam ſingulare, ob quod peculiari aduerſum Te amore ferar me reperiſſe (reperi autem quàm plurima, inter quæ vnum eſt innominatum, quia neque verbo, neq; ſcripto illud ſcio exprimere) fac nihil Te, nihil Tuam Religionem, nihil Tuos Coabbates in vtraque Auſtria, in vtraque Styria; nec vllibi terrarum Societati præſtitiſſe: ob quod, gratitudinis nomine, Tibi, Tuis Confratribus, Tuæ Religioni obſtricta ſit. Obſtrictam autem ſe agnoſcit immortalibus

bus Beneficijs: tamen conformiter sacris litteris ACADEMIA HONORIS, quæ sex Gradibus humilitatis complectitur duodecim inuentos & descriptos à Sanctissimo Patre Benedicto, Tibi ex asse debetur: *Ad locum enim vnde exeunt flumina, reuertuntur, vt iterum fluant.* Jtaque cùm bona Patris, vt legitimo hæredi, Filio debeantur: ea Tibi defero, ea cùm vsufructu, imò & proprietate consigno.

Sed cùm boni communis immensâ ardeas siti: ita Tua esse voluisti, vt quàmplurimi, imò quantùm in Te est, omnes in hisce Prouincijs eorum participes esse possint. cùm enim Coloniæ Agrippinæ gratis (etiam oblatis non paucis exemplaribus) impressio offerretur, non iudicasti parcendum sumptibus, quò ad plures homines spiritualis istius ACADEMIÆ FRVCTûs pertingerent. Accipe igitur, Præsul Reuerendissime atq; Amplissime, munus Tibi multis nominibus debitum. Offerre vellem maius, sed non habeo: imò nec excogitare maius valeo. est enim ACADEMIA HONORIS, cuius Auctor est FILIVS DEI; cuius Subiectum

lectum est HVMILITAS, (virtus ad cælum consequendum prorsus necessaria.) FINIS autem SALVS SEMPITERNA. Vale Præsul Reuerendissime & Obseruandissime Mecœnas, & nos diligentes Te, vt facis, dilige. Viennæ Austriæ in Domo Professorum Soc: IESV Mense Decembri Anno Domini, 1635.

Tuæ Reuerendissimæ Amplissimæq;
Dominationis

Seruus in Christo

HENRICVS LAMORMAINI.

Approbatio



APPROBATIO.



GO GEORGIVS FORRO Societatis IESV per Prouinciam Austriæ Præpositus Prouincialis, factâ mihi potestate ab Admodum R. P. N. Mutio Vitellesco Præposito Generali, facultatem concedo, vt Academia Honoris, *primò per Patrem Ludouicum Richeome, eiusdem Societatis sacerdotem Gallicè edita; nunc autem per Patrem Henricum Lamormaini ex eadem Societate sacerdotem in Latinam linguam translata, & à sæpius dictæ Societatis censoribus approbata, typis mandetur. in cuius rei fidem has litteras manu nostrâ subscriptas; & officij nostri Sigillo munitas dedimus. Viennæ Austriæ die 12. Augusti. 1634.*

Georgius Forro.



INTERPRES LECTORI.

ADuerte, Lector, I. te, legendo præfationem Auctoris (quæ Sectionum titulos protinus sequitur) quid hac in ACADEMIA HONORIS agatur, optimè intellecturum. II. nil te remorari, nilq́; admirationis tibi parere debere, quòd idem diuersis in Gradibus (diuerso tamen modo) sæpius repetatur. id enim fit necessitate cōnexionis eorundem Graduum inter se. III. Cùm ab intrinseco hæc ACADEMIA HONORIS viuum spiret colorem, nullum ei quæsitum forinsecus

cus verborum fucum; ſed nudè, & ſimpliciter, clarè tamen pro virili, rem ob oculos tibi poſitam. Quod ſi arriſerit, multùm Academiæ Auctori, qui eam adinuênit; parum mihi, qui eius corticem tibi fregi; plurimùm Mecœnati, qui nucleum è cortice forcipibus argenteis tibi extraxit; totum autem debes Deo, qui nobis & VELLE ET PERFICERE DEDIT. Caue verò, ne ob iſta animum contrahas. vniuerſa enim iſthæc nomina diſſolues, ſi frequens hanc ACADÆMIAM adieris, & inde doctior, humilitatiſq; amantior in cordis tui domicilium redieris.

Vale

INDEX

INDEX SECTIONVM ACADEMIÆ HONORIS;

PRIMVS GRADVS, COGNOSCERE SVVM NIHIL.

b 10. De

21. Humi-

78. Con-

Secundum Fulcrum
ACADEMIÆ HONORIS
Supra secundum Humilitatis Gradum.
QVI EST ÆSTIMARE SE ALIIS MINORIS.

Tertium Fulcimentum

ACADEMIÆ HONORIS

Super tertium Humilitatis Gradum,

QVI EST VELLE HVMILIARI.

ACADEMIÆ HONORIS
Supra quartum Humilitatis Gradum,
QVI EST PATIENTIAM HABERE IN SVI IPSIVS HVMILIATIONIBVS.

24. De

37. Vana

Quintum Fulcimentum

ACADEMIÆ HONORIS

Super quintum Humilitatis Gradum,

QVI EST QVÆRERE VIAS, ET MODOS SE HVMILIANDI.

6. *Sectio.*

19. *Sectio.*

49. *Sectio.*

Faſtigium & Coronis.

ACADEMIÆ HONORIS

Supra ſextum Humilitatis Gradum.

QVI EST LÆTARI DVM HVMILIAMVR.

16. *Sectio.*

31. *Sectio*

Præfatio Auctoris AD REGEM.

SERENISSIME REX, instante tempore, quo & eximendus es annis pupillaribus, & asserendus in ius propriæ tutelæ, vt tuæ Monarchiæ sceptra teneas, & Gubernacula capessas: en, in testimonium animi tibi deuoti, & debiti officij humillimi & fidelissimi subditi ac clientis, Maiestati Tuæ offero structuram ACADEMIÆ SCIENTIÆ simul ac MILITIÆ comprimis nobilem, & necessariam volenti Christianissimè, id est optimè, regnare; DONVM, SERENISSIME REX, prorsus regium, & dignum intuitu & amore Tuæ Maiestatis; hoc tempore opportunum, & semper vtile coronæ Regiæ; bono autem Tuæ NOBILITATIS, & POPVLI Tibi SVBIECTI; ac denique omnibus, qui in hac scientiâ & militiâ

animo generoſo voluerint ſeſe exercere, & ſupremum honoris apicem reportare, percommodum. Pretium huius doni non à me, ſed ab excellentia dictæ ACADEMIÆ deſumitur: quæ ſingularis eſt in omnibus cauſis, quibus opus aliquod eximium poteſt commendari: in AVCTORE, in SVBIECTO, & in FINE. potens etiam ad efficiendos diſcipulos ſuos omnibus numeris abſolutos, & omni felicitate cumulatos. Eius AVCTOR non eſt Plato, aut Epaminondas, aut aliqui ſimiles his Philoſophi, aut ſtrenui aliqui inter mortales belli ductores, *ſed immortalis* DEI FILIVS, *ſapientia interminata, & Deus exercituum.* Ille ille (qui è ſummo cælorum domicilio ad nos deſcendens, paruus factus eſt in noſtra paruitate) primus axiomata cæleſtia dictauit; primus iſtius ACADEMIÆ pulcherrima exercitia incepit, inſtituit, excitauit: nec non ſapientiſſimis legibus, humilitatis prælectionibus, ac nulli prorſus ſubiectis errori notis viam Regiam oſtendit mortalibus: quâ incedentes verum honorem in æterna felicitate conſequantur. Nemo autem ante illum extitit, qui hoc ex

inſtituto

instituto præstaret, licet non pauci complura eius lineamenta, & diuina quædam exempla proposuerint. Ille est qui eam designauit, eam fundauit, suisque expensis perfecit. Ei tota laus & gloria debetur. Aliquáne vnquam ACADEMIA tam eminentem nacta est fundatorem? Aristoteles, Pythagoras, alijque Philosophi Principes litteraturæ mundanæ, imò & sapiens Salomon (qui tamen in suo capite ideas & scientias vtriusque mundi, cælestis & terrestris diuinitùs infusas, nec non librum totius naturæ supernaturalibus literis excusum gestabat) non sunt nisi elementarij, si ei comparentur. Alexandri, Cæsares, ac alij prudentiâ, & bellicâ fortitudine celebres, non nisi tyrunculi sunt ei collocati. Ita sapiens, ita potens est, vt non solùm Auditores suos clarè valeat docere, quod proponit, sed etiam ijs elargiri intellectum & capacitatem ad illud penetrandum, firmâque memoriâ retinendum. Atqui iste est, SERENISSIME REX, huius ACADEMIÆ AVCTOR.

SVBIECTVM eius Auctore dignum, *est* HVMILITAS, *& sui ipsius* SCIENTIA, quam in ea tractat: sci-

entia summè necessaria, & sine qua aliæ omnes scientiæ in homine non sunt nisi perniciosæ ignorantiæ; scientia sanctorum omnium pulcherrima, & omnium commodissima ad perueniendum in cognitionem DEI, supremæ rerum omnium CAVSÆ; nec non ad consequendum eius gratiæ fauorem. Scientiæ, quæ per antiquos Philosophos in eorum Academijs docebantur, hominum animos vento tumidos reddebant: & dum naturam rerum externarum demonstrabant, illos ipsos propriâ sui notitiâ spoliabant; eâque spoliatos, stultitiâ & vanitate crepare faciebant. Vsus tractandorum armorum, qui in Academijs militaribus addiscebatur, ad aliud sæpe non seruiebat, quàm ad animas vnà cum corporibus perdendas; hæc autem CHRISTI ACADEMIA docet suos discipulos se interius, & suum nihil cognoscere; docet ad intimam Dei notitiam peruenire, eique vnicè inniti; docet domare passiones animi, & corporis; docet item contra omnes inimicos externos, & domesticos nostræ salutis strenuè bellum gerere; docet denique contra inordinatos appetitus, contra

diabolum,

diabolum, contra mundum generosè decertare. SVBIECTVM ergo verè cæleste, & prorsus conueniens tali Magistro, potensque discipulos suos ad bonorum immortalium, honorumq; æternorum felicitatem deducere.

FINIS huius ACADEMIÆ proportionatus Auctori & subiecto eiusdem, eximius est, IMMORTALIS scilicet HONOR, quem intuetur & contemplatur humilitas; quemque secum trahit velut propriam mercedem. Est autem ea merces, quam Dei filius pro vltima compensatione promittit humilibus dicens: *qui se humiliat exaltabitur,* quamque *pauperibus spiritu*, id est humilibus dandam se recipit: quæ ipsum est regnum cælorum. Gloria certè tanta, cui par nequeat reperiri. Matth. 23. 12. Luc. 14. 11. & 18. 14. Matth. 5. 3. Luc. 6. 20.

Finis Academiarum mundanarum aliud non erat, quàm quæstus quidam & aucupium honoris terreni & transitorij. quare cùm nomine tenus tantùm esset, non magis mereb atur honor nuncupari, quàm hominis imago, homo. Horum suprema perfectio se non extendebat vltra cognitionem legum, & aliqualem notitiam ac manifestationem

ſecretorum naturæ; vel vt quis inſtrueretur ad equum calcaribus dextrè regendum, ad lanceam ritè vibrandam, ad proprij gladij ictus rectè dirigendos & Aduerſarij eludendos; ac ad ſimiles actiones faciendas: quibus poſtea cum dignitate ad ſeria belli temporalis facta, aut ad equeſtres ludos, is qui inſtruebatur, compareret. Proindeque ſcopus, in quem collimat hæc Chriſti ACADEMIA, & præmium in quod humilitas intentionis ſuæ figit oculos, infinito interuallo omnia mundi præmia ſuperat, & quicquid ab hac vita mortali poteſt expectari. Præter dictas eminentias, vna adhuc eſt, quæ multùm hanc CHRISTI ACADEMIAM ſupra quaſcunque alias extollit. Ea autem eſt, quod illæ in ſuo ſubiecto perpaucis ſint commodæ; hæc autem eſt vtilis, imò neceſſaria omnibus, qui eius finem (qui eſt immortalis honor) adamârunt. Quia nimirum neceſſe non eſt, vt omnes Chriſtiani addiſcant litteras, vel armorum vſum habeant, neque vt collimcnt ad finem, in quem huiuſmodi Academiarum exercitia tendunt, ſed neceſſarium eſt, vt omnes ſint humiles, & in hac

ſchola

ſchola exercitati, ſi ad cælum aſpirent. Quin & Reges, & mundi Potentes ad id in particulari obligati ſunt, ſi modo ſtabilitum velint ſui principatus ſtatum, qui vnâ humilitate roboratur, & in ſuo flore conſeruatur. Et quidem quò amplior eſt is ſtatus, eò profundiori & maiori velut fundamento inniti debet humilitati: quia altiores dignitates, velut eminentiores turres, & Regia palatia, conſtare debent firmioribus fundamentis, ſeruatâ altitudinis proportione; alioquin ſubitaneis ruinæ caſibus ſunt obnoxiæ. Fundamentum autem omnis excellentiæ & dignitatis Chriſtianæ vna eſt humilitas; Maxima autem omnium dignitatum temporalium eſt Regia. Vnde Regibus comprimis neceſſaria eſt humilitas, quia Reges ſunt, quia Chriſtiani, ſi ſolidis niti fundamentis, & duabus virtutibus (quibus ſceptrum ſapienter & fortiter tenetur) velint condecorari; ſapientiâ nimirum, & magnanimitate: illa ad res bono ordine digerendas, & vbi digeſſeris ſapienter imperandas; hæc autem ad executioni mandandas, vincendaſque difficultates ac obſtacula, quæ vt plurimum magno

agmine irruunt in negotia gubernationis. Salomon summus Regum, qui
3. Reg. 12. vnquam fuerunt, PRIMAM petijt nominatim; & simul cum eâ data est illi secunda, velut comes illius iudicata à
Item 3. Reg. 4. 29. Deo necessaria; DEVS, inquit scriptura, *dedit illi cor sapiens, & intelligens in tantum, vt nullus ante illum similis fuerit: dedit quoque sapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis quasi arenam, quæ est in littore maris.* id est eximiam magnanimitatem, ad obuiandum magno animo arduis & difficilibus impressionibus, atque insultibus passim occurrentibus. Porrò duæ hæ virtutes, vti & omnes aliæ, nascuntur in anima, obstetrice & nutrice humilitate. Vnde quicunque est humilis, corde suo excipit & gestat semen & velut cubile omnium nobilissimorum animæ ornamentorum; nominatim autem SAPIENTIAM & CORDIS LATITVDINEM, vt primarios huius virtutis surculos: quod DEVS singulariter ostendit in exemplo Salomonis: nam cùm ei dare vellet has duas simul cum alijs virtutes, eum disposuit, & comprimis humilem reddidit, inducens eum in profundam sui nihili notitiam. ex qua humilitate veluti

ex fonte

ex fonte hæc humilitatis verba proflu- 3. Reg.
xerunt: EGO AVTEM SVM PVER ET 3. 7.
PARVVLVS, ET IGNORANS EGRES-
SVM ET INTROITVM MEVM. Et
quidẽ super hoc humilitatis fundamentum, Deus tum sapientiam, tum alias diuinas virtutes huius Monarchæ stabiliuit. Quocirca quicunq; Rex & Monarcha populum sibi subiectũ, vt decet, gubernare, & statum suum extra omnem sinistrum aleæ iactum cõstituere cupit, in primis virtuti humilitatis operam det oportet. DEVS hanc veritatem electione duorum Regum populi sui confirmauit. Elegit enim Saulum vt PRIMVM, ita & HVMILLIMVM Hebræorum Regem, qui tunc in eo *reperiri potuit populo:* 1. Reg.
Et certè vsque adeo humilis fuit, vt cùm re- 13. 1.
gnare cœpit, dicatur à scriptura *filius fuisse vnius anni.* & statim ab eadem adiungitur, quòd duobus annis regnauit super Israel, cùm tamen viginti aut vltrà regnârit: Verùm loquitur illa, sub sacro silentio & mysterio diuino: indicans Principem istum, dum candorem animi & humilitatem conseruauit, sapienter & fortiter, vt verum Regem decet, regnasse; quamprimum autem ijs exutus

 fuit,

fuit, & superbiã induit, omnem omnino virtutem, omniaque Regiæ dignitatis ornamenta perdidisse. Vnde de eo dictum est à S. Gregorio: *Saul prælatus est per humilitatem, & reprobatus per superbiam.* Post Saulem elegit Deus Dauidem, minimum & humillimum ex tota eius familia, qui, quia perrexit colere humilitatem, meruit vt in eius posteritate regnum stabiliretur. Absolon eius filius, qui ei succedere debebat, princeps erat mirâ pulchritudine, & Regio decore, siue mentem, siue corpus, iudicio mundi, spectes, conspicuus, & numeris omnibus absolutus: sed quia humilitate, propriâ Regum virtute, carebat, & de se plus æquo præsumebat, indignus coronâ est iudicatus; & humilis Salomon in eius throno collocatus. Nostri annales referunt, quòd humillimi quique nostri Reges, fuêre maximi & celeberrimi; Clodoueus, Carolus Magnus, Sanctus Ludouicus (ex quorum postremo sanguinem & nomen trahis) nec non Henricus Magnus, Honoratissimus Dominus & Pater Tuus, insignis prorsus morum suauitate & humilitate. Quare, SERENISSIME REX, si desideras, vt eximius

In pastor. part. 2. c. 6. in 1. Reg.

eximius Rex, Regni Tui ſtatum incolumem conſeruare, & eius lilia quàm maximè florere, odoremque tum coram Deo, tum coram hominibus gratum fundere, conuenit ea te auxilia & media amplecti, quæ Magni illi Reges, tui antecesſores amplexi ſunt; nec non exercere te, & perficere in hac Academia, aſſumendo in Regni conſortem humilitatem, quæ te ſecurè cum Deo regnare, & peruenire faciat ad felicitatem & gloriam, quæ in cælo promittitur humilibus.

Exemplum filij Dei, ſupremi Regis te inducere, & præ cæteris omnibus ad amorem huius virtutis inflammare debet. nam ſupra hanc vnicam deſcendens de cælo, vt eſſet humilis, imò & humilitatis Doctor, Regnum ſuum in terra ſtabiliuit; & viciſſim per eiuſdem gradus in cælum aſcendens, Academiam hanc in Regno Eccleſiæ ſuæ erectam, mortalibus reliquit. Quo facto eos ſolidam vitæ innocenter ac quietè in hoc mundo traducendæ rationem edocuit & eâ tranſactâ, tutos ad conſcendendum gloriæ thronum, gradus demonſtrauit. Deſidero, SERENISSIME REX, Te ſecundum COR DEI, vitâ

hac

hac durante, magnum esse Regem, vt pòst in alterâ maximus sis in æternum, nec desunt rationes, quæ me sperare faciant futurum, vt hoc meum votum compleatur. Non enim absque causa, diuina te prouidentia in ea ætate coronari voluit, quæ præ se fert ideam & imaginem humilitatis: in qua etiam
3.Reg.1. 34. 39. 42. Rex Salomon, & tuus iam olim antecessor Sanctus Ludouicus agens annum duodecimum coronatus est. Ad hoc credendum, inducor, quòd intuear à Deo suauissimè Regni tui initia formari, formataque magnis incrementis adaugeri; complura item tibi in manus media dari ad discendam & exercendam virtutem suæ Academiæ. Et inter alia, quòd te nondum Regem existentem voluerit humilitate Duce, te dare initium actionibus Regalibus. Nam quatuor circiter sunt anni, quando Rex, honoratissimus Dominus & Pater Tuus (iuxta laudabilem consuetudinem & prærogatiuam Regalem) debebat pauperibus Die Iouis sancto lauare pedes, sed cùm aduersâ valetudine prohiberetur, Te, licet tantùm esses Delphinus, suo loco substituit. Quo factum est bonâ for-
tunâ

tunâ & augurio non minus fortunato; vt primum tuum opus Regale idem fuerit & humilitatis: quod reor esse signum cælestis principij, & solidi fundamenti tuæ Monarchiæ.

En SERENISSIME REX, FVNDATOR, SVBIECTVM, FINIS, ac PRETIVM ACADEMIÆ, quam muneris loco dedico, & humiliter offero Tuæ Maiestati. in ea nihil est meum præter studium & laborem, quem in annotandis & extrahendis documentis, & MAXIMIS ILLIVS EX ARCHIVIS ET BIBLIOTHECIS DOMVS DEI suscepi. Supplex oro diuinam bonitatem, & supremam sapientiam (quæ dat sceptra Regibus, & virtutem ad ea Regiâ manu & animo gestanda) vt plantet in anima tua virtutem, quam hæc Academia docet. humilitatē nimirum, Matrem & custodem omnium aliarum virtutum; Teque capacissimum faciat suarum cælestium Benedictionum, vt alterum Salomonem in Iudæa; & instar solis in Ecclesiæ suæ cælo te exaltet, ac MAGNVM REGEM, & MAGNVM LVDOVICVM (vt Sanctum Ludouicum in Gallia) efficiat, ad sapienter,

fortiter,

fortiter, & feliciter in terris regnandum inter mortales; & pòst gloriosè in cælo triumphandum inter beatos, ac immortales.

Romæ 1. Martij Anno M. DC. XIV.

Maiestatis Tuæ humillimus obedientissimus & fidelissimus seruus

LVDOVICVS RICHEOME.

PRÆFATIO

PRÆFATIO AVCTORIS
Ad Animas Deuotas.

HARÆ animæ, in hoc de virtute Humilitatis opere, quæ è sacrorum voluminum thesauris, ac seruorum Dei vitis bene laudabiliterq́ue actis annotaui; nec non quæ spatio 48. annorum (quibus in hac minima SOCIETATE IESV *indignus degi Religiosus) experimento documenta didici, ob oculos posita habetis; quibus rite apprehensis, vtilitas, excellentia ac necessitas huius Virtutis, quæ subiectum* ACADEMIÆ HONORIS *constituit, facile notari possit. Sacra Pagina, Sanctorum Vitæ, verbis, factis, figuris, omnibusq́ue, qui esse possunt, alliciendi modis exhortantur mortales, vt humilitatem (si gloriâ in cælis, pace in terris frui desiderant) sectentur; grauissimis verò interpositis minis, monent vt superbiam, tanquam fontem & originem vitiorum, confusionis, miseriæ, & omnis omnino infelicitatis, detestentur. Vnde Saluator Verissimus*

Sacræ literæ & sanctorum Vitæ inuitant ad humilitatem sectandam & superbiam detestandam.

rissimus

rißimus liber Vita, Doctor Veritatis, auctor ac conseruator omnis Virtutis, hanc ACADEMIAM *in regno Ecclesiæ suæ erexit. In qua verbis & operibus longè dilucidius, clarius, efficacius, quàm omnes simul Doctores, qui vnquam fuerunt, sunt, & adhuc futuri sunt, docet, quòd hæc pretiosa Margarita, id est, humilitas, excellentiam, pulchritudinem, & pretium omnium rerum sublunarium longo interuallo antecedat; quòd eadem sit opulentia, thesaurusq; rerum spiritualium; mater & nutrix ornamentorum, quibus anima Christiana condecoranda sit; quòd nulla virtus, nullum opus (quantumuis speciosum, & omnibus numeris absolutum filiis hominum videatur) Deo, Angelisuè sit acceptum, si virtute humilitatis destituatur. Nam opera Charitatis, virtutum Reginæ, ni sale humilitatis condita sint, præmium nullum merentur. imò desinunt esse charitatis, & incipiant esse opera vanitatis. Fides nec nasci in anima, nec conseruari, nec fructum quempiam producere potest absq; humilitate; Spes, prudentia, fortitudo, deuotio, pietas, cæteraq; virtutes fumi instar euanescunt absq; humilitate. Et quamquam vnaquaq; suos producat fructus & effectus, fides suos, temperantia suos, & ita de reliquis; tamen illis nisi adsit humilitas, quæ earum actiones suo succo, & quasi*

Nullum opus acceptum Deo sine humilitate.

& quasi saccaro condiat, & contemperet, eas insipidas esse necesse est. Quæ ego de humilitatis virtute, & superbiæ vitio in sacris litteris, in Sanctorum Historiis legi, eadem in experientiæ scholâ, non absq; aliquo tum meo, tum aliorum periculo, & labore didici, MANVQVE, vt dici solet, PALPAVI, quòd quando conscientiæ meæ conclaue intraui, rationes iniui, me in bilance iustis ponderibus adhibitis libraui, meum nihilum recognoui, animam meam coram Deo & hominibus humiliaui, aduerti à diuina prouidentia mearum cogitationum, verborum, & actionum ingressum, progressum & egressum singulari fauore dirigi; contrà verò, quando me ipsum ignoraui, cor meum exaltaui, & eleuante me superbiâ, supra me ipsum insipiens ascendi, sub me ipso, destitutum diuinâ ope, humiliatum in meâ præsumptione, afflictum in mea cogitatione, & instar CAIN VAGVM ET PROFVGVM in viis tenebrarum, ac voluntatum mearum me ipsum reperi. Et hæc quidem in me. Vidi autem alios complures beneficio humilitatis singularia à Deo obtinuisse dona, sapientiam, prudentiam, patientiam, longanimitatem, & alia è cælesti thesauro munera. quæ abundè testimonio sunt supremam illam Maiestatem, animarum humilium amicam, dulcedinis ac cælestis roris

Deus amat humiles.

B fluenta

fluenta ab vbertate domûs suæ deriuare in eos, qui in infimis habitant, & humiles sunt corde; eosq; è mille periculis eripere; eos in viam salutis dirigere; ijs arma porrigere; eos denique in prælijs animare, vt pugnent intrepidè; vincant generosè; & triumphent de proprijs hostibus, carne, mundo, ac inferno gloriosè. Quid multa? nunquam vidi humilem derelictum. Vidi ex opposito eos qui perierunt, propemodum omnes superbiâ perijsse. Vidi omnes superbos esse absq; intellectu, absq; prudentia, absq; prouidentia, cæcos, errantes, & in suis captis ac negotijs, etsi peracutè sibi videre videantur, cæcutientes: Vidi hebetes in sua subtilitate, stolidos in sua prudentia, pauperes in medijs suis diuitijs, confusione plenos in sua exaltatione: deniq; clarissimè didici, quòd vbi superbia est, ibi est seminarium vitiorum, & miseriarum omnium; hæresis, impudicitiæ, rebellionis, Apostasiæ, & omnium peccatorum; nec hoc vno in loco, aut mortalium ordine, aut conditione; sed in omni omnino statu, ac hominum societate: inter sæculares, inter Religiosos, inter doctos, & indoctos, inter armatos, & non armatos, inter nobiles & plebeios. Vno verbo vidi, quòd quotiescunq; homines secuti vanitatis vestigia, seipsos quæsiêre, in ijsdem fixi hærentes, seipsos perdidêre. Quare, notatis

Deus resistit superbis Iacob 4. 6.

Superbia causa omnis vitij & infortunij.

tatis his documentis, & quas dixi, factis experientiis sapientûm, & Deum timentium axiomati, tanquam cælesti oraculo, (quo humilitatem esse basim & lapidem fundamentalem omnis omnino virtutis Christianæ, principiumq́; nostræ felicitatis, honoris, opulentiæq́; spiritualis, in eiusq́; grad bus quærendã requiem in hac mortali vita, & per eosdem impigrè scandendo, veniendum ad gloriæ immortalitatem pronunciant) immobilis debreui adhærere. Ad hanc gloriam creatæ estis, ô animæ generosæ; in hanc itaq́; oculos mentis & corporis figite, & toto cordis affectu non minus, quàm pedibus corporis hanc terram calcantes, ad cælestem aspirate, & contendite. Contendite inquam, ad brauium supernæ vocationis, idq́; per opera, per documenta vobis à Christo in hac ACADEMIA HONORIS *relicta, per semitas, per vias humilitatis, quas idem Christus toto vitæ suæ curriculo vobis triuit & adaptauit. Ne quæratis ô animæ decoræ, in huius inanis & egentis mundi angustiis gloriam, qualem inani spiritû inflati, id est insensati homines, quærunt. Gloria vobis digna in hac confusione Babylonica, in hac vanitatis miseria, mortisq́; regione non inuenitur; sicut nec vera lætitia in hac valle lacrymarum.* Exiguum, inquit terra, vobis sum punctum, nullius magnitudinis

Humilitas primum virtutis fundamentum.

Animæ rationalis finis est gloria.

 gnitudinis



ACADEMIA HONORIS

Erecta

Per FILIVM DEI in Regno Ecclesiæ, super Humilitatem.

PRIMVS GRADVS

Cognoscere suum nihil.

Est utile de HVMILITATE scribere, ut ea cognoscatur & ametur.

SECTIO I.



Cripturo mihi de virtute HVMILITATIS matris ac nutricis aliarum virtutum Christianarum, pro meo & aliorum (quorum intererit) documento liceat hoc opus ab ASSERTIONE hac, & MAXIMA inchoare: *Longè optabilius est* HVMILITATEM *habere, quam de eius excellentia verba facere, minusq; laudabile*

Satius est humilitatem habere, quàm

de eius excellentia verba facere.

dabile de ea subtiliter disputare, si careas, quam de ea conticere, si possideas. Multi multa de hac præclara virtute disserunt, qui forsan eâ carent, eâque alios ditare volunt, cuius inopiâ ipsi laborant; alij contrà, cùm abundè possideant, de Humilitate tamen, nescio quo Humilitatis prætextu, loqui omnino renuunt: & hi quidem suo magis, quàm proximi bono student: alij mediâ & tutiore inter hos incedentes viâ, dicunt omnem HVMILITATIS fructum, neque in verbis, neque in silentio, sed in eius adeptione & fruitione consistere, crebramque de ea mentionem facere, sæpe multis prodesse, nulli vnquam posse obesse. Cùm enim quilibet hominum, sub pœna amittendæ salutis, Humilitati acquirendæ studere teneatur, eam cognoscere, & cognitam amare debet. Quare operæpretium mihi facturus esse videtur ille, qui omni eam studio inuestigârit, crebros de ea sermones instituerit, ac iuxta communicatam sibi à Deo facultatem scripserit, vt eâ cognoscatur velut res homini conuenientissima, maximéque necessaria: ac proinde dignissima, in qua omnis

Humilitas omnibus necessaria Matthæi 18. 3.

omnis Christiana mens, lingua, manus, aurisq; occupetur, ac desudet. Neque parui meriti loco reponi debet, si ita mortales edoceantur, eius vt pulchritudine ob oculos positâ eam adament, & adamatam adipisci, nobilissimisque eius ornamentis condecorari contendant; quo capaces efficiantur amicitiæ illius, qui quidem auctor, & amator est omnium virtutum, sed singulariter huius, vt omnium pulcherrimæ ac gratissimæ in oculis diuinæ suæ Maiestatis; sicut & beatorum Angelorum, iustorumque in cælo triumphantium cœtui acceptissimæ: quin & in hac vita summis infimisq; honorabilis ac proficuæ, omnibus denique desiderantibus hæreditatem cælestis patriæ prorsus necessariæ.

Christus verus Humilitatis Doctor.

SECTIO II.

HÆc nobilissima virtus ante legem gratiæ à paucissimis cognita, à nemine autem viuis, & efficacibus documentis [quanquam complura Sanctorum exempla, sacrarumque

litterarum PRONVNCIATA de ea existebant.] demonstrata & expressa erat. Quamobrem Christus æterni Patris Filius Vnigenitus, humilis è summo cælorum domicilio in has terras, eam vt mortales doceret, ijsque super eam HONORIS ACADEMIAM erigeret, descendit. In qua Academia teste D. Augustino *Patente undiq; ad eam aditu, præceptis opere expreßis, verbisq; energia plenißimis professus est.* Et quemadmodum Lucifer Deo sese opponens in Regem omnium superborum, præceptoremq; superbiæ euasit; ita ex opposito Christus Seruator æterno Patri suo per omnia obediens, constitutus est humilium Dux, & HVMILITATIS Doctor. Quod munus à Patre acceptum in omni vita diligentissimè executus est. Eius INCARNATIO summæ fuit opus Humilitatis. Nam cùm Deus esset, & factus Homo; Filius Dei, & factus filius hominis, è supremo gradu ad infimum sese demisit, & cum infimâ inter creaturas ratione præditas, eius assumptâ carne, arctissimum consanguinitatis fœdus iniuit; & cùm esset DOMINVS & REX, adeo se humiliauit, vt serui formam

Christus primus Humilitatis Doctor V. Grad. §. 2.

De S. Virginit. c. 13. in Psal 58. con. 2. Serm. 176. in fine & alibi.

Lucifer auctor & doctor superbiæ.

mam acciperet, & hanc quidem è sola fœmina, quæ, cæteris paribus, sexu & conditione inter omnes, qui ab Adamo ducunt Originem, infima est: Cæteris Paribus inquam, quia Beata Virgo ob alia priuilegia & dotes à Deo acceptas, quocunque viro, imò omnibus omnino longè fuit excellentior. Potuitne præpotentis Dei filius magis se demittere, quàm dum infinitam suam potentiam nexu incomprehensibili cum vilitate nostra copulauit? Vix dum conceptus erat in vtero Sanctissimæ Matris, cùm prodigiosa illa olim à se patranda opera ab Humilitate auspicatus est. Matrem enim suam ad B. Elizabetham cognatam visitandam incitauit. vt & ipse Dominus Ioannem seruum adhuc in vtero delitescentem, & Mater magni Principis matrem serui visitaret. Vnde Sancta Elizabetha tantam *Humilitatem* admirata, in hæc verba prorupit. *Vnde hoc mihi, vt mater Domini mei veniat ad me?* Quid existimandum est tenellum illum infantem, sed iam tunc magnum vatem sensisse, dum longè maiorem Humilitatem filij, quàm matris, ad se venientis

Philip: 2. 6.

Fœminis dignitate viro inferior: B. tamen Virgo longè excellentior.

Luc: 1. 43.

Christus humilis nascendo

& deinceps V. G. 5. s. 2. & seqq.

animaduertit? Eius vitæ progressus, finisque præclaris hisce principijs constantissimè responderunt. Nam eius NATIVITAS, eius CIRCVMCISIO, eius viuendi ratio, demum eius omnes actiones iam inde à cunabulis vsque ad crucem & sepulchrum insignes fuerunt notæ, viuæque imagines raræ admodum, imò nunquam visæ, nunquam auditæ HVMILITATIS. Neque doctrina & verba ab eius vita & actionibus discrepârunt. primæ siquidem concionis in monte ad Apostolos, primos Academiæ suæ [omnibus iam patentis] discipulos habitæ, thema est HVMILITAS, tanquam fundamentum totius ædificij spiritualis. In hac velut in marmoreo superliminari, quod in ingressu omnium in oculos incurrit, sculpsit ac cælauit insignia, spemque omnis omnino felicitatis: BEATI, inquit, PAVPERES SPIRITV, QVONIAM IPSORVM EST REGNVM CÆLORVM; pauperes spiritu, id est, inquit D. Augustinus, *humiles, qui parui sunt in oculis suis, & vt verè humiles reperiantur, diuitias quæ mortalium plurimos extollunt, ex animo ipsi despiciunt, & paupertatem fidelissimam nutricem indiuiduamque HVMILITATIS comitem deligunt.*

In doctrina.

Matth. 5. 3. Lib. 2. de serm. Domini in monte. serm. omni. sanctorum.

Nulla concipienda est æternæ beatitudinis spes absque Humilitate.

SECTIO III.

QVemadmodum in supradicta concione Christus paradisum humilibus promisit, ita alio in loco eius ingressum omnibus superbis denegat. Atque ita vnum affirmando, alterum negando, duplici argumento de huius virtutis necessitate concludit lectionem. aduocans enim paruulum, & statuens in medio suorum discipulorum, ita eos affatur: *Amen dico vobis nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Quibus verbis fertur DECRETVM, cuius tenor & sensus est, qui sequitur: *ego absq. figuris & ænigmatibus loquor, puram veritatem vobis enuncio, nisi corruptæ naturæ superbiam, quæ semper magni fieri desiderat, correxeritis, & missa ambitione & vanitate ad* HVMILITATEM *interiorem exterioremq. vosmetipsos conuerteritis, simulq. infantium simplicitatem indueritis, à beatorum domicilio, cuius porta parua & humilis est, sed regnum tantæ magnitudinis, nullis vt omnino terminis*

Matthæ. 18. 2. 3.

terminis finiatur, æternùm excludemini. Iuxta hoc filij Dei decretum, nemo mansionem in domo Dei Patris, nisi Humilitate insignitus, sibi polliceri præsumat, sit is licet Presbyter, aut Laicus, pauper aut diues, Rex aut subditus, doctor aut idiota, Dux aut miles, aut alius cuiuscunque statûs, ac professionis. Caueat ne dicat, imò ne in mentem quidem admittat: *Monachorum & Religiosorum est sectari* HVMILITATEM. nam decretum nullam omnino recipit exceptionem, generale est, omnes comprehendit cuiuscunq; sint conditionis, aut dignitatis, qui beatitudinis ianuam ingredi desiderant, humiles & paruuli sint oportet. *Non omnibus inquit S. Augustinus, datum est mortuos suscitare, aut subtiliter disputare, sed omnibus dictum est:* DISCITE A ME, QVIA MITIS SVM ET HVMILIS CORDE. *Lectio est vniuersalis, lex æterna, inquit B. Bernardus & via Humilitatis necessaria ad vitam.* Et idem alibi. HVMILITATEM & VIRGINITATEM inter se conferens, ait *Virginitas virtus est laudabilis, sed humilitas necessaria magis: illa siquidem suadetur, hæc autem præcipitur: absq; Virginitate saluari potes,*

Homil. 24. To. 10.
Matth. 11. 29.
Humilitas via ad vitam.
De ascensu Domini.
Serm. 2. super missus.

potes, absq; Humilitate non potes. vt autem mortalium mētibus indelebiliter Christus huius virtutis insculperet necessitatem, nullam vnquam aut verbo, aut exemplo, ne inter comedendum quidem inculcandi præterijt occasionem: nam cùm ab vno Pharisæorum ad manducandum esset inuitatus, & multùm solicitos coinuitatos Pharisæos circa primos accubitus eligendos videret, modestiæ & HVMILITATIS causâ, nouissimos vt eligerent, suasit, pulcherrimam, eamque bipartitam adiungens sententiam (qua gloriam humilibus promittit, superbis verò ignominiam minatur) dixit: *qui se humiliat exaltabitur, & qui se exaltat humiliabitur.* Quam sententiam sæpè sæpius repetens, mortalium cordibus ad viuum intendit imprimere: & cùm aliàs semper, tum maximè augustissimum illud conuiuium, ac sacrificium corporis & sanguinis sui pretiosi, sacrificiorum omnium priorum terminum instituturus, simul & finem suarum actionum inter mortales facturus, præstitit: dum suis Apostolis, atque adeò ipsi Iudæ proditori pedes lauans talem & tantum Humilitatis

Omni occasione à Christo docetur Humilitas

Matth. 23. 12.

Luce 14. 11. & 18. 14.

D. Thom. opusc. 57. & 59. c. 3. & 4.

actum

actum exercuit, ac docuit, qui & sufficientissimus & efficacissimus sit ad inducendos homines Christianos ad sui imitationem, modo frontem & rationem prorsus non exuerint.

Humilitas ita commendata est à Christo, ac si illa vnica virtus existeret.

SECTIO IV.

QVò perfectiores & magis idoneos suæ Academiæ reddat discipulos, pergit in suis lectionibus HVMILITATIS necessitatem demonstrare: & quidem tali ac tãtâ verborum, exemplorumque energiâ, ac si vnica illa virtus sibi cordi esset. dicit enim in vno è suis ad discipulos sermone: *Discite à me*
Matth. 11. 29. *quia mitis sum & humilis corde.* Discite à me, non scientiam, non rerum creatarum cognitionem, non motum & numerum cælorum; non eloquentiam & horum similia, circa quæ Academiæ mundi huius occupantur, sed HVMILITATEM, Lectionem meæ scholæ
Serm. 20. apprimè necessariam. *Discite, inquit S.*

Augustinus

Augustinus, non mundum fabricare, non visibilia & inuisibilia creare, non in ipso mundo mirabilia facere, & mortuos suscitare; sed quoniam mitis sum & humilis corde. Quasi dicat Christus, isthæc mea est Academia, ob quam è summo cælorum domicilio DESCENDI SERVI FORMAM ASSVMPSI, vt coràm præsens non alienâ, sed propriâ voce, exemplis, & actionibus totius vitæ meæ eam virtutem docerem, sine qua nemo meus esse discipulus; nemo vllam virtutem adipisci; nemo fruendi aliquando beatitudine veram spem concipere potest; hanc autem qui habuerit, eum omnes alias habere necesse est. Sed qua denum methodo, quo exemplo è mundo hoc discedens, & vitæ suæ mortali terminum imponens, hanc virtutem docuerit attende: nonné extremam ignominiam, nonné infame crucis supplicium, duos inter latrones, in ciuitate totius orientis principe perpetiendo? Potuitné in hominis, Angeliué cogitationem maior cadere submissio, quàm quòd Deus infinitæ celsitudinis in tantam abyssum humiliationis sese demiserit? Ex quo conijce si lubet, quæ & quanta

de verbis Domini.

Christus descendit de cælis, vt humilitatem doceret in terris.

Matth. 27. 1. Marc. 15. 16. Luc. 23. 1. Ioan. 18. 28.

quanta sit vtilitas, excellentia ac decus HVMILITATIS, quandoquidem Dei filius ab ea vitæ initium duxerit, medium per eam decurrerit, finem in eadem virtute terminârit. Quis ergo eam non amabit, non amplectetur, non commendabit, quam Christus æterna Dei sapientia (qui non nisi salutaria, non nisi optima quæque amare, & commendare potuit) summo amore prosecutus est, verboque & exemplo toto vitæ decursu commendauit? Quis ergo eam ad instar pretiosissimæ & inæstimabilis Margaritæ non auidissimè arripiat, si esse velit sapiens discipulus increatæ sapientiæ, si amator summæ bonitatis, si imitator supremi Magistri? qui è cælesti regno ad infimas terræ partes sese abiecit, vt filios suos ad sublimes gloriæ thronos (factus diuinum Humilitatis exemplar) eleuaret, ijsque iter panderet ad regnum, ex quo Lucifer cum suis complicibus, ob superbiam, æternùm depulsus est; homines verò ab eodem regno ob idem vitium, fraude dicti veteratoris Diaboli, eorum animis instillatum, exclusi erant.

humilitas primum remedium à diuina sapientia inuentum contra superbiam. Bernar. serm.

De

De nomine, essentia, & origine Humilitatis.

SECTIO V.

DEclaratâ paucis excellentiâ & necessitate HVMILITATIS, declarandum est breuiter eius nomen, & natura: nomen exile est, & ad speciem contemptibile, sed quod sub suo cortice contineat thesauros inæstimabiles. HVMILITAS est vox latina, ex diametro altitudini opposita, denotans abiectionem, quæ rebus humilibus inest. Vnde apud Poëtam MYRICÆ nuncupantur HVMILES; ingenium humile, idem quod abiectum, quod sese erigere, & ex fœce vulgi vendicare non valet. Hæc abiectio perfectè cognita, HVMILITATIS est materia. quæ, si spiritu Christi accedente, tanquam propriâ formâ animetur, & efficiatur Christiana, id est per voluntatis operationem vera virtus, omnes cæli diuitias, non secus atque magnes ferrum, ad se trahit & allicit. En HVMILITATIS Ethymologiam, eius nunc essentia & natura ex ipsa definitione cognoscenda

Cic. 5. Tuscu.

Virg. Ecc. 4. v. 2.

Humilitas quid sit, S. Thom. 2. 2. q. 161.

gnoscenda est: Sancti Doctores eam definiunt hoc modo. *Humilitas virtus est, quâ se homo cognoscit, & Deo propter se, & homini propter Deum sese voluntariè submittit: item Humilitas est virtus hominis, intellectum illustrans, ut se homo cognoscat, voluntatemq́; dirigat, ne inordinatè propriam excellentiam appetat.* Sanctus autem Bernardus omnes omnium definitiones hac vnicâ complexus est, dum ait: *Humilitas Virtus est, quâ homo verißima sui cognitione sibi ipsi vilescit.* Quasi dicat, est virtus, quæ hominem inducit ad cognitionem sui nihili; quâ cognitione vilem se & contemptibilem credat. Hæc porrò Humilitatis definitio, & aliæ quæcunque descriptiones soli *Humilitati* creaturæ conueniunt; quæ enim Deo homini competit, longè alterius ordinis est. Non enim se humiliat, quò suum nihil cognoscat, quandoquidem in eo *sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi,* atque ideo omni iure seipsum infinitè æstimat, quà Deus; at ex pura puta misericordia sese humiliauit factus homo, cumq́ue hominibus tanquam minimus, propter eorum progressum in virtutibus, & salutem eorum

S. Bern. gradu 12. Humilitatis.

rum animorum, conuersatus est: vti sectione XIII. declarabitur. *Humilitas* ergo puræ creaturæ nascitur ex sui ipsius, nihilique cognitione. Filia proinde primæ veritatis, & talis quidem filia, quæ suâ exiguitate magnum celebremque reddat possidentem, suâ debilitate fortem, suique ipsius contemptu nobilem. Quid multa congerere attinet? *Est fundamentum omnium virtutum Christianarum, decus & ornamentum fabricæ cælestis, demum apex coronisq; totius structuræ spiritualis.* Alia quæ de Humilitatis essentia hîc adferri possunt, in expositione eiusdem effectuum, ac graduum suo loco declarandorum cognoscentur.

Humilitas sobole propriæ notitiæ & primæ veritatis.

Humilitas cognoscitur & possidetur à solis filijs Dei, ab Ethnicis & prophanis minimè.

SECTIO VI.

CVM *Humilitas* sit basis radixque omnium diuinarum virtutum, & domûs Dei honorabilis filia, non nisi à iustis cognosci, & haberi potest; à prophanis autem non nisi per

 vmbram.

vmbram. Et hoc teste D. Augustino, hac in materiâ apprimè versato, qui loquens de HVMILITATE sub nomine aquæ ita ait: *Hæc aqua* HVMILITATIS *in nullis alienigenarum libris est, non in Epicureis, non in Stoicis, non in Manichæis, non in Platonicis: Via Humilitatis non venit aliundè, quàm ab eo, qui cùm existeret summus, descendens factus est infimus.* Ea propria est iustorum: Et quidem quò iustiores, quò maiores, quò sapientiores, & quò fortiores, eò meliores, & mediante HVMILITATE, per gratiam Deo coniunctiores; Econtrariò summi, sapientissimi, ac fortissimi huius mundi defectu notitiæ & intelligentiæ veræ HVMILITATIS, aliarumque virtutum, licet eas plenis buccis iactarent, expertes fuerunt: in sua iustitia coram Deo iniqui; abiecti & humiles in sua magnitudine; in sua scientia ignari; in sua fortitudine ignaui; in sua gloria inglorij. Et licet aliquid de hac virtute cognouerint, modestiæque simulacrum, ac Humilitatis vmbram habuerint, veram tamen Humilitatis virtutem nequaquam attigêre: ac proinde eorum virtutes telæ aranearum instar

In Psalm. 31.

Ethnici & Hæretici ignorant Humilitatem.

Gentiles Philosophi vmbram Humilitatis, non Humilitatem ipsam attigerunt.

instar suspensæ, absque basi, hærebant in aëre: quæ veræ non erant virtutes, sed solummodo virtutum idola: eorum facta omnia, & quantumuis præclara facinora nulli solido innitebantur fundamento; scientia & potentia, vti & gloria fundata erat supra mundi huius instabilem arenam, supra phantasma vanæ gloriæ, & splendidam vanitatem. At verò sancti per HVMILITATEM intimè cognoscentes suum nihil, quantò profundius in eius abyssum per sui ipsorum cognitionem & contemptum se proijciebant, tantò magis in scientia Dei proficiebant, Deoq; dante ijs quotidie noua virtutum incrementa, impigrè supra seipsos ascendebant: cæteri verò quò longius à cognitione sui distabant, eò etiam magis à veri Dei notitiâ recedebant. Quo fiebat vt nimiùm fidentes suæ ignorantiæ, quam scientiam iactabant, à scientia supremæ iustitiæ præcipitarentur.



De duabus speciebus Humilitatis, & superbiæ, id est interioris & exterioris.

SECTIO VII.

Sedes interioris Humilitatis est anima.

PRiusquam vlterius progrediamur, sciendum est duplicem esse Humilitatem; vna est inuisibilis & interior, quæ suam sedem fixit in anima; altera visibilis, quæ ad exteriora prorumpit; & per signa quædam oculorum, manuum, silentij, aliaque de foris apparentia in corpore conspiciendam se exhibet. Qui interiori se oculo considerat, parcit laudi propriæ, & in secreto cordis coram Deo se humiliat, est SPIRITV HVMILIS, possessorque interioris Humilitatis; qui autem geniculatur coram suo superiore, terram osculatur, oculos demittit, & similes alias exercet actiones, animi submissionem præ se ferentes, humilem se foris ostendit. Interior principem locum obtinet, potestque absque exteriori consistere. Quid nì enim reperiatur, exempli causa REX, PRINCEPS,

Exterior ostenditur gestibus & signis.

De vtraq; Hieron. Epist. ad Cellant. & Demetinam.

PRÆ-

PRÆCELLENS QVISPIAM DOMINVS, in vestibus, in actionibus, quæ in aspectum cadunt, absque vllo exterioris Humilitatis signo, qui tamen in oculis suis sit verè humilis? Dauid præpotens Rex se vermiculum terræ existimabat. *Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis.* Prælatus erat à Deo multis centenis hominum millibus, & tamen infra omnes corde & ore, HVMILITATIS beneficio se profitebatur. Regina Esther magna exteriori pompâ gestabat Regium diadema, & tamen vicissim cordis HVMILITATE omnem fastum, & vanitatem detestabatur, dicebatq; orans Deum in abscondito cordis: *Tu nosti necessitatem meam, quòd abominer signum superbiæ & gloriæ meæ, & detester illud quasi pannum menstruatæ.* Ex quibus facile est colligere, eam fuisse verè humilem, licet ijs adornata incederet, quæ, vt plurimùm, aliquam denotant superbiam. Duæ hæ species omnes omnino interioris & exterioris Humilitatis construunt gradus. de quibus posthac erit sermo.

Dauid verè humilis

Psal. 21. 7.

Esther 14 16.

Signum ostentationis meæ.

Humilitas exterior est effectus interioris, sicut & bonæ intentionis: scribæ & Pharisæi Hypocritæ.

SECTIO VIII.

HVmilitas exterior in sua origine, considerata, suisque ponderibus librata, purè putè est effectus interioris: ex qua tanquam ex radice, vt laudem mereatur, pullulare debet. secus si eueniat, non est HVMILITAS, sed hypocrisis ac superbiæ colluuies & tegumentum. Quare qui manu pectus tundit, qui vilibus indutus vestibus, corporeq; inclinato in signum submissionis incedit, si eius anima Humilitate, vt scaturigine huiusmodi actionum prædita sit, vel saltem cupida eam habendi, & per tales actus, vt dispositiones acquirendi, eius HVMILITAS bona est; sin autem hoc fundamento destituatur, corde se extollat, dictasque exteriores actiones exerceat, vt laudetur; etiamsi se vituperet, aut vituperare videatur, nihil est aliud, quàm homo laruatus, ambitionis plenus: eiusq; dicta factaque

factaque nihil aliud sunt, quàm detestanda Hypocrisis: *Oculus enim eius nequam est*, collimans ad vanitatem, carensque omni sincerâ intentione: sine qua tamen, neque HVMILITAS, neque vlla alia virtus Deo cor intuenti grata esse potest. Ille enim, vt ait D. Ambrosius: *non florem, sed radicem actionum examinat.* Radix autem actionum est cor. quod, si nequam sit, quæ opera Charitatis, Prudentiæ, sobrietatis, fortitudinis videntur, aucupia sunt auræ popularis, & opera mortis: Quid multa? Castitas aliæque virtutes absque rectâ intentione non sunt nisi speciosa folia infructiferæ arboris. Rectam quidem intentionem omnes virtutes, vt virtutes sint, requirunt; sed comprimis humilitas. quæ speciali quodam debito, omnia sua in Deum, cui vni placere studet, dirigit; superbia & superbi eò omnia sua dirigunt, vt hominum laudes aucupentur. Quales erant inter Iudæos Pharisæi, qui nihil de interiori Humilitate soliciti, eò omnia sua studia dirigebant, vt hominibus probi viderentur. Quam in rem ieiunabant, orabant, corpusque mille modis & gestibus in

Dominus autem intuetur cor 1. Reg. 16. 7.

Tom. 1. prooem. in Euang. S. Luc.



in foro & angulis platearum inclinabant, vt probitatis & sanctitatis opinionem venarentur; cum tamen *intus similes essent sepulchris dealbatis, quæ à foris hominibus parent speciosa, intus autem plena sunt oßibus mortuorum & omni spurcitiâ*, vt sæpius illis obijcit Christus. Hoc ergo grande malum, ne in nostris actionibus eueniat, oportet intus rectam esse intentionem, & cum ea exteriorem Humilitatem concordare: non secus atq; in horologio rectè disposito, index exterior radio horas indicat, prout artificioso interiorum machinarum impulsu dirigitur. Et quanquam hic mutuus consensus omnium virtutum actionibus communis sit (omnes enim in anima habent sedem) peculiari tamen ratione, in huius, de qua nobis sermo est, actibus requiritur: cùm sit ea modo quodam singulari aliarum fundamentum; nec non ambitionis, simulationis, dissimulationis, arrogantiæ, superbiæ, omnisque affectionis prauæ, hostis capitalis. HVMILITAS interior primò est quærenda tanquam fundamentum omnis humiliations, quæ exterius exercetur. Duabus hisce Humilitatis

Hypocrisis scribarum & Pharisæorum. Matth: 22 27. 28. item c. 5. v. 8.

Sepulchra dealbata. Matth. 23. 27. Luc: 11. per totum cap.

tis speciebus ex diametro opponuntur duæ species superbiæ, nempe exterioris, & interioris; illa verbis, gestibus, alijsque actionibus vanitatis se prodit; per hanc inflatus homo suiipsius opinione, inordinatè super alios apud seipsum extollitur: Exterior ab interiori omnem suam trahit malitiam, vtraque quidem malitiosa, vtraque detestanda, sed præcipuè quæ in corde sedem collocauit. Duæ species superbiæ.

Cur Humilitati collatæ cum scala Iacob gradus aßignenter.

SECTIO IX.

DOctores speciali quodam iure Humilitati assignant gradus; qui, si propriè loquendum est, aliud non sunt, quàm eius causæ, partes, effectus & signa quædam, vt sunt materiales in scala radij. Omnes autem hi gradus in fide tanquam in basi solidâ constituti, & in charitate, vt in nucleo aliquo, vniti sunt & conclusi. Hi gradus ideo nuncupantur CAVSÆ, quia iterati, instar seminis in terram proiecti producunt Humilitatem, non secus atque actus Cur gradus Humilitatis vocentur causæ.

actus temperantiæ aliarumque virtutum sæpius frequentati producunt sibi similes; PARTES quia simul constituti vniuersam de Humilitate continent doctrinam, vti plures gradus materiales efficiunt vnum ascensum, & radij vnam scalam. EFFECTVS, quia per primos aliquos actus producta Humilitas, eos producit non aliter atque temperantia producit actus temperantiæ. & eos quidem longè perfectiores, quàm fuerint ij, à quibus primò est producta; demum SIGNA, quia indicia quædam sunt & quasi testimonia præsentis HVMILITATIS, veluti folia, flores, & fructus sunt testes naturæ & vitæ arboris. Et hæc quidem nomina omnibus virtutibus sunt communia, sed soli Humilitati nomen GRADVS vt proprium attributum est: eò quòd, vt postea videbimus, per eam specialiter ad Deum ascendatur, dum secundùm Deum in propriam cognitionem descenditur. Et ita plures sancti Doctores eam comparant scalæ, quam Iacob Patriarcha in somnis, eleuatus virtute diuinâ, vidit, *cuius cacumen tangebat cælum: & Angeli,* qui sunt sanctorum piæ, & humiles animæ,

Cur partes.

Cur effectus.

Cur signa.

Scala Iacob. Gen. 28. 13.
S. Bened. Reg. 1. c. 7.
S. Bern. serm. Ecce reliquimus.

animæ, per eam ascendebant, & descendebant. quin & Deus, qui est finis & scopus humilium, *innitens scalæ loquebatur seruo suo Iacob.* Hæc sanctorum comparatio in eo sita est, quòd fulcro HVMILITATIS tanquam scalâ quapiam homo ad res cælestes, & nominatim ad Dei cognitionem ascendat; & in sui ipsius descendat: *Humiles, inquit D. Gregorius, cælum petunt, dum se inferius deyciunt; superbi autem infima petunt, dum despiciendo cæteros, attolluntur.* Et quemadmodum tum ascendendo, tum descendendo homo innixus scalis semper sub se calcat radios; ita siue per contemplationem ad Deum, aut ad res cælestes ascendat, siue per considerationem sui ipsius, aut aliarum rerum infimarum ad honorem Dei spectantium descendat, semper incedit per gradus HVMILITATIS, semper est humilis & subiectus. Humilis enim ascendens supra seipsum, & contemplans Dei magnitudinem, ac eius operum excellentiam, collatâ suâ vilitate cum infinita Dei Maiestate, habet vnde suum nihil cognoscat, & se humiliet. Alijs in virtutibus, si propriè loqui velimus, vt earum

Humilis descendendo ascendit, & superbus, ascendendo descendit.

Lib. 32. Mor. c. 3.

earum perfectionis apicem attingat homo, semper ei ascendendum est, vt patet in charitate, in prudentia, & in alijs omnibus, in quibus, si descendat, longè à scopo aberrauit; at verò in humilitate, & ascendendo, & descendendo semper capit Humilitatis incremẽtum. Quare vti materiales gradus ascendentem & descendentem per eos; iuuant, eiusque pedibus semper subsunt, ita omnino mystici Humilitatis gradus, & ascendendo & descendendo in exercitijs perfectionis nos sustentant, efficiuntque, vt per eos ascendentes & descendentes simus ipsi gradus, id est subiecti & Humiles. Atqui hæc est causa, cur Humilitati gradus assignentur, quanquam etiam subinde alijs virtutibus ex aliquo alio respectu videamus assignari.

De gradibus Humilitatis iuxta Sanctam Benedictum, S. Anselmum, S. Thomam, & alios Doctores.

SECTIO X.

HI gradus per diuersos Doctores diuersimodè quidem assignantur, sed

sed qui per diuersas vias tendant ad eundem veritatis scopum. Iuxta S. Benedictum, & post eum, Sanctos, Bernardum & Thomam, duodecim ponuntur. I. est corde & corpore semper Humilitatem ostendere, defixis in terram oculis. II. pauca & bona loqui, idque voce submissâ. III. non esse facilem & promptum ad risum. IV. tacere vsquedum interrogeris. V. seruare quod iubet communis Monasterij regula. VI. credere & pronunciare se omnibus viliorem. VII. ad omnia se indignum & inutilem confiteri & credere. VIII. confiteri sua peccata. IX. mandante obedientiâ in duris & asperis patientiam habere. X. vi eiusdem obedientiæ se subdere maiori. XI. non delectari propriâ voluntate. XII. Deum timere, & meminisse omnium quæ præcipit.

S. Bened. in Reg. de Humilit. c. 7. S. Thom. 2. 2. q. ibid. art. 5. 6. S. Bern. lib. de 12. gradib. Humili.

Sanctus Anselmus septem tantùm ponit. Quorum I. est contemptibilem se cognoscere. II. de hoc dolere. III. hoc ipsum confiteri. IV. hoc idem alijs persuadere. V. patienter sustinere vt hoc dicatur. VI. vt patiatur se contemptibiliter tractari. VII. hoc ipsum amare.

Alij

Lizan. in Matth. 31. Alij tres tantùm constituunt. I. subdere se maiori, & non præferre se æquali, quod est sufficiens. II. est, subdere se æquali, nec præferre se minori, & hoc dicitur abundans. III. est, subesse minori, in quo omnis sita est iustitia. Hæ diuisiones bonæ cum sint, reprehendi nequaquam debent: continent enim modis diuersis essentiam, actus & gradus Humilitatis tam interioris, quàm exterioris.

Quò autem melius consulatur memoriæ, non erit abs re horum graduum multitudinem ad numerum SENARIUM reducere; totidem habebat gradus thronus Salomonis, per quos ad exercendam cum Maiestate iustitiam ascendebat, & per eosdem ad conuersandum cum populo sibi subiecto descendebat. Ex his autem sex gradibus omnes supradicti non aliter profluunt, atque riui ex suis scaturiginibus.

Quod nunc videndum est.



De

Sex gradus Humilitatis collati cum ascensu ad thronum Salomonis continentes omnes supra dictos.

SECTIO XI.

I. Est se paruum & quasi nihil agnoscere; Ideò etiam hic gradus primus est, quia in eo cæteri omnes fundati sunt. II. est credere se minorem alijs: hic & profundiùs sese immergit in humilitatem, & altiùs ex eadem emergit ad perfectionem. III. est velle talem ab alijs æstimari, & ex hoc humiliari; hic etiam excellentior est prioribus, transit enim ab intellectu ad voluntatem, seu à speculatione ad praxim. IV. est, ferre patienter, quòd habeatur talis, quòd humilietur; item eâdem aliorum defectus, quâ proprios, tolerare patientiâ: nec huic suum deest perfectionis incrementum, pertingit enim vsque ad experimentum bonæ voluntatis erga se, & erga alios. V. nullam prætermittere occasionem expugnandæ superbiæ, & exercendæ acquirendæque Humilitatis. Qui gradus & sublimior est in perfectione, & altior in

3. Reg. 10, 19.

Humilitate; inducit siquidem se habentem ad inuestigandos omnes modos, quibus acquiratur & possideatur Humilitas. VI. est gaudere in sui humiliatione, & conformes illi actus exercere. Hic gradus est corona obtentæ humilitatis, & trophæum deuictæ superbiæ: consummatæque perfectionis signum præfert cæteris: illa enim delectatio, illud gaudium, quod haberi solet in exercitio cuiusque virtutis nota est, & signum boni habitûs acquisiti, vti loquitur Philosophus. Quemadmodum horum quilibet est causa, pars, effectus, & signum Humilitatis, vti dictum est, ita singuli nuncupantur Humilitas, ponendo causam pro effectu, & partem pro toto. Et hoc sensu dicunt quandoque Sancti Doctores, *quòd est Humilitas cognoscere seipsum.* quod primus est Humilitatis gradus, *vel minorem se cæteris existimare*, quod notat secundum gradum, & ita de cæteris. Sex hi gradus reliquos omnes complectuntur, efficiuntque tam ascensum scalæ Iacob ad Deum: quàm thronum Salomonis sex dictis gradibus constantem, quibus ad lectum Iustitiæ & honoris ascendebat, descen-

Arist. 2. Ethic. c. 3.

descendebatque, vt populo sibi subie- Aug. lib.
cto, vt Pater filijs, assisteret. Hæc fi- 4. de
gura dictis sex gradibus Humilitatis, Trin. post
quibus numerus perfectionis designa- initium,
tur, docet nos ad Deum & apicem per- tom. 3.
fectionis huius vitæ, & post in altera ad thronum gloriæ scandere. Numerus Gen. 1.
hic in schola Mathematicorum est per- 27.
fectus, denotatque perfectionem mundi, sex dierum numero complete absoluti.

Suiipsius notitia, primus gradus Humilitatis.

SECTIO XII.

HVmilitas inchoatur per intellectum, crescit per voluntatem; perficitur autem per huius & illius actus sæpius iteratos.

Eius PRIMVS gradus est, SE COGNOSCERE; id est in animo despicere, quid habeatur, & quid desit: despicere infirmitates animæ & corporis; despicere sua peccata & defectus; breuiter videre quòd homo ex se nihil sit, & si quid habet, id totum habet ab alio.

nempe à Deo, qui omnia creauit ex nihilo, & dat quicquid boni habemus, sine quo possumus nihil, & sumus nihil. Bellè hunc gradum in anima sua collocasse docebat Dauid Rex, quando dicebat: *Substantia mea tanquam nihilum ante te.*
Psal. 38. v. 6.
Mea Substantia, puta quicquid in me optimū est; mea substantia & reliquum quod in me est, nihil est, quia venit ex nihilo, & vadit in nihilum, absque Dei assistentia & conseruatione. Item quando dicebat Psalmo 24. *Vnicus & pauper sum ego: Vide Humilitatem meum,* id est abiectionem, *meum laborem, & dimitte omnia peccata mea.* Talem etiam se reputabat Abraham, quando dicebat: *Loquar ad Dominum meum, cùm sim puluis & cinis;* id est, etsi me vt nihil recognosco, quia ex puluere & vilissimis atomis me constare recolo; præsumam tamen loqui ad Deum meum, ad omne bonum meum, ad Patrem meum, ad essentiam & bonitatem infinitam. Sancti omnes cùm exactissimi essent Humilitatis cultores, suum nihil è gradu hoc prouenicns (si tamen prouenit quod nihil est) aliorum omnium fundamentum recognouêre, & vt talem omni occasione exercuêre.
17. 19.
Gen. 18. 27.

Dei

Dei Filius in hoc gradu Humilitatis excellentißimus.

SECTIO XIII.

HVnc gradum Dei Filius quà homo (quà enim Deus essentia infinita & origo omnis omnino boni consentaneè veritati nequibat se nihili putare, quanquam alio modo etiam quà Deus factus homo, se vt dictum est, & adhuc dicetur, humiliauit) perfectissimo modo habuit. Vnde scriptura in figura loquens de Dauide, id est de IESV CHRISTO, vero Dauide, sic ait: *Dauid sedens in Cathedra sapientissimus Princeps inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni Vermiculus,* 2. Reg. 23. 8. His verbis res quidem minima tenuissimaque, sed simul profundissima Saluatoris Humilitas sub figura designatur. Quam suo sacro ore confirmans seruator, sic discipulos alloquitur: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde:* Matth. 11. 28. Quæ Humilitas inde emanabat, quòd quantò sapientior per vnionem hypostaticam cum verbo diuino, humanitas existebat, tantò altius magnitudinem essentiæ diuinæ, & exiguitatem

tem

tem nihili humani penetrabat. Clarissimè etiam videbat, quòd quà creatura, proueniret ex nihilo, & in nihilum recideret, nisi diuina essentia manum supponeret: & quòd omnia bona, omnes gratiæ, omnes thesauri absque mensura sibi dati, dona essent & fauores profecti è thesauris diuinæ liberalitatis; proinde eius anima (non secus
Cic. 2. de nat. Deor. atque astra soli cæterorum luminum fonti comparata, vel vt is, qui prima litterarum ponit Rudimenta Philoso-
Virg. 3. Æneid. pho, Nanusué cuipiam Giganti) factâ sui ipsius cum diuina Maiestate collatione, sibi nihil esse videbatur.

Quod Filius Dei etiam quà Deus se humiliarit.

SECTIO XIV.

Hoc ita se habere Diuus Paulus viuis depingit coloribus, vt vel sic mortales Christi exemplo inducat ad Humilitatem; sic enim Philip-
v. 5. penses alloquitur. *Hoc sentite in vobis, quod & in Christo IESV: qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens*

piens in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Quorum verborum si clariorem quis explicationem requirat, Diuum Gregorium homilia 19. adeat, *qui conferens exinanitionem Diuinitatis cum exaltatione Humanitatis, non veretur dicere: ita eam in Natiuitate Christi, dum è cælo in terras descendit, humiliatam, vti exaltata est Humanitas Christo ascendente in cælum.* Vnde S. Bernardus in cantica tres insignis Humilitatis refert notas: *quòd factus sit homo, quòd morti se tradidit pro genere humano, & non cuicunq; morti, sed crucis se tradiderit:* sed ipsum audiamus: *tria, inquit, præcipuè vobis intuenda commendo: non enim simplex aut modica illa exinanitio fuit, sed seipsum exinaniuit vsq; ad carnem, ad mortem, ad crucem. Quis dignè penset quanta fuerit Humilitatis, mansuetudinis, dignationis, Dominum Maiestatis carne indui, mulctari morte, turpari cruce?* Hæc Bernardus. Deus quidem qua Deus, cùm suprema sit essentia, perfectionis absque termino, & oceanus omnium bonorum infinitus, primum hunc humilitatis gradum, qui in cognitione sui nihili, & subiectione voluntatis alienæ consistit, veritati & iustitiæ confor-

Serm. 12. ad finem.

miter loquendo habere non potuit: (quo sensu D. Thomas alijque SS. Doctores ostendunt in Deo non reperiri humilitatem; imò neque in Christo, quâ Deus, sed solùm qua homo) sed tamen Deus carne humana se induens, & Maiestatem illam nullis terminis circumscriptam iungens infimæ creaturæ rationali, vehementer se humiliauit & exinaniuit: longè magis quàm Rex quispiam potentissimus, qui infimam Regni sui puellulam matrimonio sibi coniungeret. Inter hunc siquidem & illam, si non fortunæ, certè naturæ æqualitas reperitur, [ambo enim ab Adamo humani generis protoplaste descendunt] at verò inter Deum & hominem; creatorem & creaturam; finitum & infinitum nulla proportio, nulla prorsus affinitas inuenitur. Cùm ergò decretum esset Deo, suæ personæ vnire naturam rationalem creatam, & duæ tantum reperirentur, Angelica & humana; illa sublimior, hæc inferior; illâ reiectâ, hanc elegit. Quo facto, nec descendere magis, nec efficacius homini exemplum humilitatis dare potuit, quò ad se sequendum per humilitatem,

S. Thom. 2. 2. q. 161.

litatem, & amandum traheretur homo. At verò notandum, longè diuersum esse modum, quo homo se humiliat, & Deus; ille enim se humiliat non exinaniendo suam magnitudinem, quâ caret; Deus autem eâ pollet, sed solùm cognoscendo vna ex parte suum nihil, & ex altera Dei magnitudinem: & ijs cognitis, format primum humilitatis gradum.

Quod Sancti secundùm Christum iuxta communicatam sibi sanctitatis mensuram hunc humilitatis gradum participauêre.

SECTIO XV.

SAncti post Saluatorem tum homines tum Angeli, quò maiori sanctitate & scientiâ diuinâ fuêre conspicui, eò profundius hunc humilitatis gradum in cordium suorum penetralibus locauêre. In primis Beatissima Virgo dum olim hisce in terris inter mortales ageret, & nunc super Angelorum & beatorum choros in cælis exaltata, in hoc gradu fuit excellentissima: nam

Dei magnitudinem, & exiguitatem rerum creatarum Deo collatarum intimè cognoscebat; deinde Abraham, Moises, Dauid cæterique tum veteris, tum noui testamenti Dei cultores, quò magis illuminati in sui rerumque diuinarum ac humanarum cognitione, eò in suis dictis, factis, cogitatis demissiores extitêre. & hanc quidem submissionem tum Beatissima Virgo, tum alij Sancti non solùm in hac mortalitate commorantes habuerunt, sed vel maximè nunc in cælesti domicilio habent: & quidem eò maiorem, tum sancti homines, tum Angeli Beati, quò in Dei scientia excellentiores existunt. Hinc Seraphini quò magis in essentia alios superant, eò demissiùs de se sentiunt, ita & Cherubini vti secundi in dignitate, sic & in humilitate: idque iuxta DEI SVI, rerumque creatarum SCIENTIAM euenire necesse est.

De celebri illo inter veteres Philosophos dicto: NOSCE TE IPSUM.

SECTIO XVI.

GRadum, de quo hîc agimus, solidis niti principijs, vel ex eo manifestum

nifestum fit, quòd etiam Ethnici, licet virtutem ipsam ignorârint, in aliquam tamen eius cognitionem, naturæ ductum sequentes, deuenerint. Vnde sententia illa vnius è septem eorum sapientibus litteris aureis in frontispicio templi, putati Dei Apollinis scripta, visebatur: *NOSCE TEIPSVM.* γνῶθι σεαυτὸν Quæ aliud nihil sibi vult quàm quod hic gradus denotat, nempe hominem pauperem, miserum, fragilem & nihil, (si causæ superioris influxus subtrahatur) se cognoscere debere: dictorum item Philosophorum nonnullos PRONVNCIATA & MAXIMAS quasdam habuisse de vilitate, infirmitateque hominis: quibus eum VMBRAM, EXIGVVM PVLVISCVLVM, BVLLAM, INCONSTANTIS FORTVNÆ LVDIBRIVM, idque genus alia non contemnenda enunciasse. O quam felices illi, si simul diuini spiritus participes effecti fuissent! & ad cognitionem cæterorum graduum progressi fuissent! *Nota ad hunc gradum reuocari primum D. Benedicti, & septimum D. Anselmi, qui sunt ad omnia se indignum & inutilem confiteri & credere.*

Vid. Prou. 95. Chil. 1. cent. 6.

Cic. 1. Tusc.

Laer. l. 1. in Thalet.

Aluarez de par. p. 2. præconij humilitatis c. 1. De cognit. sui t. 2.

Prou. 48. Chil. 2. cent. 7.

Suiipsius

Suiipsius ignorantia primus superbiæ gradus, ex diametro oppositus primo Humilitatis.

SECTIO XVII.

QVemadmodum Humilitas ex notitia suiipsius nascitur & roboratur, ita superbia è contrario ex ignorantiâ: Homo humilis, posito ante oculos suo nihilo, nihili se facit. Et supra hanc suiipsius notitiam ponit basim primi gradûs huius pretiosissimæ margaritæ, id est Humilitatis; superbus autem ignarus suæ paupertatis, se suasque vel quas imaginatur, diuitias contemplans, vt quid illustre excellensque, admiratur. Tales olim fuêre Nabuchodonosores Reges Babylonis; tales Pharaones Ægypti; tales Philippus & Alexander Reges Græciæ. Tales Romanorum Imperatores, tales deniq; horum similes quàm plurimi. Qui, prô pudor! eò sui ipsorum ignorantiæ deuenerunt, vt, cùm miseri mortales & peccatores abominabiles (vt quotidianâ & palpabili experientiâ suæ ipsorum infirmitatis deprehendere poterant) essent,

essent, se Deos immortales existimâ-rint, talesque æstimari, ac cultu vni Deo debito, honorari voluerint. Nec Reges tantùm & Imperatores hac insa-niâ laborauêre, sed alij innumeri. Et inter Ethnicos Empedocles, qui, dum opinionem famamque diuinitatis in-ter mortales relinquere affectat, non minùs stultè, quàm superbè in vora-gines altissimi montis Ætnæ se præcipi-tauit. Nec multùm huic dissimiles fuê-re plerique antiquorum Philosopho-rum, qui etsi eò vsque superbiæ stulti-tiæque progressi non fuerunt, vt Dij haberi apertè voluerint, tamen se solos sapientes iactabant. De quibus Diuus Paulus, *dicentes se sapientes, stulti facti sunt.* Plurimi Iudæorum hac etiã labe asper-si fuerunt, inter quos primi numerandi sunt scribæ & Pharisæi; quos non pauci hoc ipso nostro æuo cæci cæcos Duces sequuntur. Et quidem ex ijs, qui Chri-stiano nomine gaudere volunt, qui ina-ni vento propriæ æstimationis inflati, fumos venantur; passionum suarum impetum brutorum instar sequuntur: scientiam, diuitias aliaque Dei dona, vt propriâ virtute comparata iactitant; seque

Horat. in art.

1. Rom. 12.

seque his ornatos permagni faciunt, & cùm coram Deo æquissimo rerum æstimatore nihil sint. Persimiles mihi videntur illis, quos D. Ioannes in Apoca-
3. 17. lypsi hisce verbis castigat: *dicis: diues sum, & locupletatus, & nullius egens, & nescis quia tu es miser, & miserabilis & pauper, & cæcus, & nudus.* Concludens ergo hanc sectionem dico, quòd vti notitia suiipsius extruit primum humilitatis gradum, ita ex opposito ignorantia primum superbiæ.

Cur Deus magis cæteris peccatis oderit superbiam, amet autem supra omnes alias virtutes Humilitatem.

SECTIO XVIII.

EX doctrina superiore sectione allata discimus cur Deo tantopere abominabilis sit superbus ac eius superbia, humilitas autem eidem gratissima. Eius rei tres reperio causas, omnes ex eiusdem superbiæ vitio promanantes. PRIMA est quòd superbia sit primus hominis error Deo supremæ Veritati ex diametro oppositus. cùm enim Deus omni in re, nominatim autem

tem in creaturâ ratione præditâ, tanquam suæ imaginis speculo amet veritatem, nequit non odisse superbiam, quæ Deo eiusque legi sese opponit. SECVNDA est, quia directè superbia oppugnat Dei bonitatem, sapientiam, & potentiam. quemadmodum enim diuina bonitas & sapientia origo sunt omnis boni, rectique ordinis in rebus agendis, ita superbia est initium & radix omnis mali & confusionis. quæ eò deuenit impudentiæ, vt nec supremæ parcat potentiæ: eam siquidem eiusque leges, si vires suppeterent, hodie è regno exterminatam vellet. TERTIA est, quia longissimè remouet hominem à sui, Deique cognitione; nec non efficit vt omnium collatorum beneficiorum obliuiscatur, dicatque cum illis ingratissimis cuculis: *labia nostra à nobis sunt, quis noster dominus est?* item cum alijs non minus arrogantibus: *Manus nostra fecit hæc omnia, & non dominus.* Et hæc communis fuit cæcitas omnium infidelium Regum, Ducum, Philosophorum, & quotquot in mundo supra cæteros mortales eminere visi sunt: vt quicquid optimum inter sua, siue id esset

Psal. 11. 5.

Deut. 32. 27.

auctoritas, siue prudentia, siue fortitudo, siue quippiam aliud [exceptis fortunæ bonis, quæ bonis animi longè sunt inferiora] à Deo se accepisse & possidere negarent. Huius erroneæ doctrinæ locupletissimus testis est Marcus
Lib. 3. Tullius Cicero, qui libro de natura Deorum dicit: *Viridaria, Vinem, oliueta & his similia Dijs immortalibus accepta referri possunt; Virtutem autem nemo vnquam acceptam Deo retulit.* An non hoc est quod vile & abiectum deprehenditur, Deo, quod autem excellens & immortale, sibi vt proprijs viribus acquisitum attribuêre? An non hoc est Cain
Gen. 4. 3. Patrem improborum imitari, qui pessimos quosque terræ fructus Deo offerebat, meliores autem, id est cor, & propriam voluntatem mordicus retinebat? An non, vt verbo dicam, hoc est per summam iniuriam sacrilegiumque debitum Deo honorem eripere velle? Quis enim ita hebes est, qui non intelligat, quod vnde corpus suum & animam habet, inde etiam vel per naturæ sequelam, vel per specialem diuinæ bonitatis gratiam talenta huius, & illius possideat? Agedum, Deoné istis

peccatis

peccatis iustissima præbetur causa hominem superbum odio prosequendi? Vt enim potens aduersarius naturaliter quem sibi sentit contrarium conatur lædere, & è medio tollere; magnus ignis aquam, fortis medicina infirmitatem, Achilles Hectorem profligare conatur, ita Deus summè iustus, summè bonus, summè sapiens, & potens, continuè superbum, vt sibi maximè contrarium odio prosequitur; contrà, humilem vt veritatis amatorem, vt suorum operum laudatorem, legumq; obseruatorem accuratissimum amat fouetque. Paucis id declarat scriptura dum ait: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Omnibus quidem peccatoribus resistit Deus, sed Beatus Petrus solùm superborum meminit: quia eorum studia & actiones omnes eò tendunt, vt Deum exuant Maiestate, & omnem omnino virtutem ex hominum cordibus euellant. Plurimi actus lege alioquin diuinâ prohibiti, possunt nonnunquam à Deo permitti, imò & sanctissimè, iustâ interueniente causâ, iuberi: exempli causâ, ob peccata, alienorum bonorũ direptio, homicidium,

1. Petri 5. 5. Iacob 4. 6.

Deus specialiter odit superbiam.

& his similes; at verò mendacium Diaboli inuentum, & superbiam mendacij primogenitam, nunquam Deus iubet, quia nullâ vnquam interueniente circumstantiâ, digna laude esse possunt.

Superbia primò omnium punita in cælis, in terris persuadet homicidium: vnde seuerè castigatur.

SECTIO XIX.

Isa. 14. 12. Dan. 10. 13. Iudæ 9. Apocali. 12. 7. HOc peccatum Deus odit semper, & amare nunquam potest; in cælis primò puniuit, & seuerè punit assiduè in terris. Ob hoc è cælis Luciferum, non obstante quod principium esset omnium suorum operum, cum omnibus complicibus angelis infra omnes abyssos præcipitauit. De eo loquitur Saluator Ioannis 8. v. 44. *Ille homicida est ab initio, & in veritate non stetit.* Ideo hoc ei euênit, quia à se repellens veritatem, captus est vanâ consideratione suarum perfectionum. Dum enim eas à seipso, & non à liberali Dei manu habere credidit, euanuit in seipso: ingratus & immemor Dei beneficiorum in-

se-

se collatorum, statim à principio SVI, SVORVMQVE COMPLICIVM SPIRITVVM, malo suo exemplo, & suggestione pessimâ illis extitit homicida. Idem ille humani generis Protoplastis Adamo & Euæ causa mortis extitit: dum ijs spiritum sui ipsorum ignorantiæ, opinionem inanis excellentiæ & diuinitatis; nec non auram pestilentis mendacij, superbiæ, & mortis ipsius insufflauit, notamque detestabilis sui vitij impressit. Vnde factus est Rex omnium superborum, causaque omnium malorum. Quam superbiã Deus omnibus sæculis in hominibus magnis & paruis, vt seuerissimis iudicijs, ita grauissimis supplicijs puniuit. Quo facto ostendit quantoperè illud peccatum oderit, & quàm acerbis tormentis in altero mundo (vbi in MALIS soli iustitiæ, remotâ misericordiâ, locus est) castigaturus sit. Patet id in Saulo primo Hebræorum Rege, qui cùm ad regnum per humilitatem esset euectus, ipse eo, eiusque posteri, ob intolerandam illius superbiam perpetuò priuati sunt. Patet & in Nabuchodonosore Rege, qui dum de magnitudine & pulchritu-

1. Reg. 13. 11.
S.Greg. in past. p. 2. c. 6. & lib. 26. moral. c. 19.

chritudine Ciuitatis Babylon à se in domum Regni exædificatæ, gloriatur, & nidum suum in cælo collocat, non solùm regno priuatus est, sed & *ab hominibus eiectus, & cum bestiis & feris habitauit donec recognouit, quòd dominetur excelsus in regno hominum, & cuicunq; voluerit det illud.*

Dan. 4. 28. 30.

Neç minus id patet in Core, Dathan, & Abiron, quos, quòd concitassent rebellionem contra Moysem superiorem suum, ac gubernatorem Vniuersi populi Israel, *dirupta terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum deuorauit cum tabernaculis suis, & vniuersa substantia eorum, descenderuntq; viui in infernum.* Quorum casus etiam hodie terrori & exemplo esse debet ijs, qui elati superbiâ contra Deum, eiusq; seruos insurgunt.

Num. 16. 35. 32. & 26. 10. Deut. 11. 6. Psal. 105. 17. Eccl. 45. 22.

Aman primus inter Principes in Palatio Regis Assueri, dum inflatus vanâ (quæ vt plurimùm Aulicos ventilare solet) aurâ, arrogans & crudelis vniuersam Iudæorum nationem in 127. Prouincijs regni Assueri dispersam, vt de vno Mardochæo, qui sibi genu non flectebat, vindicaret, vno die morti tradere parat: Dei, omnis superbiæ osoris, vltricem manum expertus est. humiliare siquidem se coram eo, ei geniculari, eum hono-

Esther. 3. 2. 2.

honorare, quem ignominiosissime morti cum tota sua gente destinârat, coactus est. Et tandem patibulum 50. cubitis altum, quod Mardochæo parârat, conscendere debuit, in eoque ipse totâ ciuitate ad spectandum concurrente, sicut & decem eius filij, ignominiosissimè, qui omnes antea contemnebat, mortuus est. Tanto cælites odio hoc peccatum prosequuntur! Qualiter quæso iustissimus iudex suos capitales hostes in vltimo illo seuerissimoque iudicij, & iræ die puniet, quando superbiam in hac vita, vbi & mansuetudo & misericordia locum habent, ita castigat?

Esther 7. 10. & 9. 13.

Veritas vbiq; dominatur: humilitas est hominis veritas, eiusq; virtutum basis.

SECTIO XX.

VT intelligatur quantopere homini expediat, vt pulsis tenebris, se quid sit, & quid non sit, cognoscat (quò humilitatem & veritatem assequatur) oportet in Deo & in homine

 suis

suis momentis veritatis excellentiam perpendere. Veritas omni in re reperitur, eique tanquam columnæ cuipiam omnia innituntur. Deus est summa potentia, summa bonitas, summa sapientia. sed hæc omnia attributa vni innituntur veritati. quæ si Deo deesset, neque omnipotens, neque summè sapiens, neque summè bonus esset: hæc enim, sicut & alia omnia attributa ea sola de causâ ei insunt, quia Deus verus est. Ad cuius summæ veritatis similitudinem homo, qui est imago Dei, quicquid boni, quicquid virtutis habet pro basi illius habet hominis veritatem. Quæ aliud non est quàm sui ipsius cognitio. ex qua tanquam ex radice pullulant omnes omnino aliæ actiones spirituales. Et quemadmodum actiones vitæ corporalis interius incipiunt, & pòst foris patent (in quo contrariæ sunt actionibus, quæ ab arte eliciuntur) ita prorsus actiones vitæ spiritualis inchoantur in anima, & pòst sub aspectum cadunt: Notitia, quam habet homo alijs de rebus, exempli causa de cælo, de terra, cæterisque creaturis, est veritas quædam artificialis,

lis, & homini extranea, quæ tamen contemnenda non est, quia bona; at verò quam de se, suoque nihilo habet notitiam, ea propria est, & ex visceribus causæ (vt illi loquuntur) desumpta. quæ est lumen, quo se videt homo; regula quâ se mensurat, omnibusque alijs virtutibus, si virtutes sint, vt fundamentum subiacet.

Humilitas in primo suo gradu est origo & fundamentum sapientiæ, cæterarumq; virtutum.

SECTIO XXI.

VBI, inquit Sapiens, *est humilitas, ibi, & sapientia*; ex vna siquidem veritate, & clarâ suiipsius notitia profluit vera sapientia, & cæteræ virtutes, quibus anima hominis perficitur: vnde vt fundamentum ijs substernitur. Quod fundamentum eò est solidius & aptius ad sustinendam illustrem totius ædificij spiritualis structuram, quò suiipsius notitia est clarior; quantò enim profundius homo in suiipsius veritatem descendit, tantò altiori

Prou. 11. v. 2.

 tiori

tiori gradu in creatoris sui notitiâ constituitur. Ex quo quid Deo, quid sibi, quid proximo debeat, [vnde prudentia, iustitia, fortitudo, temperantia, cæteraque pulcherrima animæ ornamenta oriuntur] clarissimè cognoscit. Quò fit, vt diffidens sibi ipsi, & Deo fidens, in se infirmus, & fortis in Deo, audeat cum beato Iob iacente in sterquilinio vlceribus pleno dicere: *pone me*
17. 3. *iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me:*
Philip. 4. 13. item cum Apostolo Paulo: *Omnia possum in eo, qui me confortat; item libenter gloriabor*
2. Corint. 12. 10. *in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi*, item, *cùm infirmor, tunc fortis sum*; id est, dum infirmitatem meam cognosco. Sunt enim non pauci infirmi absq; fortitudine. & hoc defectu tantùm propriæ cognitionis: qui infirmi, dum in numero fortium se esse credunt, premente infirmitate, se deceptos inueniunt. D. autem Paulus se infirmum cognoscens, vni Deo fidebat, qui adiuuat humiles. Homo ergo, perspectâ suâ infirmitate, se humiliat, Deumque præpotentem assiduè inuocans sapiens piusque efficitur; dumque eius amore libenter aduersa sustinet, patientiâ imbuitur,

buitur, & dum Deo innititur, fortis redditur; & tandem dum se contemnit, Christianam modestiam addiscit. Quare quisquis hunc primum in anima sua per claram sui ipsius notitiam posuit gradum, is simul primum veræ sapientiæ omnisque boni spiritualis solidum posuit fundamentum. supra quod si porrò pergat ædificare, face diuinæ, ac propriæ veritatis prælucente, breui pertinget ad apicem omnis Christianæ perfectionis, & tandem præparatam filijs Dei gloriam consequetur.

Humilitas generalis causa omnium virtutum.

SECTIO XXII.

NOn speciosum magis hunc titulum, quàm verum esse discursus hac sectione faciendus demonstrabit. Quod affirmo, est Humilitatem esse matrem & causam vniuersalem omnium virtutum, quin imò & mundum hunc materialem & visibilem, quatuor elementa, & cælum ipsum spirituali quadam similitudine repræsentare

dico. vt enim hæc omnia ad generatio-
nem creaturarum & mixtorum suo mo-
do concurrunt, ita Humilitas ad pro-
ductionem omnium virtutum. I. In
hoc elementum IGNIS repræsentat,
quòd lumine propriæ cognitionis ocu-
los intellectûs aperiat, quos claudit su-
perbia. Ita inquit Dauid Psal: 118.
v. 71. *Bonum mihi, quia humiliasti me: vt discam
iustificationes tuas:* id est reserasti mihi in-
tellectum, quo posthac meum nihil co-
gnoscerem, quod hactenus ignorabam.
Habet etiam ignis in se lumen & vim
calefaciendi, quo calore & imperfectio-
nes consumuntur, & virtutes puræ &
Lact. lib. putæ redduntur. adde quòd vti ignis
8. c. 20. propriè est in vsum hominum (bestiæ
enim ex sua natura ignem non requi-
runt) ita humilitas in vsum iustorum,
quandoquidem peruersi, qui bestijs
comparantur, hunc ignem non partici-
pant. II. In hoc ræpræsentat AËREM,
quòd quemadmodum elementum hoc
prorsus est necessarium vitæ, & respira-
tioni omnium animalium, ita humili-
tas ijs, qui volunt vitam veram ducere;
Et vti animantes subtractione necessa-
rij aëris suffocantur, & intereunt, ita
virtutes

virtutes non recreatæ Humilitatis aëre, emarcescunt, & iam non virtutes, sed virtutum idola tantummodo sunt. Patet hoc in fide, quæ non comitatâ humilitate degenerat in errorem; in spe, quæ in præsumptionem, in charitate, quæ in ostentationem. Breuiter in omnibus virtutibus, quæ quantumuis ex se illustres & excellentes sint, si aëre huius virtutis destituantur, auras vitales haurire nequaquam possunt. Iam si cum AQVA TERRAQVE conferas, inuenies quòd pulcherrima animorum ornamenta producat, & producta instar solicitæ Matris enutriat, & conseruet, non aliter atque AQVA pisces, & TERRA animantes; Item quemadmodum mare & flumina, non sunt, Verbi gratia, Balena, Delphinus aut alij quicunq; pisces, verum eos ex se progenerant, & progeneratos suo vndiq; complexu ambiunt, & quasi obiectis lateribus protegunt, protectosque necessario alimento sustentant. TERRA item nec est Leo, nec arbor, nec aliquod aliud ex mixtis, sed ijs vitæ ducendæ præbet necessaria; ita Humilitas est virtus, in qua tanquam in Oceano quodam, &

terra

terra spirituali ope diuinâ progignuntur & educuntur nobilissima animæ decora, quæ non sunt ipsa humilitas, sed ex ea velut è materia formata, educta & conseruata. Vnde quemadmodum Leones, Elephantes in terra, Delphini, Balenæ, Husones nascuntur in Oceano, in iisque tanquam in proprijs & naturalibus locis esse delectantur; ita Fides, Spes, Charitas, Prudentia, Temperantia, Fortitudo, Iustitia, cæteræque virtutes vna ex Humilitate procreantur, ab eademque fouentur. Porrò vti terra habetur, & est cæli centrum, & basis totius Vniuersi, circa quod gyratur cælum; ita Humilitas est centrum, & rationabile fundamentum animæ, circa quod quasi fixis semper in illud oculis virtutes cælestes mouentur. Tandem non incongruè assimilatur cælo: Vt enim cælum Dei sedes est, ita & humilitas; idque Domino ipso affirmante: *supra quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem & trementē sermones meos?*
Isa. 66. 9. 2.
Nec in hoc terminatur similitudo, quādo, vti in cælo astra & lumina, ita & in anima sede humilitatis, sua reperiuntur lumina, nimirum Fides, Spes, Chari-

tas, &c. quin & septem dona Spiritus sancti: Sapientia, Intellectus, Consilium, Fortitudo, Scientia, Pietas, & Timor Domini; quæ in anima non aliter se habent, atque septem Planetæ. Reliqua verò animæ ornamenta, quæ hic enumerare supersedeo, sunt veluti reliqua sidera in firmamento. Est ergo, vt concludamus, Humilitas, vt ait D. Bernardus: *Virtutum quoddam bonum ac stabile fundamentum*, quod fundamentum *si nutet, vt idem ait, virtutum aggregatio non nisi ruina est.* D. autem Gregorius sic ait: *Humilitas est omnium Magistra, materq; virtutum, honorabilis Angelis & hominibus.* Deberent non immeritò hæ considerationes animas, *quæ sapiunt quæ sursum sunt, & non quæ super terram*, efficaciter inflammare ad tam pretiosæ, tam amabilis, tam vtilis virtutis pulchritudinem consequendam.

Serm. 61. inter paruos tom. 1. & l. 5. de consid. c. 14. sub finem.

Lib. 23. moral. c. 7. in Iob. 23.

Superbia radix omnis stultitiæ, & origo omnis peccati.

SECTIO XXIII.

SI Humilitas est origo sapientiæ, vti probatum est, & consequenter cæterarum

terarum virtutum, rectè inferes superbiam ei contrariam esse radicem stultitiæ, (quæ generale quoddam est animæ vitium) & seminarium omnis omnino mali, quòd indicat scriptura dicens:
Ecclesiast. 10. 15. *Initium omnis peccati superbia.* Vt enim is, qui seipsum perfectè nouit, & humilitatem sectatur iuxta primi gradus normam, interiorem animi propriæque notitiæ facem præfert, quâ omnia sua opera illuminata supra candelabrum ponit, vt luceant omnibus, ita etiam contrà superbus, qui seipsum ignorat, qui in suiipsius tenebris delitescit, qui obscuratum habet intellectum, errat *in omnibus viis suis*, & eò ignorantiæ & stultitiæ deuenit, vt inter eum & bestiam perexiguum reperiatur discrimen.

Ignorantia suiipsius perniciosa, vituperatione digna, & propriè est stultitia.

SECTIO XXIV.

NEmo dedecore aut vituperio iure affici potest, ex eo quod rerum extra se positarum, aut ad se non spectan-

ſpectantium ſcientiam non habeat. Vt eſſet exempli cauſa aliquis belli Dux, qui cantare, & in inſtrumentis muſicis ludere, medicus, qui arma tractare; Agricola qui ad inſtar Rhetoris perorare; Religioſus qui iuxta artem nauticam nauim gubernare ignoraret. Tali enim in caſu poteſt quilibet inſcitiam ſuam laudabiliter, vel ſaltem abſque iuſta vituperatione, palàm profiteri. Ita fecit Gelon Rex Siciliæ, militari ſcientiâ vix vlli ſecundus: qui in quodam conuiuio rogatus, ſuo vt ordine, prout alij conuiuæ, manu, iuxta artem Muſicam, lyram pulſaret, ſibi aliquid moræ, quâ ſe diſponeret dari petijt; quâ impetratâ, & conuiuio fine impoſito, equum conſcendit, quem, cùm omnibus, qui aderant ſpectantibus varijs modis iuxta peritiſſimi cuiuſque equitis ſcientiam gyraſſet, ſibi quòd lyram non pulſaſſet, quodque alterius artem, ſuâ contentus, non didiciſſet, ignoſci rogauit. Quo facto duo docuit: I. ignorantiam ſcitè tractandi chelim, quòd nullo modo ad ſuam vocationem ſpectaret, ſibi vitio verti non debere. II. ignorare id, quod ex

Ignorare id, quod

teneris scire, perniciosum & turpe est.

ex officio quis tenetur scire, perniciosissimum & turpissimum esse. Vnde qui medicinam, ignarus infirmitatum corporis humani, artis suæ obiecti, & remediorum, quæ aduersus eas exhibenda sunt, profitetur; qui agriculturam nesciens, agros colere, neque suis temporibus seminare; Religiosus non callens regulam sui instituti; Dux, neque vsum armorum, neque scientiam rei militaris habens; ignorantiæ crassissimæ contra suam professionem, & mendacij perniciosissimi conuincuntur: ideoq; digni (quod hominibus falsis promissis & inani doctrinâ imponant) qui & ignominiâ insigni, & pœnâ tali fraudi debitâ afficiantur. Agedum, quid est, quòd homini, vbi ad statum intelligentiæ peruênit, magis scire incumbat, quàm seipsum? imò si se nesciat, esto omnia alia perbellè calleat, homo non est, sed hominis simulacrum, sed imago mortis, quibusdam coloribus & lineamentis exterioribus veri hominis speciem præ se ferens adumbrata; ab intus autem carens omnibus ijs, quibus homo verè viuere dignoscitur. *si omnia alia, inquit vnus aliquis Philosophorum, scias, te*

ipso

ipso ignorato, ædificas absq; fundamento, non domum, sed ipsissimam ruinam. & mente in omni scientia non solùm desipis, sed & insanis. Quare superbia, quæ propriæ cognitioni ponit obicem, verissima est stultitia, & error intellectûs ac defectus grauissimus. Vnde nemo est superbus, qui simul non sit ignorans. Et quidem quò superbior, eò sui ignorantior & amentior. Nec obstat, quòd forsan pluribus in scientijs alijs, & negotijs, quæ vix eum attingunt, prudenter agere videatur. Quod in sequentibus fusius ostenditur.

Superbia & stultitia multùm communicant inter se, pari & passu gradiuntur, proinde nullus superbus absque stultitia, neque stultus quis absque superbia.

SECTIO XXV.

QVòd Superbia & Stultitia indissolubili vinculo, & quasi glutine socientur, & pari passu gradiantur, scripturâ, communi loquendi modo, ratione, & experientiâ ostenditur. V.g.3.c. 32.

ditur. D. Paulus coniungit Philosophorum Ethnicorum superbiam & stultitiam. Ait enim scribens ad Romanos
21. c. 1. *cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est cor eorum, dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt.* Viden', scripturâ teste, vt superbiæ infelix mater generat infelicem prolem stultitiam, & intellectui offundit tenebras! vt eædem, mater & infelix filia ab ipso statim vtriusque ortu, & deinceps fœdere insolubili sociatæ sint! Communi Gallico prouerbio dicitur de superbo, quòd *superbus sit stultus*, & id scripturâ suffragante, quæ dicit *homines stultos non visuros sapientiam, quia ea longè*
v. 7. *abest à superbia.* Eccl. 15. Et 1. Timoth. 6. 4. quibus superbiam & stultitiam ita arcto inter se vinculo coniunctas esse, ostenditur, vt vna absque altera existere nequeat. Vnde magis inter se conueniunt, quàm duæ sorores: superbus se ignorat, eodem modo se ignorat stultus: si enim se non ignoraret superbus, esset humilis, & stultus sapiens: superbus ex ignorantia alium se æstimat, quàm sit, idem facit & stultus. Et quemad-

quemadmodum quilibet superbus absque fundamento & virtute magnam de se ipso habet opinionem, ita planè stultus, nullo veritatis fulcro subnixus se sapientem arbitratur. id quotidiana docet experientia in mente captis. quorum cogitata quô magis confusa sunt, eò maior eorum deprehenditur stultitia. Hinc est quòd aliqui eorum se Reges, aliqui Prophetas, aut summos alios Viros nuncupent, & tales se esse credant. Vidi ego vnum, qui se Christum dicebat. De duobus alijs sese inuicem accusantibus refertur, quòd eorum alter se DEVM PATREM, alter ANGELVM GABRIELEM se dicebat: Primus secundum falsitatis ex eo arguebat: Te impostorem esse vel ex eo capite manifestum est, quòd ego PATER ÆTERNVS nunquam te in terras, ad aliquid denunciandum miserim. Sapienter absque sapientia discurrebat, veramque conclusionem ex falso antecedenti eliciebat. Facile quidem stultus inducitur in fraudem, sed facilius adhuc superbus, præsertim si quispiam ad verborum copiam & linguæ volubilitatem adhibeat insuper assentationis

Imaginationes duorum stultorum.

 artifi-

artificium. Quo tantisper seruiens auribus, omnia eius dicta & facta laudibus extollat: tunc enim plenus fumo, de seipso falso conceptæ opinionis, omnia vera credens, vanissimè exultabit, seque cælis æqualem gradi putabit. Adde quòd stultus nihil ægrius ferat, quàm quod talis habeatur; superbus autem æquiori ferret animo quocunq; alio, etiam ATHEI, nomine compellari, quàm ignari & stolidi: stultus omnia, se ignoto, scire desiderat; superbus item omnia, vno se excepto, scientiâ complecti posse sperat. O infelices, quàm procul à scopo aberratis, quid obsecro prosunt alia, si lumen veritatis vobis non illuxit, nec vt illucescat laboratis? *Vanitas Vanitatum & omnia Vanitas*, si interiori tuiipsius lumine careas. *quo stante, stant omnia, quo ruente, ruunt omnia.*

Alia conuenientiæ stultorum & superborum.

SECTIO XXVI.

EST nonnullos repetire, qui vna in re prorsus delirant, in cæteris sapiunt.

piunt. Quales sunt qui cæco amore suis passionibus & odio in aliquem abripiuntur, & alij similes. contrà nonnulli in omnibus alijs hallucinantur, in vnico se rectè habentes. Aiax vnico in Vlyssem odio insanus & furiosus deprehendebatur, in cæteris sapiens & circumspectus erat: E contrariò Rusticus quidam, non ita pridem erat Viuerecij, qui in omnibus rebus agendis (præterquam in negotiatione vini, in qua prudentissimus erat) prorsus desipiebat. Ita aliqui in vna quapiam re V. G. in scientia superbiunt, in alijs humilitatis studiosi videntur; aliqui autem, vt sunt aulici, in plerisque omnibus se vltra modum extollunt, in vnica autem confessione suarum passionum se humiliant. Teste D. Chrysostomo: *Superbus nemo esse potest, qui fatuus non sit.* Vbi superbia hospitatur, ibidem hospitatur & fatuitas, ijsdem insignibus, & vultûs compositione conspicua visitur; & vicissim quò diuertit fatuitas, eò etiam simili gaudens priuilegio diuertit & superbia. *Conclusio ergo vniuersalis esto (quòd posthac in particulari sæpius probabitur) superbiã stultitiæ esse indiuiduam*

Homil. 39. ad pop. Antio. tomo 5.

 comitem,

comitem, item omnem superbum, in quo superbus est, esse stultum; omnem quoque stultum, in quo stultus est, esse superbum. Magnum tamen inter vtrumq; discrimen reperitur, stultus siquidem in multis commiseratione dignus est, superbus autem ob proprium crimen, punitione. Ac proindè minus malum est, esse stultum, quàm esse superbum. Esse enim stultum per se peccatum non est, at fieri & esse stultum ex superbia crimen est, quod supplicium meretur. Ille solùm defectu intellectûs laborat; hic autem & intellectûs & voluntatis: ideóque ille subinde veniam meretur; hic autem semper castigationem, & eò maiorem, quò frequentius in propriæ salutis cura oberrat: Fraudem interim vultûs artificio (vt vir bonus appareat) tectam animo gerens. In quo similis est Achitofel, qui bona saltem ad speciem alijs suggerens consilia, disponit de domo sua, & tandem suspendio sibi ipsi vitam eripit, vt in inferno suæ superbiæ ac stultitiæ pœnas det sempiternas. Vspiamné terrarum mens magis confusa & deperdita reperiri potest, quàm ea, quæ cùm in rebus mundi calliditate & circum-

S. Chrysost. in Epist. ad Romanos hom. 20. tom. 4. & hom. 39. ad Pop. Antioch. tom. 5.

2. Reg. 17. 23.

circumspectione vix vlli cedat, nulli tamen ei curæ sunt, neque bona cælestia, neque supplicia æterna? O quot filij huius sæculi, istius desperati Achitofel sunt imitatores, qui etsi collum laqueo non inserant, omne tamen suum studium & prudentiam collocant in rebus vanis & perituris, in quibus peccata innumera committunt, & crudeles in seipsos effecti, animam suam mactant morte sempiternâ.

Superbia materies omnium vitiorum.

SECTIO XXVII.

QVandoquidem Humilitas parens est sapientiæ, & origo vniuersalis omnium virtutum, vt dictum est supra Sect: 22. Superbia autem ei contrariè opposita, mater stultitiæ, ita vniuersè animæ hostis, nulla vt ei virtus cohabitare possit; necessariò sequitur eam esse primum principium, primam materiam, & quasi gurgitem, ex quo vitia omnia, maximè humilitati opposita, emergunt; esse quoddam generale Catholicon, vt loquuntur medici, quod

Hic supra S. 22.

quod omnium peccatorum, nullo prorsus immuni à suo veneno relicto, compositionem ingrediatur; est insuper instar ignis infernalis & densissimarum tenebrarum, quæ & lumen intellectûs obfuscant, & concupiscentiam ad vanitatem rerum terrenarum inflammant, animamque in abyssi barathrum detrudunt: est aër pestilentissimus, omnis generis infirmitates spirituales progenerans, mortem virtutibus, bonis operibus, rectis desiderijs, omnibusq; animæ bonis adferens. Est AQVA pessimæ corruptioni obnoxia, palus, in qua varij serpentes, bufones, aliaque id genus immunda animalia, spirituali modo loquendo, sedem suam fixerunt. Est TERRA supra quosuis montes etiam altissimos sita, hyeme & æstate frigidissimo gelu concreta, nullius ferax frugis, ferax autem omnis generis venenatorum animalium, quadrupedum & serpentium. Continet hæc eadem terra suis visceribus inclusas rupes durissimas, fodinas amplissimas: verum non auro, non argento, non pretioso aliquo alio metallo redundantes, sed Arsenico, Mercurio & huius-

huiuſmodi perniciosiſſimo metallo, quod vitam ſpiritualem animæ eripit, feraciſſimas. Summa, ſuperbia eſt primus fundamentalis inferni lapis, qui ò cælo iratâ Dei manu eò proiectus eſt. Dæmones inferni ciues, hominesſque damnati, eorum maleficio huius vitij conciues effecti, eius ſigillo, indelebili charactere, notati ſunt. Quid multis? S. Greg. lib. 24. moral. c. 23.
Ea eſt principium, medium, & finis vniuſcuiuſque vitij: in ea omnia alia continentur, vt in ſuo ſemine: ex ea omnia prodeunt tanquam ex radice infernali & puteo abyſſi, de quo Apocal. c. 9. V. 3. *Exierunt locuſtæ in terram habentes poteſtatem, ſicut ſcorpiones terræ.* Verbo, *qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis.* Eccleſ. 15. 10.

Humilitas tollit impedimenta gratiæ Dei acquirendæ, & per exinanitionem & abiectionem ſuiipſius diſponit animam ad dona cæleſtia recipienda.

SECTIO XXVIII.

H*Vmilitas à Sanctis Patribus nuncupatur Magiſtra, materq́; cæterarum virtutum.* S. Greg. lib. 20. Mor. c. 7.

& hom. 7. in Euang. & S. Hieron. epist. ad Cellantiam.

virtutum. Magiſtra quidem, quia animam cum pleno dominio conſtituit Reginam ſupra omnes ſuas affectiones; Mater autem, quia remouens omnes obices gratiæ Dei recipiendæ, in eadem anima generat & producit diuinas qualitates, & ornamenta, quibus efficitur capax donorum cæleſtium. In productione cuiuſque formæ naturalis, V. G. aquæ, ignis, leonis, vel alterius cuiuſcunque rei, axioma Philoſophorum eſt, experientiâ confirmatum: *Omnimodam priuationem alterius formæ debere præcedere.* ſi enim lignum V. G. non exuatur formâ & eſſentia ſuâ ligneâ, nunquam futurum eſt, vt ignis induat; quod Chriſtus docuit Ioannis 12. *niſi granum cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet.* Quod eſt dicere, non excreſcet in culmum, non efficietur planta: idem in virtutum ſpiritualium generatione euenit, quæ non ſolùm non poſſunt in anima fructum facere, ſed ne produci quidem, niſi prius omni præſumptione cæteriſque ſuperbiæ filiabus inde eiectis, ac omnibus alijs, quæ diuinæ gratiæ obicem poſſunt ponere, per omnimodam exinanitionem ſuiipſius;

Ariſt. 1. phyſ. tex. 69. & 75. v. 24.

suiipsius, ab ea quàm longissimè remotis. Quod ipsemet Saluator requirebat
Luc: 14. quando dicebat: *Omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus:* quod idem est, ac si diceret, nisi acquirendæ humilitatis & cæterarum virtutum (quæ eâdem Humilitate Magistrâ discuntur in mea Academia) studio vnicè se addixerit, excludetur à mea schola. Exinanire autem semetipsum, & omnibus renunciare, est exuere, expoliare, nudare se omnibus, & nihili facere omnia, siue ea sint animæ bona, siue corporis, siue mundi & fortunæ, nisi in Dei honorem tendant. Istius exinanitionis ipse Christus huius Academiæ auctor, & Humilitatis Doctor specimen omni exceptione maius exhibuit. Vnde D. Paulus ad 33.
Philippen. 2. ait: *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualem Deo, semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens.* Vbi præclarè S. Augustinus, vt alias semper, *non mutando inquit diuinitatem suam, sed nostram mutabilitatem assumendo. formam serui accepit.* si quæras, quomodo fiat hæc exinanitio & renunciatio, respondeo PRIMÒ fieri per intellectûs v. 6.

S. August. lib. 7. de Trin. c. 3. tom. 1.

tellectûs notitiam, de quo in hoc gradu & sequenti sermo est; DEINDE per affectionem voluntatis, de qua gradu tertio: Vtrumque autem fit per Humilitatem, quæ & notitiam intellectûs generat, & bonam voluntatis affectionem in anima producit, & per illas vicissim ipsa Humilitas producitur. Humilitas enim docet & inclinat animam sese vt humiliet & contemnat. Et hic idem sui contemptus seu exinanitio, suis modis & formis generatus, ipsam vicissim generat Humilitatem. Vnde Humilitati ea exinanitio est instar cuiusdam proludij, curæ & præparationis: quibus sedes animæ mundatur, aptaque redditur ad purissimam Humilitatis productionem: quæ iam producta & in lucem edita, producit sui exinanitionem, non secus atque Gallina ouum, & vicissim ouum gallinam.

De exinanitione suiipsius per notitiam, basim primi gradus.

SECTIO XXIX.

Tria tempora consideratio-

QVò hæc curatio & præparatio tam salutaris & necessaria benè insti-

instituatur, & primus huius ædificij gradus ex proprijs materialibus extruatur, & ritè collocetur, bona & mala nostra consideremus, & iustâ nos ipsos bilance ponderemus oportet. Ad quod iuuabit tria tempora sibi ante oculos ponere, PRÆSENS, PRÆTERITVM, & FVTVRVM, & in omnibus nihilum nostrum adnotare. Quod attinet ad PRÆTERITVM, in memoriam reuocandum est, quòd ante 100. 50. 20. vel tot & tot annos, prout quisque prouectus est in ætate, nihil omnino fuerit. Quòd conceptio fuerit sordida, quòd natiuitas confusa & immunda. Ad PRÆSENS quod attinet, quid aliud est Vita nostra, quàm ipsissima miseria? quàm assidua & concomitans vmbra atque continua imago mortis? An non momento totum quod sumus in nihilum recideret, nisi Deus manum suam supponeret? Isthæc consideratio omnium sanctorum cogitata, dicta, facta, intra humilitatis limites continuit. Hinc Abraham dicebat Gen. 18. *Loquar ad Dominum, cùm sim puluis & cinis;* ita & Iob suam perpendens natiuitatem, & vitam ipsâ natiuitate misera-

ne digna ad hominem humiliandum.

V. 27.

14. 1. miserabiliorem, aiebat: *Homo natus de muliere, breui viuens tempore repletur multis miseriis: qui quasi flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet.* Deplorat & Propheta
Psal. 38. 6. Dauid, dicens: *Ecce mensurabiles posuisti*
& Psal. *dies meos, & substantia mea tanquam nihilum*
72. 6. *ante te.* Et alibi: *vniuersa vanitas omnis homo viuens.* Omnes homines cuiuscunq; conditionis, aut dignitatis illi sint, nobiles, plebeij, mercatores, rustici, domini, subditi, iuuenes, senes, huius sententiæ septis inclusi continentur: in omnibus siquidem ac singulis est istius vanitatis farraginem & commixturam reperire. Vita breuis est, & afflictionis plena; sit quantacunque velit sanitas corporis, fortitudo, pulchritudo, mille periculis est exposita, & tandem fit mortis exuuiæ. Eius diuitiæ, honores, fauor, & gratia cum cæteris huius vitæ bonis, vel potius quisquilijs, momento temporis dispereunt & euanescunt: nec aliud est ipse homo, quam receptaculum quoddam miseriarum, & vniuersitas vanitatum. vt dicit Psal. 72. &
V. 22. 102. *ad nihilum redactus sum.* & nesciui *Ho-*
V. 15. *mo sicut fœnum dies eius, & tanquam flos agri sic efflorebit.*

Hæc

Hæc de tempore, quo homo moratur in hac vita. Animo jiam prospiciamus quid nobis post mortem sit futurum: corpus equidem erit esca vermium; anima autem, si corpori sociata malam vitam duxit, dæmonibus ludibrium, & fomentum ignis inextinguibilis. Hæ considerationes ex infirmitate & conditione humanæ naturæ desumptæ, altè. id est vsque ad solidam veritatis terram, notitiæ NOSTRI NIHILI defodiunt fundamentum, præparant locum, & materialia locando primo Humilitatis gradui necessaria conuehunt. Sunt & aliæ præter dictas, considerationes ex eadem hominis conditione, & misero eius statu, licet ex alijs principijs desumptæ, quæ suum ei nihilum proprijssimè & clarissimè demonstrant: quarum postrema non est, peccati repræsentatio.

Consideratio peccati, quò nostrum nihilum etiam infra nihil, discamus æstimare.

SECTIO XXX.

CONsideratio peccati non solùm originalis (in cuius macula omniũ morta- V. G. 3.

mortalium conceptio & ortus infici-
untur) sed vel maximè eorum, quorum
nos auctores sumus, (quorum vel
vnum tantæ est malitiæ, vt nos minus,
quàm nihil efficiat) plurimum valet
ad infirmitatis humanæ imbecillitatem
detegendam, & ad primum in anima
hominis gradum humilitatis collocan-
dum. PECCATVM quodcunque est
V. 32. NIHIL: PECCATOR autem minus
Rom. 6. quam NIHIL. qui enim *facit peccatum,*
16. 2. teste Saluatore Ioannis 8. *seruus est pec-*
Petri 2. *cati*: sed seruus minor est domino:
19. Peccatum autem est dominus: pecca-
tor ergo minus est, quàm peccatum,
& quàm nihil. NIHIL etiam minori
subiacet ignominiæ, quàm peccatum.
Siquidem Deus ex nihilo mundum
hunc, siue amplitudo, siue pulchritu-
do spectetur, solo verbo, absque labo-
re, operum suorum perfectissimum fe-
cit. Ex peccato autem fecit infernum
opus quidem iustitiæ diuinæ, sed pro
peccatore omni turpitudine & miseria
cooperto. quem vt liberaret, à primo
vitæ momento vsque ad mortem crucis
summè laborauit. Quare homo se soli-
citè considerans vt peccatorem, & de-
prehendens

prehendens se infra nihil, summè se humiliare debet, imò, si sapit, descendere infra centrum sui nihili; quò solidius ponat primum hunc humilitatis gradum. Quod si iuxta vitæ suæ professionem, siue is Iudex, siue Doctor, siue Miles, siue quicunque alius sit, postquam secundùm Deum, secundùm rationem, secundùm legem vixit, & fecit omnia, quæ præcepta erant, adhuc dicere debet, quod suprema veritas iubet Luc: 17. *quod debui facere, feci,* 10.
seruus inutilis sum, quid dicet peccator, infinitis modis se transgressorem considerans? nonné adhuc profundiùs descendet, quò altius locet fundamentum primo Humilitatis gradui substernendum?

Sancti consideratione suorum peccatorum se humiliant.

SECTIO XXXI.

SOlenne admodum fuit sanctis, consideratione suorum peccatorum sub potenti Dei manu se humiliare. Omnium primò occurrit S. Dauid, non

magis Rex & Propheta, quàm Humilitatis, patientiæ, cæterarumque virtutum exemplar perfectissimum. in suis scriptis ita se rem habere sæpius testatum reliquit: *priusquam,* inquit, *humiliarer ego deliqui.* quasi diceret: ego meum nihil recolo, & ob peccata mea, iustè me humiliari animaduerto. Et alibi: *iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.* Psal. autem 24. sic supplex Deum orat: *Vide humilitatem meam, & dimitte omnia peccata mea.* id est, non facile dixerim quantopere me peccata mea humiliârint, & exinaniêrint, Domine, miserere mei, ob peccatorum meorum recordationem penè ad nihilum redacti. Aliud non mouebat S. Petrum, quando cum omni animi demissione dicebat Christo Saluatori: *Exi à me Domine, quia homo peccator sum,* quàm peccatorum suorum consideratio. quam adeo profundè imbiberat, vt non modò eius beneficio suum nihil clarè perspiceret, sed quasi sui ipsius oblitus, à se homine peccatore, homine NIHILI Magistrum suum abire deprecaretur, cùm potius vt secum maneret, misericordiæ suæ dona

Psal. 118. v. 67.

Psal. 50. 5.

18.

Luc: 5. 8.

dona impertiret, peccata obliteraret, ſeque in nihilum delapſum erigeret, rogare par fuiſſet. Eâdem conſideratione ſeſe humiliabat S. Paulus, dicens: *Non ſum dignus vocari Apoſtolus, quia perſequutus ſum Eccleſiam Dei.* quod eſt dicere, maxima commiſi peccata, ea adeo me deprimunt, vt indignum me putem, qui hoc nomine inſigniar. I. Cor. 15. 9.

Meditatio damnationis præbet occaſionem ſeipſum humiliandi.

SECTIO XXXII.

AFfinis ſuperiori conſiderationi de peccatis, alia hac ſectione, efficacior tamen, & conducibilior animæ humiliandæ, ſubiungitur; Ea autem eſt ruminatio perpetuæ damnationis, mercedis peccato debitæ: cui omnes homines quamdiu *peregrinantur à Domino*, ob naturæ ſuæ procliuitatem in peccatum, obnoxij ſunt. Quàm enim facilè aliqua lethalis noxa contrahitur, cum qua, ſi quis abſque ſalutari pœnitentia moriatur, addicitur damnationi ſempiternæ. Quilibet igitur,

quà peccator est, dicere potest, non sum liber à damnatione, fieri potest vt damner: quia fieri potest, vt ex hoc mundo discedam in peccato mortali. Hac salutari cognitione ad Humilitatem sectandam, ad prosequendum *brauium superna vocationis* sese excitabat D. Paulus, vt eius verba 1. ad Corinth. 9. fidem faciunt: *Castigo,* inquit,
27. *corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte, cùm aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Res admiranda, quod talis Sanctus talis Apostolus, ab ipso Christo vocatus
Act. 9. *Vas electionis, vt esset Doctor gentium, vt nomen*
15. *suum portaret coram gentibus & regibus*, qui raptus fuerat vsque ad *tertium cælum, in*
2. Corin. *ipsum Paradisum, vbi arcana Dei audiuerat,*
12. 3. 4. *quæ non licebat homini loqui*, qui tot signis & miraculis arrham æternæ prædestinationis, & confirmationem gratiæ acceperat, eâ non obstante, se vt expositum reprobationi, & æternis supplicijs considerabat. Eò eò tendebat hæc D. Pauli mentis cogitatio, vt animum intra humilitatis terminos contineret, à lapsu in peccata, hoc freno cohiberet, & sibi ipsi calcar ad studia virtutum prosequenda adhiberet. Hæc consideratio

ratio profundius ad mentem reuocat hominem, quàm ea, quæ est de peccato. clarius enim vilitas & indignitas peccati, in pœna & confusione ei imminentibus, quàm in sola contemplatione suiipsius turpitudinis patescit. Et id fit adinstar iudicij, quod homines in hoc mundo communiter ferunt de enormitate alicuius facinoris, dum ex suppliciorum acerbitate, quibus quis moriturus excruciatur, quàm ex ipsius delicti (quod non quilibet assequitur) essentia, facilius diiudicant. Explico, reo, v.g. criminis læsæ Maiestatis, & reo alicuius furti vita eripitur, huic laqueo, illi autem per quatuor equos quatuor in partes distractione: homines iudicant, & bene, hunc maius crimen commisisse quàm illum; eodem modo, qui suum peccatum considerat, se quidem humiliandi abundè materiam habet, sed qui infernalibus se subiacere pœnis aduertit; maiorem habet ad NIHIL suum recognoscendum. Et quamquam peccatum sit magis formidandum, quàm ipse infernus debitus peccato, quia culpa maior est, quàm pœna ei debita, illud siquidem malum est simpliciter,

Crimen, & non pœna facit

ignominiam. pliciter, infernus autem solùm per accidens; nihilominus consideratio inferni maius homini præbet lumen, ad clarius suum nihil cognoscendum, & ad periculum damnationis præuidendum, quàm ad malitiam peccati formidandam, quod iam explicandum restat.

De eadem inferni consideratione.

SECTIO XXXIII.

PRæpotens aliquis Rex, videns magnitudinem & gloriam regnorum suorum esse quid exiguum, habet equidem occasionem dimittendi supercilia, si ea sustulerat; Verùm multò maiorem, si cogitat non difficile factu, vt ad summam, vti Dionysius Tyrannus, miseriam & paupertatem redigatur; vt strui lignorum, vt quondam Crœsus Rex Lydorum, comburendus superponatur; vt caueâ instar auis cuiuspiam, quemadmodum contigit Baiazet Regi Turcarum, includatur, & loco scabelli, inimico victori equum conscensuro seruire cogatur. Breuiter, vt,

Cic. 5. Tusc.

Herod. lib. 1.

Genebr. in Chron. an.1402.

vt, qui potentissimus est in oculis hominum, euenire posse hoc ipso die instar miserrimi alicuius mancipij in captiuitatem abducatur. Certè, qui hæc & similia, quæ alijs accidêre, & vt sibi eueniant, æquè procliue esse, considerat, habet maius lumen, & ad clarè instabilitatem fortunæ perspiciendam, & ad se *sub potenti Dei manu humiliandum:* pari modo, si is qui malè assumptos spiritus consideratione peccati dimittit, longè magis dimittet is, qui se extremi inferni ignominiæ, tormentisque nunquam perituræ mortis esse expositum recoluerit. Ex hac consideratione enormitatem peccati Iudæ se tradentis Saluator declarauit, & vt quis se humiliet, ob pœnam statim in foribus subsequentem, documentum dedit, quando de eo scelere his terminis locutus est. *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* quod est dicere, longè melius fuisset Iudæ, si nunquam lucem conspexisset, melius si in abysso nihili inter ea, quæ non sunt mansisset, quàm inde ad huius mundi auras venisse, & tale facinus in me tradendo designasso, vnde tormenta subeat sempiterna.

Æmilius l. 10. Dubra. l. 25. hist.

Matth. 26. 24. Mar. 14. 21.

quod longè deterius est, quàm è potentia causarum nunquam exijsse. Abominabile igitur quid est peccatum, quod cùm minus sit quàm NIHIL, & omnino NON ESSE, causa tamē est inferni. Quod ideo dixerim, vt omnes mortales intelligant maiorem habere occasionem demissè de se sentiendi, loquendi & agēdi ex eo quòd subiecti sint pecato, & detrudendi in infernum, quàm quòd in nihilum momento temporis redigi possint. Magis siquidem formidabilis est Inferfernus, quàm sit NIHIL. Quæ causa est, vt omnes damnati desiderent, redigi in NIHILVM, sed frustrà. perpetuo enim inibi ergastulo, captiui supremæ Iustitiæ, detinentur. Qui si in hoc mundo viuentes, se humiliassent, se si nihil, vti erant, æstimassent, atque æterna inferni supplicia perpendissent, nunc aliquid essent in cælo, omnibusq; ibidem bonis affluerent. Vnde consideratio nostræ conditionis tanto malo, quantus est infernus, exposita, & clarius vilitatem nostram nobis ob oculos ponit, & efficacior est ad profundius nos humiliandum, quàm peccatum, licet maiorem turpitudinem, & formidinem sibi annexā habeat, quàm Infernus, pœna peccato debita. *Sancti*

Sancti sæpe percelluntur timore Inferni.

SECTIO XXXIV.

SOlet diuina prouidentia permittere, vt etiam Sancti (ne se extollant & pereant) salutari hoc pœnarum infernalium timore in suis cum Deo congressibus, dum suam fragilem sortem recolunt, percellantur. Eius rei argumento sit Dauid, magnus Sanctus, magnus Rex, eximius Propheta, & Dei singularis amicus, qui subinde hoc timore ictus, ad Dominum clamabat: *Domine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.* Psal. 6. 1. Quod est dicere: ne me in inferno, loco vbi furorem tuum ostendere, & iram in damnatos exercere soles, obsecro corripias, sed hic me *virgâ filiorum tuorum castiga*, & per misericordiam tuam ab illo me libera: quia iam hic pœnarum inibi sustinendarum consideratione *circumdederunt dolores mortis: & pericula inferni inuenerunt me.* Psal. 114. 3. Psal. 17. 6. Dubio procul procliuitas ad peccatum, & necessaria connexio æternæ mortis cum peccato Prophetam moue-

 bant,

bant, vt demiſiſſimè à Deo peteret gratiam ea euitandi: Viden' vt SPIRITVS hic ſancti Dauidis contrarius eſt inani, ſuperbæ, & nimiùm præſumptuoſæ erronum noſtri temporis fiduciæ! qui pro certiſſimo fidei articulo tenent, vnumquemque ſuorum in particulari æternam beatitudinem tanquam debitam hæreditatem accepturum! Et hoc ideo solùm quia CREDVNT, nihil interim ſoliciti de vllis BONIS OPERIBVS, ſed ſolâ FIDE non minus ſtultâ, quàm infrugiferâ, abſque vlla vel præuiâ manûs applicatione, vel bonorum operum exhibitione, tanquam dilectiſſimos Dei filios ſe cælo recipiendos imaginantur. Sed tu, ô anima deuota, & melioribus fidei ſalutiſq; documentis imbuta, humilem & ſalutarem ſanctorum timorem concipe; vilitatem tuæ conditionis intellige, & eâ intellectâ, mente nunc ſub tui nihili, inferniquè latebris te abdito, vt inde, euitatis æternis ſupplicijs (quæ parata ſunt filijs ſuperbiæ præſumentibus interim cælum ſibi deberi, eſto in omni peccatorum cœno, vt ſues, ſe volutent) in lucem vẽdicata in perpetuas æternitates exalteris in cælo.

Caluin. lib. 3. inſtit. c. 2. § 7. & alias ſæpe Concilium Trid. ſeſſ. 6. c. 9. contra inanem Hæreticorum fiduciam.

Nulla

Nulla bona debent extollere hominem.

SECTIO XXXV.

SVperioribus considerationibus necesse est aliam generalem adiungere, qua homo, vti supra dictum est, iuxta primi gradus regulam rebus omnibus se expoliet, & penitus exuat. Hic ante s. 28. In eo autem sita est, vt accuratè perpendat homo, quòd quicquid boni habet, si se spectet, sit nihil, imò absque Humilitate minus quàm nihil. Humilitas autem hæc debet esse secundùm normam diuinæ sapientiæ, & non secundùm humanā ac mundanam prudentiam, quæ eò vsque stultitiæ progreditur, vt quæ humilitatis ei deberent esse argumenta, eidem fiant ad superbiam incitamenta: exempli causâ superbit ex ijs, quæ ei Deus vel animi, vel corporis, vel fortunæ bona elargitus est, cùm, considerans suam obligationem erga Deum, magis ex ijsdem Deo deberet se subijcere. Quare iustâ bilance ea ponderanda sunt, ne forsan eorum possessione decepti, nobis persuadeamus

suadeamus ea aliquid esse, indeque inani nostri ipsorum opinione inflati, & primo gradui locando, & oleo diuinæ misericordiæ recipiendo (quod non
4. Reg. 4. 3. nisi in vasa omni præsumptione vacua recipitur) obicem ponamus. Vacua autem vasa erimus, proindeque idonea huic oleo recipiẽdo, si factis ostenderimus hæc omnia bona [quæ minus sunt quàm ipse homo, qui tamen vt ostensum est suprà, nihil omnino est] nec debere, nec posse facere hominem maiorem, quàm ex se sit. Et hoc ad instar punctorum, quæ quantumuis multiplicentur, nunquam efficient quantitatem; sicuti NVLLI, addita infinita NVLLA non constituent numerum: quia sine humilitate, esto animi, corporis, fortunæque donis affluat quàm plurimis, semper manet NIHIL, quin imò minus quam nihil. Elatus siquidem superbiâ, innumera committit peccata, quæ eum infra ipsissimum NILIL deijciunt, vt dictum sectione 30. & 31.

Tria

Tria bonorum genera, ex quibus homines accipiunt occasionem superbiendi.

SECTIO XXXVI.

BOnorum ob quæ mortales se efferre solent, iuxta veterem Philosophorum & sapientûm, atque etiam in ipsâ experientiæ scholâ approbatam distributionem, tria sunt genera. Primi generis sunt bona animi. quæ & ipsa triplicia sunt: *Naturalia*, *Acquisita*, & *Supernaturalia*. *Naturalia* sunt, quæ vnà cum ipsa natura à Deo donantur; qualia sunt ratio, judicium, voluntas prædita libero arbitrio, memoria, prudentia, habilitas, & alia id genus animi talenta: quæ cum homine nascuntur. *Acquisita*, sunt quidem & ipsa Dei dona, sed huiusmodi, vt ad ea, actio, labor, atque industria humana requiratur, qualia sunt artes, scientiæ, eloquentia, musica, pictura, medicina, ars militaris &c. Quæ omnia, vt dixi, dantur à Deo, sed ita, vt ea nummis industriæ nostræ ac laboris

Plato in Euthidemio c. 2. & alibi.

Arist. l. 7. polit. c. 1. & alibi.

Cic. 2. Orat. & alias sæpe.

boris ſint comparanda, vt fructus noſtræ terræ à nobis ſeminatæ & excultæ. *Supernaturalia* quæ Deus immediatè ex mera ſua liberalitate infundit animæ. *Sunt autem, Fides, Spes, Charitas, Prophetia, & cætera dona de cœlo per ſpecialem gratiam, & non per naturæ ſequelam, aut hominis induſtriam collata & infuſa.* Iſtæ ſunt animi opes, bona immortalia, quæ ſe habentem exornant, illuſtrant, & ſupra ſortem vulgi, non ſecus atque quoddam lucidiſſimum ſidus, quod omnibus ſit admirationi, collocant. Vnde non rarò humana infirmitas ſe efferre conſueuit. *Secundi generis*: ſunt BONA CORPORIS, quæ tria præcipuè enumerantur: SANITAS, FORTITVDO, DECOR ſeu PVLCHRITVDO, quæ & ipſa frequenter debilioribus mortalium præbent occaſionem ſuperbiendi. *Tertij generis ſunt bona Fortunæ*: Honores, diuitiæ, nobilitas, & quicquid in hac vita mortalium, dura Domina cupiditas admiratur, & occaſio ijs eſt ſuper cæteros ſe extollendi. quæ tamen ſunt etiam bona Dei, ſed fortunæ nuncupantur, quòd cæteris magis ſubiaceant temporis, loci, perſonæ, cæterarumque

rumque circumstantiarum inconstantiæ: quæ à veteribus in arbitrio & potestate fortunæ ideo posita sunt, quòd eam Deam quandam inconstantiæ, & mutabilitatis crederent. His tribus bonorum generibus, è diametro contraria respondent tria malorum, animæ, corporis, fortunæ. Et tam bona, quàm mala, materia sunt, in cuius vsu homo in hac vita præbet experimentum Humilitatis, aut superbiæ, strenuitatis, aut ignauiæ; aliarumque virtutum aut vitiorum. Quemadmodum autem bona in hoc mundo sunt quoddam simulacrum felicitatis; ita mala sunt quædam adumbratio loci tormentorum, seu inferni. vtraque verò instrumenta sunt, si rectè considerentur, ad consequutionem perfectæ Humilitatis. Dixi, si RECTÈ CONSIDERENTVR. Eorum siquidem consideratio futura est SVBIECTVM vagans per omnes gradus, de quo posthac instituendus erit sermo, & assignandus modus, atq; ratio vnicuique propria circa materiam communem. *Hic, benigne Lector, vnum te rogatum volo, vt si contigerit posthac in gradibus plerisq; huius operis, vti continget,*

Tria malorum genera. animæ, corporis, & fortunæ.

Monetur Lector. de futura eiusdem rei.

repetitione. *tinget, easdem res sæpius repeti, & in diuersis paropsidibus easdem dapes mensæ inferri, cogites velim methodi necessitate, & qualitate conuiuij huius id exigente, hoc fieri.* Dabitur autem opera, vt repetitionis earundem rerum, ac ciborum reiterationis tœdium ac nausea, nouâ aliquâ circumstantiâ, ac nouo dapes præparandi modo, nouisque adhibitis condimentis euitetur. Methodus operis & missûs conuiuio inferendi iuxta Academicos gradus erunt. I. ostendetur ita se hominem supradictis bonis exuere debere, vt eâ nullâ occasione ad superbiendum, neque mala ad animi fortitudinem deserendam inducant. II. Nullam ex dictis bonis captandam occasionem hominibus alijs se præferendi; aut ex malis, quæ ijs eueniunt, eosdem contemnendi. III. oportet hominem verè humilem paratum esse ob Dei gloriam, & propriam salutem bonorum omnium iacturam facere, ijsq; opposita, forti animo tolerare. IV. si ea, re ipsa amittat, patienter eorum iacturam ferre, & aduersam eorum aleam fortiter subire. V. magna solicitudine quærere vias & modos, quibus

in

in Dei honorem & obſequium impendantur, & tam in bonorum, quàm malorum viciſſitudine, quantum fas eſt, ſe humiliare. VI. gaudere ſi ea propter Deum expendat, vel propter eundem finem, vel propriam ſui humiliationem, vel denique propter bonum publicum ea perdat. Per omnes hos gradus, Antitheſi adhibitâ demonſtrabitur, quòd quemadmodum humilitas per bona & mala feliciter, & inoffenſo pede, recto tramite pertranſit, ita econtrariò paſſim ſuperbia impingens, caſibus ruit grauiſſimis infeliciſſimiſque.

Documentum Generale, quo oſtenditur eos qui aliqua ex dictis bonis poſſident, debere ſe humiliare, & ſpirituali modo exinanire.

SECTIO XXXVII.

NE homo ob dicta bona (ſi ea omnia, aut aliquam eorum partem poſſideat) modeſtiæ oblitus, ſe efferat, PRIMÒ in mentem ei venire debet, quòd omnia præfata dona Nulla virtus ſine

 abſque

humilita-te. absque Humilitate nihil sint; adeo vt ipsa charitas virtutum omnium regina desinat esse charitas Humilitate destituta. SECVNDÒ Generalis antidoti loco contra elationis venena vtatur D. Pauli monito, ad eos omnes, qui possessione aliquorum ex dictis bonis gloriabantur: *Quid habes, quod non accepisti, si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* (1. Cor. 1. 4. 7.) Quasi diceret: si ad votum dona animi, dona corporis tibi affluunt, si & aureo vteris tempore; si sapientiâ, si scientiâ exoultus es non mediocriter; si secundâ frueris valetudine, si diuitijs abundas, si honoribus plurimis exornatus gaudes, quid causæ habes te extollendi, quasi aliquid ex te ipso esses, & non omnia, quæ habes, liberalem Deum commendarent donatorem? Dic obsecro, quæ te habere gloriaris, quid aliud sunt, quàm confusa congeries diuersissimarum rerum, seu cento quidam ex diuersis particulis, ijsque mutuò acceptis consarcinatus? Cùm ergo nihil habeas ex te, quid præsumis de te? Quæ habes vel habere te putas, aliena sunt, de quibus seuera tibi reddenda est ratio, & vsura persoluenda.

Prægnans

Prægnans equidem isthæc est admonitio; sed age porrò, quid sentires de mercatore quopiam, qui gloriaretur ob decem millia aureorum ex mutuo reposita, de quibus exacta certis terminis vsura esset persoluenda Trapezitæ, seu creditori? nonnè amicè sic eum alloquerere? Heus tu amice, vnde gloriandi captas occasionem, nonnè satius esset salutari te concuti timore, ne cras aut perendie ad extrema redactus, eò quòd soluendo non sis, solum summa cum ignominia vertere cogaris? Haud dubiè, si saperes, hic timor te exstimularet, vt sapienter, humiliter, diligenter, ac solicitè denarijs non tuis [quorum te tamen insipientissimè proprium habere dominium iactas] negotiareris, & ex intimo corde recognoscens, quòd quæ habes, vsque ad vltimum assem debeas, te humiliares. Hæc & his similia cuilibet absque vlla iniuria dici possunt, & quilibet sibi ipsi (si fors ob sua putatitia bona ad superbiam se incitari aduertit) dicere potest ac debet, quia si bonus calculator fuerit, ex nullo se capite extollere, sed ex omnibus humiliare debere deprehẽdet.

quandoquidem omnino nihil habet, imò minus quàm nihil: quia & summam debet Deo, & ob accepta ab eodem omnis generis bona, propè infinita, quæ nunquam dissoluere poterit, contraxit debita: Vnde non solùm est *Nihil*, sed minus quàm *Nihil*. Quod non incongruè explicari potest ad modum, quo Aritmethici nuncupant quosdam numeros minus quàm *Nihil*, quia videlicet imaginariè solùm, absq; vlla à parte rei existentia, apprehenduntur; qui numeri tamen præsentis rei veritatem (vti duo tropici seu solstitiales circuli, meridianus & alia huiusmodi signa, quæ Astronomi ad cognoscendum Solis, Lunæ, & astrorum cursum affingunt cælo) apposité declarant. Accipiantur exempli causa numeri tres, sextus, octauus, & decimus; si è primo sustuleris sex, è secundo octo, è tertio decem, eorum quilibet remanebit *Nihil*. Si enim ex sex tollas sex, tollis totum, & totum remanet *Nihil*. Si autem ex sex tollantur octo, ex octo decem, & ex decem viginti vel amplius, dicti tres numeri sex, octo, decem, remanent minus quàm *Nihil*. & tantò minus,

minus, quantò id, quod subtrahi dicitur, eorum superat valorem. Homini ergo redditâ summâ Deo Largitori *Nihil* superest. Aduerte quòd præter summam, annuus à tempore NATIVITATIS suæ soluendus restet prouentus. Quare cùm totum debeat, & plus quàm totum, quid vult gloriari de suo *Nihil*, & minori quàm *Nihil?* Quod bene & assiduè considerandum est ijs, qui singularia aliqua dona de liberali Dei manu, eo cum onere receperunt, vt dictis & factis datorem recognoscant, seque, ob ea accepta, sub potenti eius manu humilient, quò dilationem solutionis impetrent: secùs si faciant merentur *tradi tortori, & detrudi in perpetuum carcerem*, vnde neque debitum vnquam soluturi, neq; vinculis in omnem æternitatem soluendi sunt. Sed ad probanda dicta, scripturæ & Patrum testimonijs properemus. Matth. 18. 24.



Talenta à Deo homini collata arctius eum obligant Deo, & infra NIHIL constituunt.

SECTIO XXXVIII.

DEVS sua homini distribuit talenta, sed eâ conditione, vt illa cum fœnore recipiat. quod (si nomen boni serui audire velit) magna cum humilitate, & gratiarum actione persoluere, & dum persoluit, dicere debet: DOMINE, TOT TALENTA TRADIDISTI MIHI, VT OPERARER IN IIS, ECCE TOT ALIA SVPERLVCRATVS SVM: cæterum eò magis me tibi obstrictum profiteor, quò tua in me collata dona agnosco maiora; ac proinde me magis ingratum fore, si posthac RELIQVVM non persoluero. Quod vult S. Gregorius quando ait: *Solicitè nos considerare admonet, ne nos, qui plus cæteris in hoc mundo accepisse aliquid cernimur ab auctore mundi, grauius inde iudicemur. Cùm enim augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. Tantò ergo esse humilior, atq; ad seruiendum Deo promptior quisq;*

Matth. 25. 15. & Luc. 19. 16.

Homil. 9. in Euang.

quisq; debet ex munere, quantò se obligationem esse conspicit in reddenda ratione. Consideratio hæc bene intellecta, & profundè in animum demissa, efficax est tam ad omnem superbiæ claudendum aditum, quàm ad omnes propriæ notitiæ reserandas fores, ad nos exinaniendos, & coram Deo humiliandos. Insuper ad repræsentandum ad oculum, quòd absque Deo, miseri, indigi, & triobolares homines, extreméque illi, ob accepta gratis dona, obstricti, minusque quàm *Nihil*, si ingrati deprehendamur, existamus. Ferunt Alexandrum cuidam è suis Principibus dicto Ephestioni, qui propter reportatas è prælijs sui Regis insignes victorias, vanè se extollebat, dixisse: *Quid esset Ephestion sine Alexandro?* Equidem Alexander Principi huic glorianti neque industriam bellandi, neque fortitudinem dederat, sed solùm directionem, exemplisque præliandi illi præluxerat, & tamen loquitur confidenter: *Quid esset Ephestion sine Alexandro?* Quantò magis rationi consentaneè quiuis mortalium dicere debet, quid essem ego absque Dei beneficijs, per quem & ani- Plutarch. in Alex.

mam, & corpus, cæteraque omnia habeo? quantum ei ob accepta bona debeo, & quanta mea est ingratitudo ob segnitiem meam in gratijs referendis? O deplorandam extremam hominis miseriam ac dementiam ob bona debita se extollentis! Deus bone, quanta isthæc est peruersitas & mentis inopia, ex eo capite sumere occasionem superbiendi, ex quo se humiliandi, sumi deberet: Longè sapientius & laudabilius egerit quisquis humilitatem didicerit ea ex causa, ex qua mentis inopes aquis superbiæ se submergere, & penitus perdere consueuerunt.

De bono ingenio, iudicio, & memoria.

SECTIO XXXIX.

CAutiones & remedia, quæ hactenus pro Humilitate contra superbiam ex aliquo è dictis donis prouenientem adhibuimus, generalia sunt: restant alia particularia de vnoquoque dictorum suprà trium genere bonorum. Momentum rei de qua agitur, impellere nos debet ad minutè, & per

per partes eam explicandam. & ad informe monstrum superbiæ omnibus viribus prosequendum, & ad deditionem, applicatis ad eius propugnacula scalis, firmis gradibus Humilitatis, ac omni armorum & machinarum spiritualium genere adhibito, ratione, auctoritate, minis, & promissionibus cogendum. Omnia quidem Diabolus superius relata adhibet bona, ad fatuorum cerebra effascinanda, sed primi generis maximè, BONVM INGENIVM, BONVM IVDICIVM, CAPACEM MEMORIAM ad apprehendenda & retinenda ea, quæ quis aut audit, aut legit. Ex his, dum se supra alios verè eminere animaduertunt, aut malis inimici artibus decepti, se eminere falsò sibi persuadent, periculosam salutis iaciunt aleam. Eum bonum INGENIVM habere dico, qui res quasque propositas penetrat, & intelligit facilè, qui est facilis & fertilis ad quæuis inuenienda, & fortis ad præstitutum finem deducenda; IVDICIVM item bonum, qui nouit fraudes detegere, vulpem sub pectore latitantem deprehendere, rem quamlibet aut

actionem suis finibus maturo consilio, accuratè discussis omnibus circumstantijs, determinare; demum qui nouit res multis tricis inuolutas explicare, suoq́ loco ac ordine earum quamlibet collocare: Tali qui pollet iudicio, præstantissima pollet virtute ac dote. MEMORIA autem (quæ definitur firma animi rerum ac verborum dispositionis perceptio) insigni is condecoratus dicitur, qui quicquid ab ingenio, quicquid ab intellectu ac sensibus suggestum est, in ea tanquam in thesauro diligenter reponit, fideliter custodit, & suo tempore ac loco prudenter depromit. Ex quo qualis & quanta animæ sit gemma & ornamentum facile est colligere. Cæterum VOLVNTAS omnibus alijs animæ facultatibus prædominatur, & tanquam Regina sedens in throno, ijs suiipsorum abnegationem & exinanitionem imperat. De qua tertio gradu tractabitur.

S. Thom. 1. 2. q. 93. art. 3. 2. 2. q. 60. 1.

De

De modo quo se in officio Humilitatis continere debet is, qui præstat ingenio.

SECTIO XL.

SI quis è supra dictis aliquo animæ donis, exempli causa INGENIO se cæteris antecellere, & aliquid esse existimans, animaduertit in agro animæ suæ à pessima superbiæ plantâ pessimos produci surculos, his atque similibus quæ sequuntur acutis intellectûs discursibus facile amputabit. Cur ob *Ingenij* tui donum te extollis? an fors ignoras esse Dei? tibi ab eodem ea conditione ad vsum datum, vt eius beneficio negotieris, & repetenti reddas cum fœnore? quò superbiæ tuum te *Ingenium* effert, à quo te humiliorem reddi par esset? noli errare, bonum non est, si Humilitati & modestiæ Christianæ tanquam firmissimis columnis non innititur. Noli, inquam errare, quia si dictis virtutibus careat, te infatuabit, & infatuatum pessumdabit, vti plures alios, te acumine & ingenij subtilitate

subtilitate præstantiores, qui vanâ suiipsorum præsumptione in concauo lunæ nidum iam sibi extruxerant, fatuos reddidit, & prorsus perdidit. Exemplo sit tibi Pythagoras Philosophus, qui licet acerrimo esset ingenio, tamen eò dementiæ prolapsus est, vt crederet se aliquando fuisse Gallum gallinaceum; sic & Empodocles, qui cùm se sui ingenij acumine crederet omnia penetrare, vt originem ignis montis Ætnæ inuestigaret, & in Deorum numerum referretur à posteris, in illam ipsam ignis voraginem præcipitem vanissimè se dedit; nec minus insipienter egit Cleombrotus Philosophus, qui cùm *suo iudicio* mentem Platonis in Dialogo, Phædone dicto de animæ immortalitate disputantis assequutus fuisset, ex altissima rupe, impulsus stulto & vano desiderio re ipsa experiundæ, quod legerat, immortalitatis animæ, se præcipitauit. Veniant tibi etiam in mentem filij & nepotes *Caini*, qui plerique omnes, vt ingenij præstantiâ, & artium inuentione omnibus alijs antecelluêre; ita vanitate & nequitiâ (quæ hominum se ignorantium est stultitia) cæteris

Laert. lib. 8. in Pyth. Empedocles Cic. l. 1. Tuscul.

Cleombrotus S. August. de ciuit. Dei l. 1. c. 22.

Gen. 4. 21. 22. S. Aug. l. 15. de ciuit. Dei c. 5. Vide Geneb. in

teris superiores extitêre. Ad quid aliud illis intellectûs subtilitas, ingenij raritas, & varia in inueniendis artibus dexteritas, quàm ad scipsos, & alios, eorum deceptos vanitate, æternùm perdendos, profuit? Ex hoc antecedenti, amabò, tibi proficuam sequelam me audi inferentem: *Si horum aliqua similia tibi assequutus videris, & inde sumis ansam superbiendi, nonnè in tuiipsius ruinam & perditionem assequutus es?* Vlterius *si nactus es ingenium, ad aliquam artem & scientiam comprehendendam idoneum, ad quam multas alias addiscendas ineptum te reperis?* sed esto aptus sis ad plures scientias, quàm rudis es, & bardus in scientia rei militaris; non difficulter discis ludere in instrumentis musicis, sed prorsus es stupidus in architecturâ; & si tu tecum ipse accuratè rationes ineas, loco vnius aptitudinis, quam fors vna in re habes, in mille alijs te deficere deprehendes: sed demus te ad omnia habilem esse, ideóne assumendi sunt spiritus? cogita minimum in inferno Dæmonem, inter innumera diabolorum millia, te longè ingenij acrimoniâ & subtilitate anteire. Cùm enim puri

chron. an. mundi 135.

Homo vna in re potest esse ingeniosus, in altera stupidus.

puri sint spiritus ab omni materiæ concretione remotissimi, plus vno cogitationis momento valent comprehendere, quàm subtilissimi quique Philosophi longissimo discursu, & plurium annorum studio consequi possint. Perge porrò mecum; si beatissimi illi spiritus (qui in veritate perstiterunt) assiduo lumine superni fauoris illustrati, ac proinde habiliores ac magis idonei ad percipiendas rerum omnium veritates, quàm sint infelices dæmones, se intra Humilitatis septa tantò arctius continent, quantò plus de Dei bonis se participare meminerunt, túne qui eorum comparatione nil es, præter inutilem terræ glebam, & conserti cuiusdam sacci instar, animatum intestinum, supra crura gradiens ad modum alicuius monstri, superbies & insanies ob tuum *ingenium* quod eorum respectu ingenij nomen non meretur?



Qualiter

Qualiter se humiliare debeat is, qui bono pollet indicio.

SECTIO XLI.

SI quis ob *iudicij* præstantiam se exorbitare animaduerterit, similibus superiori sectione allatis, de eo qui ingenio præstabat argumentis, facile se ad rectam rationis viam, & ad tritos Humilitatis calles hoc aut simili modo seipsum alloquens, reducet: *Peracris indicij hominem te aiunt mortalium nonnulli, & in hanc te induci sententiam facilè sinis, sed fors falsâ de te ipso, ob homines tibi blandientes, conceptâ opinione te ipse seducis: sed fac ita, vt dicunt, rem se habere, nonné ob illud ipsum donum cælitùs tibi collatum, diuinæ liberalitati magis es obstrictus?* Etsi te extollis, quia *indicium* tuum tuo probatur iudicio, de quo te extollis, nisi de eo quod extremæ amentiæ amplissima subministrat argumenta? minimo enim eueniente tibi casu aduerso, Passionis V. G. amoris, offensionis, infirmitatis, aut similis aduersæ fortunæ, qui statum cerebri, vt fit,

V. G. 3. s. 10.

Magna ingenia magnis obnoxia stultitijs.

sit, euertat, & à ratione prorsus transuersum te agat, quid es obsecro nisi ludibrium hominum, qui antè, vt alter Achitophel ab ijsdem habebare? si autem hæc stultitia te in statu peccati mortalis, & in superbiæ vesania deprehenderit, & si contingat hinc ad alium mundum te emigrare, æternùm perijsti: Quod malum euitasses, si talis te stultitia in statu gratiæ & humilitatis deprehendisset. Quis vnquam hactenus sapientia æquari potuit, aut posthac poterit Salomoni? cuius tamen iudicium ingeniumque mulieres, *quibus ardentissimo amore copulatus est, ita deprauarunt*; vt posteris eius salus (nisi fortassis occultam hominibus pœnitentiam egerit) non immeritò relicta sit in dubio? Cleopatra Regina Ægypti bolo porrecto infelicis amoris, Marcum Antonium Imperatorem iudicio alioquin & manu promptissimum, amentem reddidit: Aiax domi militiæque clarus, dum VNAM NON SVSTINET IRAM, id est, dum conceptam ob Achillis arma Vlyssi aduersario suo, & non sibi adiudicata, nequit iram cohibere, demens, & furiosus efficitur, sed quid opus

3. Reg. 11.

Plutar. in Anton.

Ouid. 13. Metam.

opus est tam longè petita adferre exempla, quando domestica, eaq; nostri sæculi non desunt? Laurentius Laurentianus Florentinus, peritiâ rei medicæ, & iudicij rectitudine vix vlli secundus, cùm non minimæ pecuniæ iacturam fecisset, adeo se mærore confecit, vt primò mentem, deinde vitam ipsam, in puteum se præcipitans, perdiderit. Sed adhuc vicinius accede, te ipsum oculatum adhibe testem, quot tu ipse nosti sapientes, qui aut aliquo ictu inauspicato, aut infirmitate quapiam naturæ, absque vllo alio extrinseco, dementes facti sunt. Testis esse poterit Lucius Lucullus à Cicerone ob peritiam rei militaris & Philosophiæ scientiam, raræque prudentiæ laudem, dum floreret ætate, summè celebratus, qui tamen sub vitæ finem ita stupidus & perturbatæ mentis fuit, vt simiæ instar ab vno vili mancipio gubernari debuerit. Abundè similes vicissitudines in pluribus senibus quotidiana docet experientia, qui vt corpore flaccidi, ita & mente deliri sub labentis vitæ catastrophen ad infantium agendi modum relabuntur. Et tu de tuo præsu-

Paulus Iouius in Elegijs.

Plut. in Lucul.

Plin. lib. 27. c. 6.

mere audebis iudicio [quod, si bene iudicas, nihil est] & ex eo cornua tollere, quod tibi non nisi ad delirandum occasionem subministrat? Hoc de tuo iudicio dictum accipe: *si ob tuum iudicium te effers, scito certissimè te carere iudicio:* Etsi enim vniuersim negari non potest, quin subinde aliquis superbus circa actionem aliquam particularem V. G. emptionem, computationem, aliumúe similem actum, bonum habeat iudicium, tamen res monstro similis est, quempiam superbum, vt talem, sano pollere iudicio. Qui recto vtitur iudicio, perbellè seipsum cognoscit; superbus autem extremè se ignorat: certissimò autem scire debes, vt sæpius suprà dictum, & infrà dicendum est, quòd superbia & stultitia ita arcto inter se adstrictæ sint vinculo, vt vix vllo casu ab inuicem diuelli possint Et quemadmodum Humilitas fidelissima est sapientiæ, aliarumque virtutum comes, ita superbia stultitiam aliaque vitia nunquam non comitatur. Quare quicunque recto vtitur iudicio, non solùm fugit superbiam, sed omnibus viribus studet Humilitati acquirendæ.

tam

tam parum enim è bono iudicio superbia, quàm è sapientia amentia, quàm ex vrtica rosa, quàm ignis ex glacie oriri potest. Caue ergo, ne ob iudicium tuum te efferas; quia præterquam quòd te efferendo, æternis addiceres supplicijs, etiam in hac vita apud sapientes stultus habereris.

De exinanitione bonæ memoriæ.

SECTIO XLII.

MEmoria est excellens Dei donum, ad acquirendas copiosè spirituales diuitias: & si lingua pari cum ea polleat facultate, aptissimum instrumentum ad easdem vtiliter distrahendas & diuendendas in auribus mortalium: sed longè minus se habentem inducere debet ad superbiendum, quàm bonum ingenium, & bonum iudicium: penes enim hæc duo totius gubernandæ domus residet potestas, & dominium; penes illam autem non nisi ancillæ ministerium: hæc sunt columnæ ac bases quibus tota innititur domus; illa non est nisi cella vinaria aut granarium. Hæc demum, ingeni-

V. 3. grad. §. 11.

um nempe & iudicium sunt animæ caput, memoria solùm venter. Equidem homo cui minus felix est memoria, in suis discursibus nonnihil retardatur, sed tamen, si bono præditus sit iudicio, non desinit ob hoc inter sapientes suum tenere locum; at verò exigui ingenij homo, similis est pygmæo; exigui autem iudicij propemodum bestiæ. Quid causæ habes, ô homuncio superbule, ob præstantiam memoriæ tuæ te extollendi? tamné eris perfrictæ frontis, vt audeas de excellentia tuæ ancillæ gloriari, cùm eius tu pessimus existas dominus? de magnitudine cellæ omni vino carente? de capacitate granarij frumento destituti? sed, amabò, quid aliud est illa tua fœcunda memoria, quâ tu inflaris, quàm venter quidam spiritualis? Certè non potes alio hic nomine gloriari, quàm quòd graui oneratus incedas ventre; si memoriam varijs rebus refertam habeas, carens interea ingenio quod eas digerat, carens iudicio, quod eas tempore & loco depromat, nonné gestas turrim Babel, & confusissimam confusionem in tuo capite, in stomacho autem collectionem

Quint. lib. 11. ca. 2. de memoria Simonidis & Cic. 2. de Orato.

nem mille cruditatum spiritualium, quæ & te tibi ipsi grauem, & alijs molestum reddent, quando ijs voles te exonerare? Ferunt Themistoclem ita felicem memoriam nactum fuisse, vt inter cætera, suorum omnium ciuium nomina posset memoriter recitare: quâ tamen tantùm obest, vt delectaretur, vt eam ob infinita, quæ in anima experiebatur obiecta sibi molesta, voluisset sepultam obliuione sempiternâ. Vnde contrarias ijs, quas nonnulli adhibere ad memoriam excolendam & augendam solent, artes adhibebat, vt multa sibi aduersa obliuisceretur. Et verò nisi linguæ promptitudine & gratiâ dicendi atque agendi ita polleas, vt eo beneficio, quæ memoriâ complexus es, suauiter & decorè efferre possis, in animosque audientium influere, erit tua illa memoria instar infundibuli molendinarij, quod quidem in se infusum emittit frumentum in centrum lapidis molaris, sed si molendi desit scientia, nulla, aut vix vlli hominum vsui conficitur farina; tu verò cum tua illa, quâ gloriaris fœcundâ memoriâ, eris alter frænatus Pasquinus, qui cùm rebus

1. Themistocles omnium ciuium nomina perceperat. Cic. de senect.

Cic. Acad. lib. 2. & 2. de orat.

nouis & cogitationibus in hominum notitiam irrumpere volentibus plenissimum se animaduerteret, & eas nequiret efferre, appendit balteo suo volumen, in cuius exteriori parte maiusculis scriptum erat *CREDO.* tandem vt hanc de memoria concludam sectionem, habeas licet ita felicem, ita feracem memoriam, vt quæcunque audieris, legeris, fideliter, absque errore, sursum & deorsum versus recitare valeas; sis denique omnibus hominibus admirationi, & stupori propter memoriæ tuæ immensam capacitatem, nonné æquè procliue est, vt eam amittas atque ingenium & iudicium? & ita quidem amittas, nullius vt omnino rei sis memor. Ita nostris sæculis euenit Georgio Trapedoncio viro doctissimo, & in disciplinis versatissimo, qui in grauescente senectute ita omnia tradidit obliuioni, vt nihil vnquam didicisse videretur. Idem euênit temporibus Ciceronis Orbilio pupillo excellenti Grammatico: idem & Messâlæ præclaro oratori, qui graui morbo afflictus etiam proprij nominis non recordabatur. Et tu intolerabili superbiâ, & insolentiâ

Plin. l. 7. nat. hist. c. 24.

solentiâ plusquam stultâ te efferre audebis, ob animæ dotem, quam si bene perpendas, ita inconstans est, vt singulis momentis ea perdi, & te vnà simul, si pergas superbire, perdere possit.

Qualiter se humiliare debeant docti.

SECTIO XLIII.

POst animæ dona à Deo homini collata, beneficio naturæ, quæ & ideo naturalia dicuntur, vti superius commemoraui, sequuntur *Acquisita*, ab eodem etiam Deo homini communicata: sed ipsius hominis, ordinariè loquendo, interueniente aliquo labore, studio & exercitatione, iuxta S. Iacobi dictum: *si quis indiget sapientiâ postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter.* Iacob. 1. 5. *Huiusmodi autem dona sunt scientiæ & artes, cognitio rerum vniuersalium, & actionum humanarum, quæ in Academiis & schola experientiæ addiscuntur.* Ea sunt veluti animæ lucra, diuitiæ spirituales, & ornamenta ingenij, iudicij, ac memoriæ, *vestis nuptialis & stola iucunditatis.* dona Dei prorsus maxima, mediaque ad ei

seruiendum aptissima. Ad bonum autem spirituale proximi promouẽdum, si ijs bene vtaris, instrumenta perquam commoda; sed ô malum! nonnulli spiritu imbecilliores hinc arripiunt occasionem se aliquid æstimandi & super alios extollendi. Quod bene notauit
1. Cor. 8. 1. Apostolus, quando dixit: *scientia inflat*, quod est dicere, præbet ansam ijs, qui eam quærunt, se ignorandi, & seipsos insipienter extollendi. Atqui vtinam quotidiana experientia ita se rem habere, vt dixit S. Paulus, nos non edoceret! Ea, ea fuit antiquorum Philosophorum, ac mundi, vt putabantur, sapientium, vna & præcipua infirmitas, qui cùm progressum aliquem in cognitione rerum creatarum fecissent, & earum creatorem *Deum cognouissent, non sicut*
Rom. 1. 21. *Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes se sapientes, stulti facti sunt.* Quod est dicere: postquam, ob suam scientiam, elatè ac nimis magnificè de se sentire ceperunt, *stulti facti sunt*. iuxta naturam & inseparabilem superbię ac stultitię productionem: quæ inuicem se progenerant,

rant,

rant, & progeneratæ assiduè concomitatur. vt dictum est supra. Agedum quando & scripturâ & experientiâ deprehendimus, homines scientiâ inflari; quæ præscribis remedia aduersus hoc malum? Non alia quàm quæ generatim contra superbiam ex Dei donis, maximè animæ, prouenientem annotauimus sectione 37. nimirum exactam de ijs nobis reddendam rationem, & quò maiori scientiâ cōspicuos & exornatos nos aduertimus, eò arctiori debito nos obligari, ad Deum, & nos ipsos sincerè cognoscendos, ac ob vtriusque cognitionem nos humiliandos. Quod animæ suæ optabat D. Augustinus quando dicebat: *Nouerim te Domine, nouerim me sine te nihil esse!* Ad diuinæ iustitiæ tribunal humilibus, & ignaris aliquis erit misericordiæ locus, at verò cum doctis, qui pleno die errârunt, qui plenâ scientiâ Dei leges, ac naturæ vel neglexerunt, vel contempserunt, districtissimâ agetur iustitiâ: & implebitur illud: *potentes potenter tormenta patientur.* & illud: *seruus qui cognouit voluntatem Domini sui, & non fecit, vapulabit multis.*

S. Aug. in Soliloq.

Sap. 6. 7.

Luc. 12. 47.

Digitized by Google

Creaturæ condemnabunt doctos altè sapientes.

SECTIO XLIV.

CÆlum, terra, & creaturæ aliæ condemnabunt litteratos superbos, quarum illi notitiam habuêre, eò quòd beneficio scientiæ, quam de earum essentia, bonitate alijsque pulcherrimis qualitatibus habuerunt, in cognitionem creatoris totius vniuersi, operibus substantiâ optimis; numero infinitis, & bonitate admirandis plenissimi, non magno negotio si voluissent, peruenire potuerint: Omnia siquidem creata manifestæ sunt notæ, & expressa illius potentiæ, liberalitatis, excellentiæ, ac sapientiæ vestigia. Quæ vestigia, si sequuti fuissent, sufficiebant ad eos inducendos in eorum creatoris admirationem, amorem, timorem, laudem & venerationem. Repeto, cæli & astra, quorum præstantissimas essentias cognouerunt, motus commensurarunt, virtutes, proprietates, influentias, vt vocant, perspe-

ctas

ctas habuerunt, eos condemnabunt; si occasione acquisitæ de ijs notitiæ superbierunt, & per superbiam, detestabilem damnatorum NOTAM, suo creatori, loco gratiarum actionis per humilitatem exhibendæ, ob dona ab eo accepta, vt iurati hostes bellum indixerunt. Eos condemnabunt elementa, ignis, aër, aqua, terra; condemnabunt animalia, quæ terram terunt, aues, quæ per aërem volitant; pisces qui vndas secant; leones, vrsi, reliquæque animantes, terrestris mundi species, eos ob superbiam & ingratitudinem de acceptis beneficijs, vt stultos ex sapientibus factos, vnanimi consensu detestabuntur. Quare vt hæc euitentur mala, homo doctrinâ conspicuus, seipsum humiliet, superbiam detestetur; se deteriorem omni cum sua sciẽtia existimet, quàm si rerum omnium ignarus esset, se pauperem, mendicum, indignumque omnibus bonis arbitretur, & verò etiam vt talem, se contemnat; Deum autem bonorum omnium fontem & auctorem laudet. Isthæc est SCIENTIA SANCTORVM, quæ hominem homini, vti est, ostendit, Sapientiæ 10. 1[?].

quæ

Creaturæ condemnabunt doctos altè sapientes.

SECTIO XLIV.

CÆlum, terra, & creaturæ aliæ condemnabunt litteratos superbos, quarum illi notitiam habuêre, eò quòd beneficio scientiæ, quam de earum essentia, bonitate alijsque pulcherrimis qualitatibus habuerunt, in cognitionem creatoris totius vniuersi, operibus substantiâ optimis; numero infinitis, & bonitate admirandis plenissimi, non magno negotio si voluissent, peruenire potuerint: Omnia siquidem creata manifestæ sunt notæ, & expressa illius potentiæ, liberalitatis, excellentiæ, ac sapientiæ vestigia. Quæ vestigia, si sequuti fuissent, sufficiebant ad eos inducendos in eorum creatoris admirationem, amorem, timorem, laudem & venerationem. Repeto, cæli & astra, quorum præstantissimas essentias cognouerunt, motus commensurarunt, virtutes, proprietates, influentias, vt vocant, perspe-

ctas

ctas habuerunt, eos condemnabunt; si occasione acquisitæ de ijs notitiæ superbierunt, & per superbiam, detestabilem damnatorum NOTAM, suo creatori, loco gratiarum actionis per humilitatem exhibendæ, ob dona ab eo accepta, vt iurati hostes bellum indixerunt. Eos condemnabunt elementa, ignis, aër, aqua, terra; condemnabunt animalia, quæ terram terunt, aues, quæ per aërem volitant; pisces qui vndas secant; leones, vrsi, reliquæque animantes, terrestris mundi species, eos ob superbiam & ingratitudinem de acceptis beneficijs, vt stultos ex sapientibus factos, vnanimi consensu detestabuntur. Quare vt hæc euitentur mala, homo doctrinâ conspicuus, seipsum humiliet, superbiam detestetur; se deteriorem omni cum sua sciētia existimet, quàm si rerum omnium ignarus esset, se pauperem, mendicum, indignumque omnibus bonis arbitretur, & verò etiam vt talem, se contemnat; Deum autem bonorum omnium fontem & auctorem laudet. Isthæc est SCIENTIA SANCTORVM, quæ hominem homini, vti est, ostendit, Sapientiæ 10. 10.

quæ eum dirigit in terra, & ad cælum vsque erigit eleuatque. Sine ea enim omnis scientia humana, est velut serpens in sinu dormientis; gladius in manu frænetici, lætiferum semen iactum in agro animæ, & tandem maxima æternæ condemnationis occasio omnibus ijs, qui docti sunt & simul superbi.

Vide prouerb. 65. Chil. 2. cent. 3. Delphicus gladius.

Vanitas scientiarum ostensa auctoritate eorum, qui doctrinâ eminent.

SECTIO XLV.

QVisquis scientiam profitetur, eâ & ad humilitatem acquirēdam; & ad suum nihil perspicuè cognoscendum (factâ consideratione accuratâ vanitatis scientiarum in communi) vti poterit: si etenim ob scientiam suam, solidis quantumuis videatur niti fundamentis, se humiliare debet, certè multò magis, si aduertat omnem omnino huius inferioris mundi scientiam esse velut leuissimam vilioris metalli bracteam, monetam exigui admodum pretij & ponderis, si ad

Lydium

Lydium vt aiunt, lapidem examinetur, & bilance sinceræ iustitiæ ponderetur. Quod ita se habere tribus modis seu vijs cognosci potest. I. auctoritate eorum, qui passim habentur in classe illorum, qui scientias callere iudicantur. II. experientiâ. III. ratione.

I. declaratur: Aristoteles calculo omnium rectè sentientium profundissimus subtilissimusque Philosophus, si quis vnquam alius, creditus, postquam multa philosophatus fuisset de scientijs humanis, concludit *errorem magis proprium esse hominibus, quam scientiam, & non solùm difficile esse scire, sed etiam rectè dubitare, & conuenienter eam inuestigare* Quod vno verbo est dicere, humanam scientiam magis participare de errore, quàm de scientia; & quòd mortales non solùm non sciant scientiæ domicilium, sed ne viam quidem, quâ illud adiri possit. Democritus eam in puteo abditam dicebat. Arcesilas autem, teste Cicerone, omnes res esse incomprehensibiles. Idem dicebant Plato & Heraclitus, si Aristoteli illius discipulo credamus. Idem etiam scripto testatum reliquit Cicero 1. de natura Deorum,

Aristoteles 3. de anima c. 3.

Cic. Acad. 2.

rum,

rum, & secundo de finibus: *non sumus, inquit, ij, quibus nihil verum esse videatur, sed ij, qui omnibus veris falsa quædam adiuncta esse dicamus, tantâ similitudine, vt in ijs nulla insit certa iudicandi & assentiendi nota.* Vnde Academicis omnia erant dubia & ambigua, nihil affirmantibus vt verum, nihilque negantibus vt falsum; alij nonnulli omnia volebant vera esse, alij verò omnia falsa iuxta opinionem, quam quisque sibi fingebat.

Nic. sect. 48. Laudatur Themistius, egregius sui temporis Philosophus, quòd dixerit, *maximam partem eorum quæ scimus, esse minimam eorum quæ ignoramus.* Hæc affirmans, dicere volebat: quòd, si rem vnam aliquam sciamus, mille alias esse, quas ignoremus. & quòd nostra scientia ignorantiæ comparata, vix sit instar grani millij collati maximo monti. Age ergo, vir literate, recipisne consilia sapientum? credisne doctis? certè si recipis, si credis, credere etiam debes te admodum ignarum, longéq; à vero aberrantem, si contingat te ex tua scientia (quæ iuxta sapientum & doctorum scientiam, mera est ignorantia) superbire.

Vanitas

Vanitas scientiarum ostenditur experientiâ.

SECTIO XLVI.

AGedum, experientiæ rerum singularium Magistræ (quæ pertinacissimos quosque humiliat, & docet non solùm sapientes, sed etiam stultos) fidemné adhibes? Vidésné opinionum varietatem, quæ in quaq; scientia, atque adeò in ipsa Theologia, si fidei articulos excipias, reperitur? Testis sit tibi *Logica*, *Physica*, *Metaphysica*, *Astrologia*, *Musica*, *cæteraq́; scientiæ*, in quibus difficultates, nunquam euacuandæ, reperiuntur innumeræ. In primo statim cuiusque scientiæ aditu certatur disceptaturque accerrimè de eius subiecto, dicentibus his hoc esse, alijs aliud asserentibus. Logicorum exempli causâ aliqui operationes intellectûs pro obiecto statuunt; alij argumentationem adstruunt; nonnulli etiam ens rationis; alij aliud quippiam obiectum Logicæ esse affirmant. Inter Physicos eodem modo certamen

Diuersæ opiniones de subiecto scientiarum. inter Philosophos, &c.

&

& diuersitas opinionum inuenitur: dum aliqui corpus naturale suæ scientiæ obiectum esse volunt, alij contrà pro aris & focis certant, vt corpus mobile pro subiecto agnoscatur & statuatur. Sequuntur hos reliqui omnes, qui in ingressu statim & egressu suæ scholæ de porta dubitant & inquirunt, omnesque alios per eam, quam quilibet reperêrit, vult intrare. Et cùm ab ipsis statim carceribus ceperit, ad metam vsque stadij continuatur certamen. Nec inter Philosophos solùm geritur bellum, sed inter infimos etiam Grammaticos, de verbis, aduerbijs, nominibus, pronominibus, alijsque suæ artis partibus acerrimè dimicatur. Cùm autem non nisi vna veritas in natura & essentia cuiusque rei esse possit, manifestum est inter mille diuersas, vna de re, opiniones, vnam tantùm esse veram, alias autem nonaginta nouem esse falsas. Hæc cùm ita se habere necessum sit, te liberaliter eruditum & callentem Logicam, Physicam, Astronomiam, Theologiam, vel quamcunque scientiam aliam, ob quam cristas erigis, in iudicium voco: enunciato

Vnica vera.

quam

quam tu è mille teneas opinionem? si tu primæ, aut vltimæ, aut mediæ, alijs omnibus reiectis, adhæreas, certusné es tuam esse veram? Quis te eam esse veram edocuit, securumué de ea reddidit? sin autem falsa sit, vt esse potest, cur de ea superbis, & galli instar cristas attollis? si verò omnibus adhærescis, nonné animaduertis in tuo cerebro plurimas reperiri opiniones sibi inuicem repugnantes, easque non minus stultas, quàm falsas?

Hæc eadem experientia tibi, si bene aduertas, monstrat scientiarum vanitatem in plurimis rebus, temporis successu deprehensis veris, quæ falsæ habebantur, & viciffim falsis, quæ verissimæ credebantur. Olim doctissimi quique erroris damnabant eos omnes, qui Antipodas esse asserebant; item, eos, qui terram circa Zonam mediam, inter tropicos seu torridam, aptam hominum habitationi esse dicebant; nostro autem æuo, qui oculis Antipodas viderunt, manu palparunt, comedentes, bibentes, ambulantes, plantas nostris oppositas, terræ, vti nos, figentes, cælos supra capita habentes, con-

S. Aug. l. 16. de ciuit. c. 9. & Lactant.

uersantes, commercia tractantes, cæteras actiones humanas contemplati sunt, esse nobis retulerunt; deprehensum item in infinitis propè locis, quæ ambit Zona torrida, esse spatia *hominum habitationi non solùm idonea, sed etiam omni deliciarum genere affluentia.* Qualis ergo erat eorum scientia & opinio, qui pro deliris habebant eos, qui & Antipodas esse, & loca vitæ humanæ commoda Zonæ torridæ subiecta asserebant? Et qualis nunc est, & erit tua postea, quando experientia NASCITVRIS deteget pleraque eorum, quæ asseris falsa, fuisse verissima, & quæ vera, falsissima? Et tu nihilominus ob tuam scientiam, certitudine solum imaginariâ veram, vanissimè insolescere audebis?

Eadem vanitas scientiarum ostenditur ratione.

SECTIO XLVII.

V. G. 2. f. 30. QVisquis humilitatem virtutem diuinam minoris æstimas scientiâ humanâ, cohibe paululùm super propositum thema cognitionis

tuæ

tuæ impetum, prudenterque ratiocinando recognosce scientiarum vanitatem, vt inde te demittas, vnde extollendi te occasionem accipiebas: perpende exilitatem tarditatemque ingenij humani ad multa addiscenda; infirmitatem ad rerum essentias penetrandas, sint quantumuis clarissimæ. Vnde non immerito dixit Aristoteles *mentem humanam ad scientias capessendas ita se habere, sicut se habet oculus Vespertilionis ad intuendum solem.* Accedit, quòd illa, nempe mens humana, præter innatam sibi debilitatem, inclusa sit corpore, cuius infirmitate, aut nimio vigore, in suis functionibus, sicut & passionibus, amoribus, molestijsque alijs operando præpediatur. Quo in statu existenti animæ, tanquam in obscuro ergastulo, multa, antequam cognitionem rerum materialium, vt taceam supernaturalium, consequatur, sustinenda sunt. Adde quòd sensuum ministerio & suggestione (qui sæpe fallunt) velut scientiæ suæ obiecto vti cogatur. Oculus dicit illi solem in diametro non esse nisi pedalem, cælum esse cæruleum, oceanum viridem. Irim in cælo exi-

Aristot. 2. met. 1.

Sol 166. maior terra, Clauius in spera c. 2.

stentem flauam, viridem, rubram, & plures huiusmodi, qui solùm apparentes sunt, habere colores; qui tantum abest vt ad cognitionem rerum percipiendam iuuent, vt potius erroris præbeant occasionem. Quòd si passiones ira, amor, cæteræque carnis furiæ, rectæ rationi oppositæ impediunt non solùm ne veritatis lucem intueatur, sed horribiles etiam ac monstrosas ei imprimunt imaginationes. Testis est Aiax, qui furens cholerâ contra Vlyssem aduersarium suum, adeo interior passio, eius fascinabat oculos, vt porcos interimens, crederet se Vlyssis milites interimere. Quot putas superbia & amor proprius obtrusit falsa loco verorum? quot sparsit & disseminauit hæreses pro diuinis mysterijs? Inter tot infirmitates, tot incommoda, tot tenebras, tot impedimenta corporis & animæ, quî vel minima aliqua pura ab omni falsitate scientia ex creaturis haberi poterit? si tamen quempiam tantillam acquirere contigerit, tamné erit demens, vt tam exiguâ possessione superbiat?

Continuatio eiusdem argumenti super naturam creaturarum cognitu perdifficilem.

SECTIO XLVIII.

DEmus hominem carere omni imbecillitate ac infirmitate ingenij, imò magnâ perspicacitate, promptitudine, ac subtilitate ad discurrendum de rebus creatis præditum esse, earum tamen essentiæ, causæ, formæ ac proprietates ita remotæ sunt ab oculis, ita profundè latent abditæ, vt neq; aurum, neque argentum intra terræ viscera ita abstrusa deprehendantur, atq; materiæ & obiecta scientiarum. Illa enim, accedente manu & arte humanâ, deteguntur, & è suis latibulis in hominum vtilitatem eruuntur; hæc tot coaceruatis corticibus inuoluta sunt, vt nemo omnium Philosophorum hactenus inuentus sit, qui vel vnicam ex infinitis totius vniuersi, se essentiam deprehendisse, & euoluisse gloriari possit. Rem miseram, & vt veritati ærumnosam, ita abundè sufficientem ad super-

v. hic s. 45.

cilia & oculos subtilissimorum quorumcunq; mundi huius doctorum deprimenda, non inuentum fuisse hactenus hominem, qui vel comprehendere vel exponere, *imò vel intelligere potuerit formam & materiam*, non dico solis cælo fixi, non leonis in terra gradientis, sed ne *passeris quidem in tectis nidificantis, aut muris*, aut, quod magis mirandum est, ne vnius acari formam aut naturam comprehendere aut intelligere, longè minus explicare potuerit! Aristomachus Cyprius, vt refert Plinius totos quinquaginta annos; Philuscus autem Tatianus totam consumpsit vitam, obseruando apum actiones, quò in plenam earum naturæ cognitionem deuenirent. Verùm neque illi, neque alius quispiam attulit vnquam definitionem, quá istorum animalculorum essentia declararetur. Aliquidné magis obuium reperiri potest muscâ? Et tamen quis Philosophorum vnquam ita scientiâ excultus, repertus est, qui eius naturam, corpus, atque animam penitus cognôrit? modum alarum penetrârit? iuncturas connexionesque membrorũ intellexerit, exempli causâ

Lib. 11. c. 16.

formam

formam capitis? maſſam linguæ? motûs originem? machinas interioris conſtitutionis, quibus agentibus intus, rotat caput, gyrat oculos, & totum librat corpuſculum in quamcunque libuerit partem? quis ex proprijs cauſis enunciabit, quomodo ſtet recta ſupra tortuoſos pedes? quomodo ſupra aliquam tabulam, aut rem quamcunque planam tam celeri, & quaſi commenſurato paſſu feratur, non ſecus atq; nauis remis aut vento impulſa in Oceano? quomodo ſua cruſcula anteriora & poſteriora intrîcet, eleuans ea ſuper caput & crepidinem, quò acuat roſtra, & capiat impetum ad volandum? Etſi vnius generis muſcarum perfecta ſcientia, quæ ordinariè volitando nobis oberrat ante oculos, haberi nequit, quomodo aliarum creaturarum, quas vnquam vidimus, quæ & genere & numero penè ſunt innumerabiles, habebitur? Ecquid rogo ſunt muſcæ infinitis alijs creaturis comparatæ? Et homo in his ignorantiæ anguſtijs conſtitutus, de ſua ſcientia audebit ſuperbire? Et non potius, ſi quicquam in eo remanet frontis, & iudicij, accipiet occa-
 ſionem

sionem se humiliandi, dum tot & tantas aduertit creaturas, quarum nę vnius quidem naturam integrè potest cognoscere, & quòd in vnaquaque plura ignoret, quàm sciat? Etenim si in aliqua earum, sole exempli causa, rem quampiam cognoscat, mille alias in eadem ignorat. Vnde si eius ignorantia comparetur scientiæ, *erit instar arenulæ maximo monti collata*, vt dicere solebat Themistius Philosophus suprà citatus. Vt ergo breuiter dicamus. Perfectissima hominis scientia est *cognoscere se nihil scire*. Quod erat symbolum Socratis, sui temporis totius Græciæ sapientissimi: *hoc* inquiebat in congressibus *vnum scio, me nihil scire*. Quid aliud sibi volebat quàm hoc: mea scientia longè lateq́ue gentium diuulgata, & plerorúmq́ue hominum ore celebrata, aliud non est, quàm sincera meæ ignorantiæ notitia. Dictum profectò dignum, quod aureis litteris in omnibus Christianorum scholis inscribatur. Si igitur solida scientia est scire, quod nihil scias, equidem vanissima superbia erit nihil scire, & credere se multùm scire: item arrogantia intolerabilis nihil

Cic. 1. Acad.

omnino

omnino scire, & putare se omnia scire. Vlterius, erit suprema stultitia in extremis abyssi & ignorantiæ tenebris delitescere, & æstimare se lucere vt alterum solem. Audiat is Sanctum Paulum *qui se existimat aliquid scire, nondum cognouit quemadmodum oporteat eum scire.* 1. Cor. 8. 2. Vult dicere Apostolus: Homo arrogans qui sibi persuadet se aliquid scire, non tantum nihil scit, sed ne modum quidem, quo ad scientiam perueniatur, nouit. Etsi rudi & vulgari similitudine explicare velis, tantum abest, vt talis sit in ciuitate, vt ne suburbia quidem attigerit, imò nec viam ad ciuitatem nouit. Si Apostolus ita de eo, qui aliquid solùm se scire existimat, loquitur, quid diceret de eo, qui multa; Et quid de eo, qui omnia se scire arbitratur?

Homo doctus & superbus simulacrum est Diaboli.

SECTIO XLIX.

NE omnem omnino hominem nimiæ arguamus ignorantiæ, demus

mus aliquem plurima ſcire, & adinſtar Angelorum omnes totius vniuerſi ideas ſuo cerebro tenaciſſimè impreſſas habere: ſi is cum ampliſſima illa ſua ſcientia, ſuperbus eſt, nonné ſimillimus eſt dæmonibus, qui teſte Augu-ſtino, ideo hoc nomen ſortiti ſunt, quia ſimul docti & ſuperbi ſunt. Quid cenſes? nonné hic noſter homo tantò magis accedit ad ſimilitudinem nequiſſimorum ſpirituum, id eſt dæmonum, quantò doctior & ſuperbior deprehenditur? Qui cùm beneficio creatoris habeant omnium creaturarum ſcientiam, nunquam tamen non ſunt ſuo creatori rebelles. Quod ſi is, qui multùm participat de ſcientia & ſuperbia, etiam multùm de re & nomine dæmonis diaboliqúe participat, quid dicendum erit de eo, qui & ignauus & ſuperbus eſt? nonné is & ſtultus verè & diabolus eſt? imò nonné is longè peior eſt diabolo, qui ſuperbus quidem eſt, ſed multa rerum pollet ſcientiâ & veritate?

Lib. 9. de ciuit. Dei c. 2.

Plato in Cratylo.

Lactant. lib. 2.



Vera-

Vera scientia comitem habet Humilitatem.

SECTIO I.

POsitis ijs, quæ hactenus dicta sunt, concludo hominem ingenio & iudicio promptum, scientiæ suæ indies addere incrementum, tum cognitione sui nihili, tum progressu in Humilitate. His enim duobus, nempe COGNITIONE SVI, ET HVMILITATE tanquam solidis fundamentis innixa eius scientia euadit solida & firma. Et sanè quotidiana docet experientia, *eos, qui praeunt alios doctrinâ, similiter etiam praire humilitate.* Tales fuêre D. Augustinus, D. Gregorius Nazianzenus, & alia Ecclesiæ lumina. Tales etiam olim in Religiosis familijs Doctores, S. Thomas de Aquino in familia Patrum Prædicatorum. S. Bonauentura in familia Diui Francisci Magnus Magister, & postea Cardinalis; alijq; in alijs non pauci olim extitêre. Et verò etiam nunc Dei benignitate existunt. Etsi meæ obseruationes ad rem præsentem

præsentem ostendendam aliquid momenti & ponderis adferre possunt, in hac *Minima societate*, in qua Dei beneficio vixi 48: annos) complures viros religiosissimos noui, qui quò doctiores, eò etiam humiliores erant. Noui in particulari in Francia (licitum enim est laudare mortuos) Ioannem Maldonatum natione Hispanum, qui non immeritò inter doctissimos sui temporis est habitus. de eò illud ausim affirmare, quòd in eo non solùm certârit humilitas cum scientia, sed eam etiam longè superârit. Credidisses viuum Leonem in carne, sed agnellum in conuersatione; plusquam Magistrum in docendo & disputando, sed minus quouis Nouitio cum suis fratribus familiariter conferendo. Quæ [illegible]rtus omnes, qui eum intimè nôrant, mirè ei conciliabat, & in admirationem rapiebat, vti quodam die magnum illum Ca[illegible]lum, gloriosæ memoriæ, Cardina[illegible]m à Lotharingia rapuit. qui, dum vni eius prælectioni Parisijs anno 1566. interfuisset, conferendo deinde familiariter cum Patre Præposito Prouinciali, admirans retulit, se quidem multos viros

R. Maldonati Laus.

doctos

doctos vidisse, sed neminem doctiorem, & humiliorem simul Patre Maldonato. Noui *Iacobum Tyrium ex Scotiâ oriundum*, qui pluribus annis sub idem tempus Philosophiam docuit Parisijs, ac postea etiam magna cum doctrinæ existimatione sacram Theologiam; erat is summè humilis, si quid ei proponebatur, quod eum lateret, liberè fatebatur se id nescire: quod hisce auribus audiui. Danti mihi tunc temporis operam Theologiæ aliqua incidit dubitatio, ex qua cùm me expedire vellem, eum accessi quærens solutionem, à quo cùm mihi responsum esset, ne se quidem illud, quod quærebam intelligere, maiori satisfactione ab eo recessi, quàm ab omnibus alijs. qui tamen & ipsi conformiter quæstioni propositæ respondebant. Noui *P. Iacobum Sales patriâ Aruerniensi pro fide Catholica Aubenate anno domini* 1593. *occisum*. Erat is Philosophiæ & Theologiæ aliarumque disciplinarum Professor eximius, nec non plurium linguarum apprimè gnarus; sed Christianâ & religiosâ humilitate prorsus insignis. Noui & hic Romæ *Chrystophorum Clauium*, ex inclyta natione

P. Chrystophori Clauij Laus.

natione Germanica, quem vniuersa Europa ex multis sæculis agnoscit Mathematicorum Principem, ob admirandas res, quas adinuênit, & adinuentas typo excusas posteritati tradidit: tantus is fuit humilitatis cultor, vt neque se, neque suam scientiam vel hili videretur æstimare. Noui & alios doctos & humiles vitâ iam functos, sed relatione tantùm: at quos nominaui, coràm præsens ego ipsemet vidi. Nosco etiam nunc complures in viuis, quos prętereo tacens, ne, si eos nominem, rubore suffundantur. Sat est dicere, quòd ad vnum omnes in mea me assertione confirmârint. Quòd quantò homo est doctior, tantò debet, & verò, si sapit vt oportet, solet humilior esse in oculis suis.

Causa autem huius humilitatis, si eam inuestigare velimus, talibus in hominibus alia non est, quàm ingenij & iudicij præstantia cùm assistentia gratiæ Dei. dum enim scientiæ, quam mortales nonnulli in hac vita indipiscuntur, naturam & exiguitatem ex vna parte considerant; & ex altera latitudinem ignorantiæ accuratè discutiunt,

tiunt, & conferendo granum cum palea, clarissimè despiciunt id, quod suprà dicebatur, nempe pro vna re, quam perspectam habent, mille alias se ignorare. Vnde edocti scientiam propriæ ignorantiæ, in seipsis se humiliant, & dum ab hominibus docti nuncupantur, erubescunt, reputantes in corde suo, se nihil solidè scire, præter suam ignorantiam; contrà qui obtusioris sunt ingenij, quocunque vanitatis vento abripiuntur. non secus atq; arundo in aliqua palude, aut nauis in medijs oceani vndis, absque onere & saburra constituta. Et quamquam tales exiguam admodum de rebus calleant scientiam, plus tamen cæteris se intelligere existimant: & tam ob inscitiam, quàm scientiam se extollunt: contrà verò sapientes ob vtrumque se demittunt. Vnde res, quæ hebetis & stolidi ingenij est causa superbiendi, ea ipsa ingeniosis & solidæ doctrinæ hominibus instrumentum est ad Humilitatem sectandam, & ad generosè contemnendum quicquid alij in ijs admirantur. Quò fit, vt magis & magis semper confirmetur quod suprà dicebam,

bam, nimirum stoliditatem & superbiam simul ambulare, & simul quie-
v. hic s. scere, quemadmodum humilitas & sa-
23. 24. pientia eâdem in sede semper commo-
25. rantur.

Eloquentia magnum est Dei donum.

SECTIO LI.

VT ex eloquentia materies & occasio exercendæ humilitatis eliciatur, necesse est eius præstantiam cognoscere. Ea ergo in sua puritate & natura considerata vnum est è pulcherrimis donis, quæ Deus mortalibus elargitus est. Cùm enim discursus sit velut proprius animæ rationalis surculus, qui & hominem nobilitat, & excellentiorem quauis creaturâ corpore præditâ, imò & hominem vnum alio reddit superiorem, sequitur facultatem bene dicendi & sapienter discurrendi, esse nobilissimum quoddam animæ ornamentum, quod se habentem non solùm super irrationales creaturas, sed etiam super homines ipsos, dum eum supra communem hominum

v. g. 3. s. 36.

aliorum

aliorum sortem, quiddam excellentius facit apparere; *equidem mihi res semper visa est diuina humanè, & humana diuinè, ingenio & linguâ scire rem aliquam tractare ex dignitate*; PRIMÒ pulcherrimis sapientissimisque cogitationibus illam in animo concipere, DEINDE conceptam bono ordine distribuere, distributam idoneis verbis, ac sententijs eloqui; TERTIÒ fideli memoriæ committere; QVARTÒ cum vocis moderatione, totiusq; corporis decenti motu, atque dignitate, nec non audientis voluptate pronunciare; nouas opiniones, eiectis antiquis, animo ingenerare; rigidas voluntates inflectere, & in quamcunque libuerit partem torquere; tortuosas & deuias corrigere, in viamque reducere; POSTREMÒ suadere quod velis, & dissuadere quod nolis cum audientium applausu, quis rogârit quoddam potentiæ diuinæ op9 esse? Deus sacri oris sui voce creauit mundum, & verbo omnipotentiæ suæ produxit vniuersa: idemque quando hominem beauit facultate loquendi, eundem omnipotentiæ suæ imagine vocali dotauit. Per eam siquidem modo

Partes eloquentiæ. Cic. 2. de inuent. 1. de orat.

Effectus eloquentiæ.

quodam efficitur is, qui & omnia possit, & omnia patret. Philosophi & Poëtæ eloquentiæ donum ac potentiam admirandis fictionibus extulerunt; modo Orpheum syluas ac saxa suæ lyræ cantu mouentem, fluuiorum cursûs prohibentem, feras mitiores reddentem, effingentes. Talibus picturis denotare volebant res admirandas, & miracula suauiloquentiæ, quæ ferocissimos mortalium reddit mites; syluis & saltibus assuetos, ad vitæ humanæ consuetudinem adducit; efferatos & rebelles mansuefacit, & in ciuilium legum concordiam suauiter propellit: modò inducunt Herculem Francicum huc & illuc pro libitu trahentem populos, auribus alligatos aureis catenulis ex eius ore prodeuntibus. Fictio hæc nihil aliud sibi vult, quàm quod superior denotat, nimirum vi eloquentiæ ita trahi cogiq; hominum voluntates, vt sapientûm consilium libenter amplectantur. Deus bone, quantâ opus esset eloquentiâ, ad ipsiusmet eloquentiæ vires repræsentandas? Equidem neminem de ea satis copiosè, & pro eius dignitate loqui posse existimo, præter illam ipsam,

Horat. in arte Poetic. l. 1. carm. Oda 12. & 25. V. Alciat. embl. 108. Adag. 476. cent. 5. Chil. 6.

ipſam, quâ de agimus, eloquentiam. Neque quis exiſtimet velim, me hic eius excellentiam & præſtantiam exponere, ſed ſolummodo hoc mihi propoſitum eſt, ijs, qui eam poſſident, oſtendere modum, quò ex hoc ipſo ſe humilient, & ad vitam proficiant ſempiternam.

In eloquentiæ vſu, & exercitio permagnum eſt periculum.

SECTIO LII.

VT ſalutari cum timore & Humilitate exerceatur ELOQVENTIA, cogitandum inprimis eſt, eam multis fuiſſe occaſionem vt vento ſuperbiæ inflarentur, & inflati turpiſſimè diſrumperentur, ac æternùm perirent. Eò ſcientijs alijs eſt periculoſior, quò magis populari auræ obnoxia, & ad ſe inſinuandum, auctoritatemque apud homines ſibi conciliandam aptior eſt. Homo ſcientijs excultus valet ſeipſum cohibere, quò minus foras erumpat, & ſi etiam ipſe ſuperbiæ vitio laborat, illam tacens fouet in ſinu,

V. g. 2. ſ. 31. & g. 3. ſ. 36.

Complures periêre propter eloquentiam.

Impotens affectus hominis eloquentis.

 gaudens

gaudens apud semetipsum de suæ scientiæ opinione; at verò qui eloquens simul & superbus est, vult loqui in publico, vult merces suas omnibus vænales exponere ac vendere, & id tantò maiori cum desiderio, quantò maiorem de suâ eloquentiâ habet opinionem. Et si res ex voto eueniat, vt nempe libenter audiatur, frequenti auditorio cohonestetur, laudetur, blandè excipiatur, ventoque secundo proue-hatur, passim inuitetur, ambiatur, salutationibus, laudibus & donis honoretur: in hac prosperæ nauigationis aura constitutus, omnia suæ nauis vela expandit, expansa omni vanitatis flatu implet: ipse autem seipso turgescit, & transuersùm actus ventis & vndis popularibus, se, suarum, aliarumque opinionum ac passionum committens ludibrio, inter scyliam & charibdim constitutus non mediocre subit periculum secundæ fortunæ amittendæ, & partæ gloriæ in abyssis intolerabilis arrogantiæ, ac vanitatis suæ vno momento, absque vlla spe emersionis, obruendæ. Quare is, qui à Deo omnis boni auctore consequutus est gratiam

BENE

BENE DICENDI, attentè considerare debet pericula, quæ in eius vsu & exercitatione sunt: vt inde se humiliet, & sapienter in omnibus agat, adinstar periti Naucleri, *qui modico gubernaculo maximas naues à ventis impulsas & decumanis fluctibus agitatas ad optatum portum, dirigendo, feliciter perducit.* Huic considerationi iungendæ sunt sequentes. Prouerb. 18. 21. Mors & vita in manu linguæ Iacobi 3. 4. 5. & 6. 1. 26.

I. est, sibi vt ob oculos ponat linguam à Deo datam non ad superbiendum, non ad colligendum popularem plausum, non ad exercenda instar mercenarij vanitatis commercia; sed ad Deum laudandum, eidemque seruiendum; ad proximo succurrendum, siue id fiat è Cathedra eum informando verâ religione, cæterasque virtutes Christianas docendo; siue in rostris & senatu; siue in familiari colloquio, & quâcunque aliâ occasione defendendo iustitiam. Quòd si ex hoc insolescat & superbiat, si dicat, vt illi ingrati ac arrogantes: *labia nostra à nobis sunt, quis noster dominus est?* illi seuera & periculosa manet reddenda villicationis ratio, grauisque ac ignominiosa incubat mors, quippe qui acceptis à Deo bonis Psal. 11. 5.

 abusus

abusus sit. Et quamquam omnes ingrati, huic pœnæ subeundæ sint debitores, comprimis tamen ij, quos Deus eloquentiâ tanquam cæteris superiores, suoque honori propagando magis idoneos, beauit.

Nihil intolerabilius homine eloquente & superbo.

II. est, vt consideret vlterius, nihil ita abiectum esse, ita humile, vt est homo eloquens & superbus: sua enim superbia eum reddit ambitiosum, inuidum, pusillanimem, inconstantem, impatientem, cholericum, subiectumque vicissitudini plurium ventorum, quàm vllâ marinâ mappâ adscripti & adnotati contineantur; dignum insuper, qui notetur omnibus vitijs, quæ producit superbia: producit autem omnia. Sua ei eloquentia patrocinatur ad omnia scelera, præbetque occasionem & modum perueniendi ad ea, quæ animo sibi designauit. Ideoq; omnia dicit, omnia aggreditur, seipsum admiratur, se magnificat, laudat, ac pauonis instar plumas suas rotat, vt apud homines sit in admiratione, in pretio, in ore, vt merces linguæ suæ vendere possit quocunque pretio, siue id ad replendum marsupium seruiat, siue ad aucu-

aucupandos honores. Quos si adipiscatur, magis inflatur, magis extollitur, leuior & inconstantior efficitur; sin autem à spe sua excidat, incredibili stimulatur inuidiâ aduersus eos, qui se superant opibus, honoreque. quos tamen, suâ opinione, longis parasangis antecellit: versat se in partes singulas, ad dextram, ad sinistram, antè, retrò prout propriæ, & alienæ affectiones eum impellunt, idque non secus atque index ventorum in pinnaculo tecti positus, atque à diuersis ventis agitatus. Si perorando finem consequatur, insolescit; si auditorem nanciscatur obstinatiorem indignatione ringitur, adulatur, increpat, pungit, mordet, credit omnia, & nihil credit: omnia dicit, & nihil dicit; omnia conficit suâ linguâ, & eâdem destruit omnia, seq; vnà cum omnibus perdit. dum se vilissimum abiectissimumque pugnantium inter se passionum auræ popularis; & eorum, qui eum regunt (quos tamen regere & gubernare stultè sibi imaginatur) mancipium prostituit. Eos auribus se tenere credit, sed re ipsa ab ijs naso constrictus, instar bubali aut bo-

uis alicuius cornibus extremæ suæ ambitionis tenetur & ducitur: indignus cui honor vllus deferatur vt Oratori; sed dignus, qui vt agyrta quispiam seu circumforaneus, imò vt bestia quæpiam redimîta vittâ cribali exsibiletur.

Duæ aliæ considerationes vtiles ad humiliandos eloquentes.

SECTIO LIII.

Peruersitas ingenij humani.

SI quis ob suam eloquentiam superbierit, prædictæ considerationes eum refrænare; sequentes autem duæ omnino cohibere possunt. Earum vna ex hominum instabilitate & inconstantiá; altera ex ipsiusmet eloquentiæ humanæ naturâ desumitur.

Ad I. quod attinet, laudem vel vituperium ALICVIVS eloquentiæ hominum iudicio dependere, vel ex eo manifestum est, quòd, si semel quis VIRI ELOQVENTIS nomen obtinere cæperit, esto, re careat, continuò hominum fauorem & attētionem in dicendo consequatur; sin autem indisertus & ineptus ad dicendum haberi cæperit,

cæperit, esto omnes eloquentiæ partes teneat perfectissimè, à nemine vnquam in albo perfectorum Oratorum reponetur. Viden' vt sibi non constent iudicia humana? vt opinionibus & animi perturbationibus sint obnoxia? quoties aberrent à scopo in suis discursibus, & decipiantur in suis conclusionibus? Inter mille Auditores vix reperies viginti, qui rectum ferant iudicium, qui idem vnâ de re sentiant ac opinentur, quamuis sint non mali iudices. Vnus inuentionem laudabit, & dispositionem vituperabit; hic gestum & actionem irridebit; dictionem autem probabit: quam forsan alius nimiùm affectatam iudicabit. In vna Franciæ non ignobili ciuitate, noui ego duos concionatores, quorum vnus in omnibus eloquentiæ partibus erat perfectus; alter ne vnam quidem tenebat. *Et tamen ille plura sæpe subsellia, quàm auditores habebat; hic autem audiebatur vt alter Tullius.* Quid aget superbus inter hos æstus, inter hos accessus & recessus constitutus, in quæ non deserta transportatum ventis contrarijs se reperiet? Si bene dicat, & non audiatur,

hæret humi deiectus, & in pelle coarctatus instar cochleæ in sua concha: quod maximè cruciat hominem superbum, dum sic se contemptum videt; sin autem suo absque merito rem ex voto geri animaduertit, pro innato superbis & simul fatuis ingenio, insolescit, putans se aliquid magnum esse, imò aliquid supra auditorum de se conceptam opinionem. Quemadmodum enim superbia stulta est, ita & ad credendum adulatoribus, ad sibi blandiendum, atque seipsum seducendum promptissima. Herodes non erat, nec habebatur inter oratores, nihilominus cùm post habitam ab eo concionem, populus qui eum audierat, ipsi applaudendo & adulando acclamasset: *Dei voces & non hominis!* quod falsè blandiendo dicebatur, verè dici existimauit, consensit & cogitationis suæ idolo se incuruauit, seque ipsum adorauit, aure patulâ fictam laudationem in animum admittens suum; nec non ore hiante pro voto hauriens fumum istius summæ vanitatis; cùm (si esse voluisset qui debuit) oblatum immeritò honorem, omni possibili modo debuisset repudiare;

Act. 12. 22.
Vox Dei non hominum.

re; si verum fuisset, quod dicebatur, inde Deum laudare. Quare ab angelo confestim percussus, eò quòd non dedisset honorem Deo, & consumptus à vermibus, miserabili periodo, funestâque catastrophe viuendi finem fecit. relicto exemplo quod omni iure terrere debet omnes superbos, ac fuci vanitatisque mercatores in stolidis suis concionibus. Herodis funestus exitus.

II. Consideratio deducitur ex exilitate eloquentiæ humanæ.

SECTIO LIV.

ALtera consideratio ex natura eloquentiæ humanæ desumitur, quæ suo libramento & pretio nudè ponderata absque virtute (à quà vnicâ vim accipit) aut nihil est; aut res admodum exigua, breuibusque terminis circumscripta: licet eloquentia virtute comitata, & non vanitatis vento inflata, vt est dictum supra, magnum sit Dei donum. Certè ipse D. Paulus eloquentiam non solùm humanam, sed etiam Angelicam, (quæ tamen absque vlla V. 2. g. f. 31. & 3. g. f. 16. & sup. f. 51.

vlla comparatione nobilior excellentiorque est) si destituta sit charitate, ac ex consequenti humilitate, nihili æstimat. Vera enim charitas omni loco & tempore comitem habet humilitatem. Vnde hac deficiente, illa nequit subsistere. *Si ego*, allegatus inquit Paulus, *linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans aut cymbalum tinniens.* Homo eloquens & superbus caret tum charitate, tum humilitate. Impossibile enim est, vt charitas, sicut & quælibet alia virtus, cohabitet superbiæ capitali omnium virtutum, & præsertim humilitatis, hosti. Est ergo instar vasis vento pleni, instar segminis æris, quod præter sonum omnino nihil habet. Idem superbus si de rebus malis discurrat, est sacrilegus, abutens sacro Dei dono; sin autem de bonis, qualibet periodo suum condemnat vitium, cùm nequeat bene loqui de virtutibus, quin malè loquatur de superbia virtutum inimicâ; quin seipsum condemnet, superbiæque mancipium fateatur. Vt autem superbus eloquens penitus conuincatur, & in humilitatis suæ fossa sepeliatur;

1. Cor. 13. 1.

peliatur; tu ô homo vanitatis & mundi osor, pondera paululùm præstantiam eloquentiæ humanæ, eamque ponderatam contemplare, imò in altissimo gradu, quo homini in hac vita eam assequi fas est, colloca. Pondera, inquam, quòd licet eloquentia, à qua Eloquentes nomen sortiti sunt, res admodum sit exilis & quasi nihil, aut quid vilissimum angustissimisque terminis circumscriptum; tamen tantilla cùm sit, acquisitu est perdifficilis, vt notum fit ex paucitate eorum, qui Eloquentis nomine indigitari merentur. Et hoc ita disponente diuinâ prouidentiâ, vt pauciores ob arrogantiam (quæ vt plurimùm ex periculosa huius doni possessione oritur in ijs, qui illud possident) animarum suarum patiantur detrimentum. Hæc difficultas prouenit partim ex diuersitate linguarum; partim ex multitudine & difficili delectu, quæ requiruntur ad perfectionem & exornationem vniuscuiusque linguæ. si homines, quâ cæperant in prima sui origine, perrexissent vnâ linguâ vti, eloquentia iam dudum ad perfectionem deducta, facilis euasisset. Vnde quisquis eâ excelleret,

celleret, totus, quantus est, mundus eius esset auditor. Verùm postquam Deus, hostis superbiæ linguas, multiplicauit, vt eloquentes elatos deprimeret, eosdemque in linguarum multiplicitate mutos & egentes in suâ abundantiâ reddidit, continuò multiplicata est difficultas eloquentiæ acquirendæ, iuxta linguarum multiplicationem, & adhuc in dies (postquam clauditur finibus vniuscuiusque nationis) secundum earum multiplicationem multiplicatur, eiusque limites decurtantur. Hæc tibi quisquis eloquens es consideranda sunt, quin & lingua atq; sufficientia tua proprio pede commensuranda est, ne inflari te contingat. Tu nosti perorare latinè, sed nescis Græcè. Adhæc sexcentas ignoras linguas, quas addiscere si volueris, ad tempus te balbutire, & in puerilem ætatem, vt Platoni contigit in Ægypto, atq; Themistocli in Persia, reuerti necesse est. Tu tuâ linguâ promptus es in Gallia, aut in Hispania, aut etiam in Germania; euola paululùm è nido, & in longinquas regiones volatûs tui cursum dirige, exempli causa in Chinas, in Iaponiam,

Quam angustis terminis contineatur eloquentia humana.

Cic. in Orat. Diserti multi, eloquentes pauci.

Plut. in eius vita.

poniam, in Peru; & ad mille alia loca, quæ homines ignotæ tibi linguæ inhabitant: nonné ibi tua eloquentia erit adinstar veterum peripetasmatum in arcâ complicatorum, quæ à nemine cognoscuntur, multò verò minus laudantur. Deus bone, quantum humiliareris tales inter nationes & homines diuersæ linguæ constitutus! Tuum nonné infortunium si saperes deplorares, recognoscens in te seueram Dei animaduersionem, & pœnam tot sæculis decantatorum illorum superborum, tuorum scilicet antecessorum, qui dum loquerentur, ac turrim ædificarent contra diuos, diuorumque domicilium, impediti fuêre in suis conatibus per Babel & linguarum confusionem. Quam confusionem in se continuò, non secus atque ranulas quasdam, in aëre ita exoriri animaduerterunt, vt alter alterū minimè intelligere valeret. Nonné admirareris te non solùm mutum, sed etiam surdum, dum neque loqui, neque intelligere posses, nisi beneficio interpretis? Et tamen non desines te iactare, & ostentare, sed nisi violenter Deus, quod non solet, te cohibeat,

Gen. 11. 8.

celleret, totus, quantus est, mundus eius esset auditor. Verùm postquam Deus, hostis superbiæ linguas, multiplicauit, vt eloquentes elatos deprimeret, eosdemque in linguarum multiplicitate mutos & egentes in suâ abundantiâ reddidit, continuò multiplicata est difficultas eloquentiæ acquirendæ, iuxta linguarum multiplicationem, & adhuc in dies (postquam clauditur finibus vniuscuiusque nationis) secundum earum multiplicationem multiplicatur, eiusque limites decurtantur. Hæc tibi quisquis eloquens es consideranda sunt, quin & lingua atq; sufficientia tua proprio pede commensuranda est, ne inflari te contingat. Tu nosti perorare latinè, sed nescis Græcè. Adhæc sexcentas ignoras linguas, quas addiscere si volueris, ad tempus te balbutire, & in puerilem ætatem, vt Platoni contigit in Ægypto, atq; Themistocli in Persia, reuerti necesse est. Tu tuâ linguâ promptus es in Gallia, aut in Hispania, aut etiam in Germania; euola paululùm è nido, & in longinquas regiones volatûs tui cursum dirige, exempli causa in Chinas, in Iaponiam,

Quam angustis terminis contineatur eloquentia humana.

Cic. in Orat. Diserti multi, eloquentes pauci.

Plut. in eius vita.

poniam, in Peru; & ad mille alia loca, quæ homines ignotæ tibi linguæ inhabitant: nonné ibi tua eloquentia erit adinstar veterum peripetasmatum in arcâ complicatorum, quæ à nemine cognoscuntur, multò verò minus laudantur. Deus bone, quantum humiliareris tales inter nationes & homines diuersæ linguæ constitutus! Tuum nonné infortunium si saperes deplorares, recognoscens in te seueram Dei animaduersionem, & pœnam tot sæculis decantatorum illorum superborum, tuorum scilicet antecessorum, qui dum loquerentur, ac turrim ædificarent contra diuos, diuorumque domicilium, impediti fuêre in suis conatibus per Babel & linguarum confusionem. Quam confusionem in se continuò, non secus atque ranulas quasdam, in aëre ita exoriri animaduerterunt, vt alter alterũ minimè intelligere valeret. Nonné admirareris te non solùm mutum, sed etiam surdum, dum neque loqui, neque intelligere posses, nisi beneficio interpretis? Et tamen non desines te iactare, & ostentare, sed nisi violenter Deus, quod non solet, te

Gen. 11. 8.

cohibeat,

cohibeat, perges cristas erigere, vt Gallus in suo fimeto. Et id solùm eâ de causâ, quia vnâ linguâ potes loqui expeditè. Sed, parcito, forsitan plures nosti; ecquid prosunt, si te ignorans inde superbias? ecquid aliud inde reportas, quàm plures occasiones te iactandi? te risui pluribus exponendi, & tandem in barathrum perditionis te præcipitandi? at octóne, vti Cleopatra Regina Ægypti, aut viginti quatuor, vt Rex Mitridates loqui vales? Aliud lubet interrogare, nostíne expeditè tuam maternam? Si neque vnam, multò minus plures, ob infinitas passim occurrentes difficultates, exactè calles, cur attollis supercilia? Cedo mihi totius Galliæ, Hispaniæ, Germaniæ, Italiæ aut cuiuscunque regionis perfectissimum Oratorem, quot suæ propriæ linguæ verba, aut loquendi modos putas ignorabit? quot idiotas simplicesque reperiet, qui eum docebunt, quæ in natiuâ ignorat linguâ? si dicto fidem deroget, adeat alloquaturque quempiam Agricolam, Vinitorem, nautam, venatorem; ingrediatur officinam Aurifabri, pictoris, fabri ferrarij,

Plut. in Anton. Plin. l. 7. c. 24. l. 15. c. 22. Plut. in Lucul. V. G. 2. f. 25.

ferrarij, sutoris & quorumcunq; aliorum artificum nominatæ alicuius ciuitatis; nominet si potest eorum instrumenta, actiones, opera, & alia quæ ad ipsorum artes spectant. si ad infinita, quæ ei occurrent nominanda obmutescet, nonné discet, si tamen ad discendum capax est, innumera esse in sua patria lingua, quæ, vt omnia discendo comprehendat, sit prorsus impossibile? Et tamen si verba aut nomina, non perspectâ intimè eorum significatione & emphasi efferat, nonné ludibrio se exponet ijs omnibus, quos audire contigerit eius ignorantiam eloquentem, & eloquentiam ignorantem? nonné ei eueniet singulis periodis, quod euenit eloquentissimo ac pene diuino Theophrasto, quando extraneus, & aduena fuit appellatus, & reprehensus ab vna anu scrutorum venditrice, eò quòd nimis affectatè & Atticè loquutus fuerit? nonné ei dicetur: *noli plura loqui, vel disce melius,* vti Apelles dixit Regi Alexandro, dum de eius imaginibus loquens, artis terminis est abusus: *Rex inquit inclyte, nî melius loquaris de nostra arte, pueri qui mihi terunt colo-*

 res,

vis. te irridebant. sed missis nominibus artium & scientiarum, quot in NATVRA creaturæ, tum cælestes; tum terrestres reperiuntur, quæ nequeunt ab hominibus nominari? quot ossa, quot partes in solo corpore humano, imò in minima bestiola, quorum nomina æquè ac essentia eloquentissimo cuique sunt incognita? Inter hos si numeraris, nonnè in infinitis rebus pudore suffunderis, quarum neque naturas, neque nomina habes perspecta? Cur igitur alterum Mercurium te venditas? cur inflaris opinione tuæ eloquentiæ? cur vanissimè attollis cornua, videns te apud imperitam plebeculam aliqua in admiratione esse, cum tibi optimè conscius sis, te infinitorum nominum & verborum scientiâ destitui, quæ millies exuperent omnem eloquentiæ tuæ apparatum? Hæc cùm ita se habeant; rei summa in hoc sita est, vt te humilies, ea quibus cares conferendo ijs, quæ habes, vtendoque bonis à Deo acceptis ex recta ratione, quò per tuam eloquentiam beatitudinem consequaris. Ad quod iuuabit in memoriam reuocare pericula, quæ paulò antè recensui,

censui, firmiterque tibi persuadere, quòd si superbias & abutaris medijs tibi datis ad bene viuendum, longè melius tibi fuisset, toto vitæ tempore, mutum extitisse, quàm omnium simul Oratorum eloquentiam in tuam perniciem habuisse. Quod vnicum ad seriò te humiliandum inducere debet, dum plurimos in Inferni æternis flammis cruciari nunc, & æternùm cruciandos animaduertis; qui fors in domicilio beatorum exultarent, si ex hoc dono non sumpsissent occasionem cornua extollendi, & perpetuam damnationem incurrendi.

Complures damnati propter suam eloquentiam. V. hic finem sectionis 53. de Herode.

De eloquentia constante eleganti stylo, & de pluribus eloquentibus in scribendo.

SECTIO LV.

ELoquentia non tantùm quæ voce, sed etiam quæ scripto constat, inter mortales dominatur: nec is solùm qui bene dicit, sed etiam qui bene scribit orator nuncupatur. Qua de re aliquid breuiter dicendum est, vt hinc etiam

V. G. 2. f. 11.

etiam humilitas addiſcatur. *Illa viua & loquens Eloquentia; hæc ſcripta & muta poteſt vocari*: illa in praxi eſt difficilior, eò quòd præter inuentionem diſpoſitionem & eloquutioné partes illi cum ſcripta communes, opus habet firmâ memoriâ & conuenienti ac viuaci actione. quæ perraró in eodem ſimul reperiuntur. Hæc, nempe ſcripta magis hominum cenſuræ ſubiacet: facile ſiquidem in illa verbum aliquod minus conſonum, aut periodus aliqua incitatior aut remiſſior inter multas ſuis numeris abſolutas, abſque aurium læſione & aduerſione audientis pertranſeunt; at verò vox aliqua minus propria aut clauſula, ſcripto non bene terminata dat legenti moram cenſendi & diiudicandi rem. Actio bona ob varietatem geſtuum inflexionumque vocis ſuo loco & tempore factarum plurimos tegit errores, facitque vt tota oratio in animum audientis abſq; grauiori notâ influat ſuauiſſimè; verùm ſcriptura caret actione ac proinde excuſatione, cùm actio vna ſit, quæ in loquente dominetur eloquentiâ, caliginemque offundat intellectui. Contrà

trà iudicium dominatur in scripturâ, & captâ morá omnia resoluit in sua principia; illa efficacior est ad persuadendum, quia sub duos omnium nobilissimos sensus cadit, visum nimirum & auditum, hæc autem scripta multis sæculis manens, plurium, temporis successu, iudicio examinanda subijciatur, necesse est. Fuêre fateor non pauci, qui vnum sine altero habuerunt, sed eorum infinitus est numerus, qui nec bene scripserunt, nec bene dixerunt. Hortensius præclarè dicebat, sed ineptè scribebat; contrà Isocrates eximius erat in scribendo, sed in pronunciando nullus; Demosthenes inter Græcos, & Cicero inter Latinos vtroq; in genere excelluerunt. Ille ita succinctus, numerosus ac neruosus est, vt demi nihil possit; hic ita copiosus, floridus, & gratiosus vt additionem recipiat nullam. Ad scriptam Eloquentiam omnia quæ bene scripta sunt cuiuscunque generis ea sint, refero. eò quòd in omnibus, & per omnia, eloquentiæ vestigia patenter appareant. Sancti, Dionysius, Gregorius Nazianzenus, Chrysostomus, Hiero-

Oratores aliqui in scribendo, aliqui in dicendo excelluerunt.

 nymus,

nymus, Leo, alijque Patres res diuinas diuino scripserunt stylo. Aristoteles scribens de Natura, suo in genere suam ostendit eloquentiam; Hipocrates & Galenus in medicina suam; Euclides in Mathematica suam; Thucidides, Liuius, & Tacitus in historia, & Imperio describendo suam; Cæsar in bellicis rebus describendis suam; Cicero pluribus in rebus suam; Plato autem in omnibus se Oratorem excellentissimum demonstrat.

Eodem refero Poëmata, quæ & ipsa sunt Eloquentia, sed legibus adstricta certis pedibus, vt vocant, mensuris, syllabis, ordineque eodem semper incedens. In quo discrepat à prosa, quæ licet & ipsa suis ligata sit vinculis, mensuris, atque cadentijs, liberior tamen est, magis varia ac proprior ad persuadendum, sicut Poësis ad delectandum. Nec differentiæ huic obstat, quòd vtraque persuadeat atque delectet: diuerso enim modo id efficitur; ab oratore quidem vi argumentorum, & actionis excellentiâ, Poëta autem ingeniosis imitationibus, fictionibus, rationibusque dicendi. Quo in genere Homerus

Homerus omnibus Poëtis, qui vnquam inter gentiles extitêre, sicut & Propheta Dauid inter fideles longè antecellit. Quint. l. 10. c. 1.

Eloquentia scripta multis est occasio superbiæ ac damnationis.

SECTIO LVI.

QVemadmodum hominum fatuitas ex loquente Eloquentia superbiendi, & in perniciem ruendi; ita & scripta vanè gloriandi & se iactandi accipit occasionem. Tali superbia infatuati fuêre infiniti propemodum scriptores, qui ob vanissimam suorum operum imaginationem miserrimè periêrunt. Heliodorus Episcopus Græcus tanti fecit librum, qui Theagenes dicebatur, adeóque obstinatus ac superbiâ inflatus fuit, vt mitram Episcopalem, & fors æternam beatitudinem amittere maluerit, quàm illum supprimere, vt Ecclesia illi mandabat. Merlinus Poësim suam Macaroneam pluris fecit, quàm Religionem. Ennius Poëta vsque adeo suos admirabatur versus, vt Homeri animam in se transmigrasse Nicep. l. 12. c. 34.

migrasse existimaret: cui, sicut & Virgilio latino Poëtæ, si comparetur vix Nanus quispiam coram gigantibus, & tyro poëseos apparebit.

Hæc Vanitas impeti potest pluribus argumentis. Primò si huiusmodi libris eloquentibus praua substrata sit materia: tunc enim extremæ est stultitiæ de talibus gloriari, tanquam de suo infortunio, & perpetuâ damnatione. Lucianus, Rabelæus, Arrius, Marcion, alijque huiuscemodi Athei & Hæretici, quàm optarent se calamo manum ad scribendum nunquam applicuisse, eò quòd eorum libri, ijs in inferno positis adaugeant tormenta, idque toties, quoties inducunt aliquem ad lectionem suæ impietatis. Auctores libri dicti Amadis, scriptores amoris, Poëtæ & Romani lasciui, in dies, imò in horas magis & magis vruntur flammis infernalibus. Et hoc secundum quod illorum obscœna scripta inijciunt flammas concupiscentiæ ijs, qui ea lectitant. Quare si Heliodorus, atque alij, illi similes, tale peccatum, licet illud vnicum in vita commisissent, pœnitentiâ non expiarunt,

Libri mali suorum auctorum carnifices. V. Basil. de vera Virg.

V. S. Th. 3. p. q. 59. a. 5.

runt, expiabunt in omnem æternitatem, sed absque leuamine, absque vtilitate, & absque mensurâ vllius temporis. RIDEBVNT SVPERBI hoc documentum, quia infatuati sunt, quia destituti gratiâ præuidendi futura. Sentient aliquando, sed frustrà & magno suo damno, quod nunc suo bono nolunt credere. Tunc tunc sapient, sed tardè. Qui autem sunt prouidi, & illuminati, vident hanc veritatem, aduertuntque quòd scriptores huiusmodi ob volumina post se relicta non modò non habent occasionem superbiendi, sed se magis humiliandi, Deique iudicia extimescendi, ac dignam pœnitentiam, dum tempus est, agendi.

Quomodo ij, qui res bonas scripserunt se humiliare debent; & interitus multorum librorum.

SECTIO LVII.

SEcundò, quanquam libri eloquentes bonis verbis rebusque honestis vel ad minimùm indifferentibus confecti sint, multa nihilominus sunt,

quæ eorum auctores ad humilitatem sectandam, nullum autem, quod ad superbiam inducere debet. Si enim temporum varietatem, si sæculorum inconstantiam sibi ob oculos ponant, animaduertent futurum, vt id, quod nunc in magno pretio & existimatione est, forsan infra 50. annos contemnatur, vileque existimetur. Idioma mutatur adinstar valoris monetæ, & formæ vestium; quod tempore nostrorum proauorum erat in pretio, nunc despicitur, vt Horatij dictum quotidiano vsu comprobetur: *multa renascentur quæ iam cecidêre, cadentq; quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus.* Regnante Ludouico Francorum Rege multi erât in Gallia eximij scriptores, Poëtæ & Oratores, qui nunc mutato magnâ ex parte idiomate, & modo loquendi, vix dimidiatè intelliguntur, solumque à librarijs propter antiquitatem reseruantur, sicuti antiqua numismata in officina Aurifabrorum. Quot putas abhinc quinquaginta vel sexaginta annis extitisse concionatorum libros, qui vt magno erant in pretio, ita ab omnibus legi desiderabantur: nunc autem in

In arte Poët. 70.

in ijs, qui ad eos legendos se demittunt, commiserationis affectum solùm generant, atque producunt. Marot dicax Hæreticus dum viueret, & aliquamdiu post mortem, laudabatur, & celebrabatur, vt Princeps Poëtarum Gallicorum, vt Ennius Latinorum suâ ætate passim volitabat. Idem nunc Marot comparatus Poëtis, qui post eum scripserunt, Rosardo, Bellæo, de Portis, atque alijs nonnullis (vt Ennius Virgilio, Ouidio, Horatio, alijsque Poëtis inter latinos celebrioribus) dum leguntur, solùm concitant risum. Mundus quidem tibi adulatur, tua laudat opera, tu verò inde si te extollis, tibi ipsi cum mundo blanditis, blandiensque summè teipsum decipis, dum tuâ superbiâ excœcatus non recogitas aliquando futurum tempus, quando tua opera (quæ nunc, vt fœtum simia, studiosè lingis, fouesque) nec laudabuntur, nec intelligentur, sed Apothecarijs pigmentarijsq; erunt solùm vsui ad faciendos papyraceos cucullos. Sed esto, quandiu extabunt, omnes in eos laudes congerantur, quàm facile, aut temporis iniuriâ, aut hominum

Quint. l. 10. instit. Orat. c. 1. sub medium.

hominum inuidiâ perire possunt; Quo facto, neque eorum, neque tui nominis vlla amplius, vt pluribus alijs contigit, vnquam futura est memoria. Pulcherrimi doctissimique ex omnibus Ciceronis operibus de Republica libri, excepto quodam de somno Scipionis resegmine (quod quale totum opus fuerit indicat, excitatque in legentibus admirandum illius habendi desiderium) penitus periêrunt: Salomonis libri, siue materia, siue stylus spectetur, erant excellentes si vnquam alij; conscripti erant à Rege, cui neque sapientiâ, neque doctrinâ, neque alijs ornamentis, quæ Regem condecorant, similis vnquam extitit: à potentissimo insuper Monarchâ, cui ad eos conseruandos vires deesse non poterant, & tamen perditi sunt. Ijs continebantur talia, (siue raritatem siue curiositatem spectes) secreta, qualia in reconditis naturæ thesauris vix inueniri possunt; de orbibus cælestibus, de astris, de elementis, de auibus, de omni animalium terrestrium genere, de piscibus, de plantis, cæterisque creaturis. Quorum librorum iacturam [exceptis pauculis,

Aug. l. 2. de ciuit. Dei.

3. Reg. 4. 32.

pauculis, quos Ecclesia & Librarij, qui naufragio erepti sunt, in suis Archiuis, vt pretiosos thesauros conseruant] deploramus. Aliorum etiam librorum, vt Nathan, Achiæ, Addo Prophetarum, præter nomenclaturam, & desiderium, nihil nobis relictum est. Constat etiam ex Historia Regum, plura sacræ scripturæ volumina vnà cum auctorum nominibus, in quibus annales & res gestæ Regum ac regnorum Iuda conscripta erant, perijsse. Quod cum ita sit quis sibi polliceri audebit gloriæ soliditatem in rebus tam vanis? quis se magnifaciet, quis exaltare præsumet in rebus tantæ vanitati subiectis, si sapiat?

1. Par. 29. 29.

Interitus plurium nobilißimarum Bibliothecarum præbet scriptoribus eloquentibus argumentum Humilitatis.

SECTIO LVIII.

VBi obsecro sunt tot nobilissimæ Bibliothecæ, multitudine ac præstantiâ librorum celeberrimæ, magnâ

magnâ Regum ac Imperatorum curâ erecta, & maiori studio custoditæ? vbi est Humenis ducentis voluminum millibus constans, vbi Ptolomæi philadelphi, plusquam septingentis exquisitissimorum librorum millibus instructa? Vbi plures aliæ excellentissimæ Musarum opes ac domicilia? nonné temporis decursu calamitates & flammas senserunt, communemque aleam rerum mutationi subiectarum, nullo hodie eorum vestigio relicto, præter conflagrationis memoriam, subierunt? Quot putandi sunt in antiquis illis sæculis & Bibliothecis multitudine, & diuersitate librorum refertissimis extitisse egregij auctores, quorum opera, nomina ac memoria obliuione sepulta sunt sempiternâ? si temporis diuturnitas potuit tot præclarissimos auctores, totque opera immortalitate dignissima ex hominum memoriâ tollere, quis audebit sperare sua, quantumuis eximia, vnà cum nomine in regione hominum, rerumque mortalium semper duratura? Quis tale sibi, suisque operibus euenturum aliquando considerans, ob ea se extollere audebit? sed esto,

Volater. l. 2. Auth. c. 4. Sabel. Enn. 6. l. 4.

eſto, ei conſtet, libros ſuos omni æuo duratione æquandos, certè etiam ei conſtat in iudicij die cæteris cum rebus ac mortalium omnium operibus inextinguibili flammâ concremandos. Illa illa erit periodus & finis qui MVNDI, MVNDANORVMQVE omnium vanitatem rediget in cineres. Si credis diem illum venturum aliquando, crede etiam opera, quibus nunc vanè gloriaris, finem acceptura: ac proinde materiam tuæ ſuperbiæ redactum iri in nihilum; ſi non credis, infidelis es, hæreticus es, qui mereris modo mortuorum, experientiâ plagarum edoceri, vt credas, ſed abſque merito & fructu. Salubre ergo nunc capeſſe conſilium, & caue, ne propter tuos libros animum efferas, ſed potius demittas, perpendens omnia omnino peritura, exceptis operibus cum humilitate factis in honorem illius, qui ſolus permanet ſtabilis, conſeruans in æterna ſua mente eorum æternam memoriam, qui viuunt, loquuntur, ac ſcribunt inſtinctu eius amoris ac honoris, nec non boni publici, ſalutiſque fidelium.

Cum mundi fine omnia hominum opera finem accipient.

De humiliatione sanctorum: in bonis operibus timenda superbia; malus finis Heronis Eremitæ.

SECTIO LIX.

DOna prædicta promanāt, aut ex natura, aut ex industria hominis naturaliter operantis: natura autem & industria à Deo proueniunt modo naturali & actione causarum, vt vocant Philosophi, secundarum; sanctitas equidem & ipsa homini à Deo confertur, sed per gratiam supernaturalem, quæ cùm sit gratuitum donum, se habentem gratum & acceptum diuinæ Maiestati reddit, suiq; valore ac præstantiâ omnia alia animæ dona longè antecessit.

Aduertendum, quòd etsi, neque sanctitas propriè loquendo, neque vlla alia virtus absque humilitate subsistere queat, & quòd quicunque sanctus est, etiam sit humilis, & quidem quò sanctior, eò humilior; &, quod hinc infertur, qui superbus est, sanctus non est, neque vllius virtutis studiosus. Nihilominus quia non pauci reperiũtur, qui

qui occasione speciosorum operum iustitiæ, pietatis, & similium (vt Pharisæus ille Euangelicus, qui propter sua ieiunia, & decimas ritè persolutas se iactabat) intumescunt; operæpretium erit aliqua de humilitate in medium adferre documenta, ne quis seipsum, apprehensione virtutis apparentis, decipiens sanctum quempiam arbitretur. I. monitum, quicunque sincerum Christianum se profitetur, Dei præcepta, vel consilia, vt Religiosi (& complures sæculares in medio mundo viuentes, absque mundi illecebris) toto mentis affectu custodiens, diligenter aduertat oportet, quòd superbia in omnibus sit pertimescenda, sed vel maximè in bonis operibus, quæ ab illa non raro inquinantur, & suo merito priuantur. *alia vitia inquit D. Augustinus in malefactis timenda sunt, at etiam in benefactis superbia timenda.* Et quidem tantò est periculosior, quantò occultior, quantò subtilior & acutior. Qui enim virtutem profitetur, & præsumit animam suam ex bonis operibus, diuitijs spiritualibus abundare, animo contentum tumorem vultu dissimulat, hoc

Luc. 18. 10.

Timenda superbia tum in bonis, tum in malis operibus.

Epist. 56. 3. g. f. 59.

vnum timens, ne superbus habeatur. Quo fit, vt solidis se niti fundamentis sibi persuadeat, hærensque fixus suæ opinioni sibi blanditur, & gaudet in suo sinu, dum loco sanctitatis Christianæ, quam habere deberet, solùm eius superficiem, & Pharisaicam hypocrisin possidet. Quare opus est, vt, quisq; in suis exercitijs spiritualibus elatas cogitationes (nihil se reputans) fugiat, caueatque omni studio superbiam, non secus atque cælum aliquod peste infernali infectum.

II. est quòd quisquis sibi nimiùm attribuit, blanditur, seque vt sanctitate fulgentem circumspicit, esto orationibus, abstinentijs, vigilijs, mortificationibusque plurimùm deditus videatur, in sanctorum numero non est reponendus. Præclara opera faciebat Pharisæus, *ieiunabat*, *decimas persoluebat*, Deum adorabat, sed quia Pharisæus erat, seipsum magnificabat, omnem sanctitatem suam vento auferendam tradidit: vnde hypocritæ, & non sancti à Domino sententiam accepit. Publicanus autem humili peccatorum suorum confessione, sui nihili recognitione,

tione, pectoris tunsione, oculorum in terram (non audens eos attollere in cælum) depressione, omni denique actione humilitatem redolente, iustificatus est. Adeo vt humilis peccator aptior sit participandæ diuinæ gratiæ, quàm iustus elatus. *Sint duæ bigæ, inquit* Homil. *S. Chrysostomus, ad populum Antiochenum,* 72. *quarum vnâ virtus, & arrogantia; alterâ peccatum & humilitas vehatur, audeo dicere primam a secunda cursus velocitate superatum iri, & hoc non peccati pernicitate, sed humilitatis efficacitate.* Quanquam, vt alias dixi, conformiter veritati, nullam sit reperire virtutem absque humilitate, neque humilitatem absque virtute; & quisquis humilis est, subitò fit iustus, qui deserit humilitatē, deserit omnem virtutem; ideóque nemini mirum videri debet, quòd nonnulli, qui pluribus annis in magna opinionis sanctitate vitam duxerunt, in pessimos postea homines euaserunt, vitamque suam infeliciter finiuerunt; ijs enim hoc euenire permisit Deus, quia interiori superbiâ inflari cæperunt, vt apud Palladium dé Herone Eremita legitur: qui 32.33. cùm spatio quinquaginta annorum in

desertis Ægypti vitam asperrimam degisset, tandem præsumptionis & arrogantiæ veneno infectus, Diabolique fallacijs deceptus, in altissimum se præcipitauit puteum, sperans fore vt illæsus euaderet, & hoc pacto suæ sanctitatis documentum daret. Verùm aqua nullâ eius sanctitate territa, iam iam, nisi aliqui religiosi eius clamore excîti subuenissent, atque semimortuum extraxissent, erat suffocatura. qui extractus & in sua perdurans temeritate, temporali ac æternâ morte punitus interijt. Certum autem est tales, vel nunquam fuisse sanctos, nisi specie quâdam externâ; vel, si fuerint tales, quales eos opera denotabant, suâ perijsse superbiâ, quæ sensim sine sensu se insinuans, & virtutum eorum fundamenta demoliens, eò dementiæ eos induxit, vt se ex se aliquid esse, suaque virtute sine Deo [cuius tamen gratiâ omnia fecerant, & sine quâ nihil facere poterant] sufficientes esse arbitrarentur. Vnde gratiâ Dei (qui semper resistit superbis victor) destituti, abditis in animo suggestitionibus varijsque fictæ pietatis imaginationibus, vt vere-

Cass. col. 2.

Iacob. 4. 6.

1. Petri 5. 5.

res Philosophi in vana & mundana scientia euanuerunt. Et quemadmodum illi, dum dicerent *se esse sapientes, stulti facti sunt*; ita prorsus hi cùm se esse sanctos dictitarent, Hypocritæ, & pura puta sanctitatis idola, facti, in sempiternæ confusionis barathrum seipsos præcipitarunt.

Timor salutaris in omnibus operibus quantumuis etiam speciosis concipiendus, & humilis peccatorum confessio.

SECTIO LX.

VT igitur inimicum omni prohibeas aditu, ô anima fidelis, semper vigila; & superbiã quacunq; in occasione se ingerentem, in cogitationibus, in verbis, in operibus time, Iobum imitata, qui dicebat: *Verebar omnia opera mea*, & Prophetam Dauid: *delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine.* Diuus autem Paulus humiliter confitens Domino ait: *nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* à Deo acutius & intimius (qui est scru- Iob. 9. 28. Psal. 18. 13. 1. Cor. 4. 4.

 tator

tator cordium) secretiora sua videri, quàm à se intelligebat: proinde oculis eius multa patere, quæ se laterent. ideóque vni Deo fidentes, sibi ipsis diffidebant.

Time ergo, ne in tuis operibus lateat aliqua vanitatis vena, quæ omnem eorum inficiat substantiam, neúe aliqua sinistri fermenti particula *totam massam corrumpat.* si enim in angusto positus multa cum humilitate & charitate, ad perfectionem consequendam, ad Deo placendum, & non hominibus, aut tibi ipsi, patiaris, *beatus eris in facto tuo*; sed si ea de causa te ipsum, & non Deum, tuam gloriam, & non Dei quæris, non plus tibi tui proderunt suscepti labores, quàm prosint ijs, qui inuiti in alto mari ad remigandum coguntur. Qui equidem sustinent plura, quàm tu, sed vti tu, nempe absque merito, nî humilitate, patientiâ, & charitate Christianâ eorum condiantur labores. Quid damnati in inferno, nonné centies millies maiora perferunt? indéne superbiendi sumere debent occasiones? minimè gentium. Ne tua igitur opera, vitæque austeritatem, nisi ab humili charitate,

Damnati sine fructu patiuntur.

charitate, tanquam à radice omnis boni, pullulent, magnifices, sed in ijs Dei gratiam operantem contemplans, & non robur tuæ imbecillitatis, te humilia. & si quando humani generis inimicus aliquam vanitatis scintillam menti tuæ iniecerit; si pietatis opera extulerit; si te eximium perfectionis amatorem esse, si castum, si obedientem, si famis, sitis, æstûs, frigoris patientem; si alia deniq; Religionis Christianæ opera hilari te animo exercentem pronunciârit, ne ei acquiescas: sed Deum lauda, qui ad ea præstanda tibi gratiam elargitus est; suggestiones & fucatos applausus vita vt pestem. Quod perdifficile non erit, si tuas accuratè perpenderis imperfectiones, quæ paucæ & exiguæ non sunt, si conscientiæ tuæ maculas quotidiano expurges examine, iustâque bilance eas ponderes. Breuiter relegandæ tibi sunt omnes fallaces illæ Sirenes, quibus vnum hoc propositum est, te in fraudem & interitum suaui suâ melodiâ inducere. Quod malum ne eueniat, hoc, aut simili modo Deum precare: *Domine quid sum aliud, quàm vilis terræ pului-* Oratio humilis.

pulvisculus, quàm receptaculum & congeries sordium? quàm miser & abominabilis peccator ante oculos tuos? Quid fuissem, quid sum, & quid futurus essem sine te? quæ qualisq; potest esse hominum sanctitas, & in particulari mea, qui mortalium omnium sum pessimus, coram te, in cuius conspectu ne stellæ quidem
Iob 25.5. *mundæ sunt? Enimuero si qua in me reperitur gratia, nonne tuum est donum? nonne te munificum auctorem depredicat? De quo gloriari possum, nisi de infirmitatibus, miseriis ac innumeris meis peccatis? Ecquid est quod ad gloriandum de mei ipsius confusione inducere potest? Vide Domine humilitatem*
Psal. 24. 19. *meam, & laborem meum, & dimitte vniuersa peccata mea. Fac cognoscam paruitatem meam, vt suspiciam ac adorem magnitudinem tuam; fac vt diffidens meis viribus extremè infirmis. vni tuæ fidam & innitar virtuti.* Hoc pacto anima ratione prædita frequenter Deum, seque alloqui debet, ne multitudine ac pulchritudine suorum operum eam inflari contingat.

DE ANNIHILATIONE OB CORPORIS BONA.

SECTIO LXI.

Sanitas

Sanitas primum coporis bonum.

DIximus de humiliatione & annihilatione hominis proueniente ex BONIS PRIMI GENERIS, quæ sunt animæ dona, partim naturalia, partim acquisita, partim etiam supernaturalia; sequuntur nunc secunda, quæ versantur circa bonum corporis, quæ sunt, vt diximus suprà, SANITAS, FORTITVDO, & PVLCHRITVDO: SANITAS cæterorum est basis & fundamentum. huic enim vni & fortitudo & pulchritudo innituntur. Ea tanti est, vt Metrodorus vnus è sectis Ethnicorum Philosophorum princeps, summum hominis bonum æstimârit. Et certè, si quæ in humanis reperiretur felicitas, digna videri posset hæc opinio. Enimuero ea est fundamentum omnis boni, in quo vno, & solo corpus in hac vita conquiescit. Videmus enim non solùm hominis, sed cuiusuis etiam animantis naturæ inditum, vt quàm possit maximo conatu adspiret ad sanitatem. Hinc est, quòd vti bestiæ vniuersim (naturâ sic eas docente) fugiunt mortem,

Bona corporis, sanitas, fortitudo & pulchritudo Hic sec. 56.

Sanitatem nonnullus credidit esse summum bonum hominis.

Arist. l. 1. Rhet. ad Theod. c. 6.

Laert. l. 1. de vit. Philo.

Remedia bestiarum pro sanitate conseruanda.

mortem, ita eiusdem naturæ instinctu nulla negligunt remedia aut sanitati conseruandæ, aut morbis propellendis idonea: hoc ita se habere docet. *Ibis inuentrix clystêris, quæ, vt corpus redundanti expurget humore, rostri aduncitate eam corporis perluit partem, quâ ciborum onera redduntur.* Docent & equi syluestres qui frequenter cannæ sibi venam incidunt. Apri autem vt nimia pinguedine grauati se exonerent, hederam ac cancros in maris littore repertos comedunt: Coruus Cameleontis à se occisi veneno intoxicatum se sentiens, lauro comestâ sibi medetur: astures, falcones, accipitres & aliæ id genus aues venaticæ, sanitatis conseruandæ causâ sese lauare & expurgare consueuerunt. Quin & à canibus, catis, alijsque huiusmodi domesticis animalibus quotidie videmus gramen diuersi generis sumi, quo vomitum prouocent, & egerant è stomacho cruditates & humores peccantes, vt vocant medici, quibus grauari ineptáque se reddi animaduertunt. His eò pluribus homo gaudet præseruatiuis, & remedijs ad sanitatem conseruandam, quò &

Plin. 81. c. 24. Ibis, equus syluester, aper, &c.

Coruus.

Aues venaticæ.

Canes & Cati vtuntur gramine.

Arist. lib. 9. de hist. anim. c. 6.

& eius sanitas præstantior est animantis, & quò meliori scientiâ industriaq; ad inuestiganda huiusmodi remedia est præditus. Quibus inuestigatis, si voluerit & valuerit rectè vti, dubio procul secundâ diuturnâque perfruetur valetudine; & insuper si iuxta rectam rationem eâ vtatur, gratiam & gloriam apud Deum & homines merebitur.

Sanitatem plerisque indifferentem asserebat Epicurus Laert. l. 10. de vit. Philosoph. circa medium.

Exempla de nonnullis, qui cum laude corporis sanitate vsi sunt: & de ea non esse gloriandum.

SECTIO LXII.

MVlti bene & laudabiliter secundâ vsi sunt valetudine, tales fuêre quondam in lege naturæ, Adam qui vixit 930. annis; Seth, Enos, & alij nonnulli primæ mundi ætatis coryphæi, qui in multa sæcula sani vitam produxerunt. Tales etiam extiterunt complures post cataclysmum, non obstante quòd humanæ vitæ cursus ad longè breuiores terminos fuerit reductus. *Moyses vixit 120. annis, & non caligauit*

Sanitas primorum hominum mundi. Gen. 5. 4.

Deut. 5. 4.

nit eius oculus, nec dentes illius moti sunt. Caleb qui anno ætatis suæ 85. ita vegetus & valens erat, sicuti fuerat anno 45. quando ad considerandam terram à Moyse missus fuerat. Iob Dei amicus, optimâ totis 183. annis vsus est valetudine, si tamen exiguum afflictionis tempus excipias. Mirè Nestor ob longam & sanè productam vitam passim celebratur. Et si historijs Gallicis, quæ docent Ioannem D'Estampes (qui bellum gessit temporibus Caroli Magni) vixisse annos trecentos sexaginta vnum, fidem habeamus, negari non potest, quin corpus habuerit optimis qualitatibus contemperatum, quandoquidem tamdiu viuere potuerit. Idem dicendum de eo, qui proximè elapso sæculo nempe anno 1590. in India orientali visus fuit à Portugalensibus, qui, si demas sexaginta & vnum annum dictum Ioannem D'Estampes viuendo adæquârat: & insuper colorem pilorum quatuor vicibus mutârat; dum ex nigro albus, & vicissim ex albo niger factus fuerat. Equidem hoc donum corporis admodum est vtile, & in pretio habendum, vt ad oculum

V. Adagium 66. Chil. 1. Cent. 6. Nestorea senectus. Fulg. lib. 8. c. 14. Ritius lib. 2. Reg. Franc.

Indus quidam quamdiu vixerit. Maff. hist. Indic. lib. 11.

oculum patet. Verùm si quis ex eo arripiat ansam, intra se gloriandi & superbiendi, ostendit in sano corpore mentem oppidò sibi languere: nec aduertit quòd sua arrogantia, dum se attollere conatur, perfragili & arenoso innitatur fundamento. Quot creaturæ sunt in mundo, quot casus fortuiti inter mortales, tot modis tolli potest vita, per ignem, ventum, aquam, terram, per noxias animantes, per mille morbos & infortunia. His quidem & alijs miserijs subiacet hominis vita, sed longè pluribus alijs sanitas corporis. Multi siquidem multis infirmitatibus tenentur, nec tamen moriuntur. Quis ergo gloriabitur, si sapiat, ob donum sanitatis, quod tot imminentibus possidet periculis, & hoc quidem in ætatis flore? Vix exiguo illud retinet filo, & posito quòd ad aliquot annorum spatium de eo esset securus, nonné tandem, adueniente senectutis infirmitate, & temporis edacitate, quæ omnia absumunt, perdendum est? Conserua, si vales, corporis incolumitatem ad annos septuaginta; & si tu vnus es *ex potentatibus, & usq; ad octuagesimum*, nonné quod

Sanitas, vti vita plurimis periculis est obnoxia.

V. s. 35. grad. 2.

Psal. 89. 10.

nit eius oculus, nec dentes illius moti sunt. Caleb qui anno ætatis suæ 85. ita vegetus & valens erat, sicuti fuerat anno 45. quando ad considerandam terram à Moyse missus fuerat. Iob Dei amicus, optimâ totis 183. annis vsus est valetudine, si tamen exiguum afflictionis tempus excipias. Mirè Nestor ob longam & sanè productam vitam passim celebratur. Et si historijs Gallicis, quæ docent Ioannem D'Estampes (qui bellum gessit temporibus Caroli Magni) vixisse annos trecentos sexaginta vnum, fidem habeamus, negari non potest, quin corpus habuerit optimis qualitatibus contemperatum, quandoquidem tamdiu viuere potuerit. Idem dicendum de eo, qui proximè elapso sæculo nempe anno 1590. in India orientali visus fuit à Portugalensibus, qui, si demas sexaginta & vnum annum dictum Ioannem D'Estampes viuendo adæquârat: & insuper colorem pilorum quatuor vicibus mutârat; dum ex nigro albus, & vicissim ex albo niger factus fuerat. Equidem hoc donum corporis admodum est vtile, & in pretio habendum, vt ad

V. Adagium 66. Chil. 1. Cent. 6. Nestorea senectus. Fulg. lib. 8. c. 14. Ritius lib. 2. Reg. Franc.

Indus quidam quamdiu vixerit. Maff. hist. Indic. lib. 11.

oculum

oculum patet. Verùm si quis ex eo arripiat ansam, intra se gloriandi & superbiendi, ostendit in sano corpore mentem oppidò sibi languere: nec aduertit quòd sua arrogantia, dum se attollere conatur, perfragili & arenoso innitatur fundamento. Quot creaturæ sunt in mundo, quot casus fortuiti inter mortales, tot modis tolli potest vita, per ignem, ventum, aquam, terram, per noxias animantes, per mille morbos & infortunia. His quidem & alijs miserijs subiacet hominis vita, sed longè pluribus alijs sanitas corporis. Multi siquidem multis infirmitatibus tenentur, nec tamen moriuntur. Quis ergo gloriabitur, si sapiat, ob donum sanitatis, quod tot imminentibus possidet periculis, & hoc quidem in ætatis flore? Vix exiguo illud retinet filo, & posito quòd ad aliquot annorum spatium de eo esset securus, nonné tandem, adueniente senectutis infirmitate, & temporis edacitate, quæ omnia absumunt, perdendum est? Conserua, si vales, corporis incolumitatem ad annos septuaginta; & si tu vnus es *ex potentatibus, & usq; ad octuagesimum*, nonné quod

Sanitas vti vita plurimis periculis est obnoxia.

V. s. 35. grad. 2.

Psal. 89. 10.

quod supereſt vitæ, *labor & dolor eſt?* Vt ait Rex Propheta, nihil expecta præter podagram, chiragram, ſciaticam, omniumque ſenſuum hebetationem, tremit caput, caligant oculi, aures obtunduntur, perit odoratus, perit guſtus, ſopitur tactus, totiuſque corporis conſtitutio quotidie in peius ruit. Abundè id prouerbio declaratur: *Senectus ipſa eſt morbus.* Hæc cùm ita ſint: quid occaſionis gloriandi & ſuperbiendi præbere poteſt tam exiguum, & tam breui finiendum bonum? quodque præterea magis Operis diurnis, ac ipſis beſtijs, quarum obſequium conſtat ſolis functionibus corporis, (quod exhibere nequeunt niſi valeant) conuenit ac neceſſarium eſt, quàm hominibus ſapientibus, qui ingenio laborant, æqualiq; amoris affectu infirmitatem, ſi ſit ad Dei gloriam, & bonam valetudinem amplectuntur: norunt enim, cùm diuinâ polleant ſapientiâ, in vſum ſuum tam ex vno, quàm ex altero commodum ſpirituale colligere. Vnde nec ceſſant vnquam benefacere, & vtiliter (non obſtante corporis debilitate, vel etiam infirmitate) pro communi bono laborare.

Senectus ipſa morbus eſt. Terent. in Phorm. V. Adag. 37. Chil. 2. cent. 6.

Infirmi nonnulli multa præſtiterunt.

Quod infirmitas non impediat actus virtutis.

SECTIO LXIII.

SApientes ob infirmitates non omisisse studium benefaciendi, plurimorum demonstrari potest exemplis: *admirabilia sunt quæ D. Gregorius Magnus sedens diu & feliciter ad gubernacula Ecclesiæ Catholicæ dixit, fecit, scripsit, decreuit infirmâ semper valetudine*: Sancta Liduuina plena horribilibus vlceribus totam egit vitam, mille interim eximiæ sanctitatis præbens exempla. Quid? nonne Iob, Tobias, & sexcenti alij sancti, celebriores euaserunt per infirmitates, quàm potuissent vnquam per secundissimam, quæ à quouis mortali exoptari posset, valetudinem? S. Petrus Apostolus nullum non morbi genus sanabat, mortuos suscitabat, & tamen Petronillam filiam suam spiritualem multis infirmitatibus impetitam, vt ei amplissimum patientiæ campum aperiret, lucrandique immortalitatem per valetudinem aduersam occasionem

Lect. 5. off. 12. Martij.

Surius t. 1. 21. n. 11.

Baron. T. 1. annal. a. 69.

casionem daret, nunquam sanare voluit. Eodem spectabant preces Rudolphi Eremitæ, quibus Deum exorauit, nunquam vt in hac vita febri liberarentur, vnde factum est, vt quotquot, & quibuscunque oppressi morbis, post eius mortem ad eius sepulchrum orarent, liberarentur. Tantum ergo abest, vt infirmitas impedimento sit virtuti exercendæ, vt potius se habenti præbeat occasionem, quâ longè clarior & celebrior euadat, quàm vnquam euasurus fuisset; si eâ caruisset. Huic virtuti complura etiam Ethnicorũ exempla suffragantur. Qui, non obstante aduersâ valetudine. admirandas res gesserunt. Iulius Cæsar morbo caduco erat subiectus, & tamen talis fuit Imperator, tot prælijs clarus; vt vix ei similem sit inuenire. Eius successor in Imperio Augustus vltra quadraginta annos Imperij habenas magna cum corporis afflictatione feliciter tenuit. Demosthenes à prima statim infantia balbus & infirmæ fuit valetudinis, qui nihilominus inter omnes Græciæ Oratores obtinuit principatum. Mecœnas nunquam caruit febri, & tamen omnes

Amor patiendi pro Christo.

Plut. in Cæsarem.

Sueton. in eius vita.

Plut. in Demosth.

Plin. l. 7. c. 51.

sui

sui temporis litteratos ita beneficijs sibi deuinxit, vt quotquot post eum aliqua in viros doctos contulerunt beneficia, Mecœnates nuncupati sint. Tempore Caroli Quinti Comes de Carual 33. annis continuâ febri quartanâ laborauit, & tamen ob egregia sua facinora vellere aureo fuit insignitus. Hos virtus infirmitate illustrata reddidit insignes. Nemo igitur glorietur de sua sanitate, siquidem infirmitas se habenti tantum gloriæ, imò & plus, parere potest, quàm illa. Vel certè si nemo habet occasionem gloriandi ex eo quòd morbis vexetur, nemo etiam gloriari debet de dono sanitatis: hæc siquidem nonnunquam minus prodest, quàm infirmitas; quo casu magis optanda est infirmitas, quàm sanitas. Vnde absque vllius mendacij nota optimè dici potest, plurimos beatitudinem adeptos ex eo, quòd in hoc mundo Deus eos morbis visitârit, contrà plurimos nunc & æternùm ingemiscere in inferno propter nimis prosperam corporis valetudinem & hilaritatem in vitâ plus æquo laxâ & licentiosâ nimis, prô dolor! potentes in epulis

Plures saluantur per infirmitatem, quàm per sanitatem.

vltra modum sumendis, & epotandis poculis, alijsque corporis excessibus patrandis, quos Valetudinarius, etsi vellet, non posset patrare!

De Exinanitione circa fortitudinem corporalem.

SECTIO LXIV.

v. infra g. 2. s. 64. 65.

FOrtitudo corporalis, *secundum corporis donum* ex sanitate quidem gignitur, vt proles ex matre; verùm illa hanc in eo superat, quòd semper eam sibi comitem adsciscat, hæc autem illam minimè: multi siquidem secundâ corporis valetudine absque fortitudine fruuntur; nemo autem fortitudine absque sanitate. Notandum autem est hoc nomen *Fortitudo* apud Gallos, vti & apud Latinos duo significare: quandoque enim soliùs corporis robustas denotat vires; quandoque & corporis robur & animi generositatem designat: quæ virtus, propriè est *Fortitudo*. Primi generis erat tot laudum encomijs celebrata Milonis Crotoniatæ fortitudo, cuius specimen omnibus

Fortitudo duo significat.

omnibus palam sæpius quidem edidit, sed maximè quando statuam suam è petra ad magnitudinem sui corporis excisam, ad sat longum viæ spatium portauit; quando item integrum bouem vt solet opilio ouem, suis humeris gestauit, vno ictu occidit, vnaque corporis refectione, homo edacissimus absumpsit. Nec absimilis huius fuit fortitudo Bitonis, filij Argiæ Sacerdotis, qui taurum ceruici impositum portabat. Tale etiam extitit robur Fusij Saluij qui duo centenaria pondera pedibus, totidem manibus, & ducenaria duobus humeris, contra scalas ferebat.

Pauſ. in Eliac.

Idem Pauſa. in Corinth.

Plin. lib. 7. c. 20.

Nec his forte multùm cedere censebitur Matthæus ille Magnus, de quo fit mentio in Historia Mediolanensi sect: 1. Is iunctas plures equorum soleas æquè facilè frangebat, vt alius placentas. Horum in numerum omni iure venit fortitudo Monychi vnius è centauris, qui obuias in pugnis arripiens arbores, in hostes iaciebat instar pilorum. Vidi ego in nostra Gallia in quodam pago superioris Prouinciæ Rusticum, dictum HONORATVM

Vide Prou. 26. Chil. 3. cent. 2.

De Mover tantâ vi iacere lapidem, vt nucem, arborem suâ duritie ac soliditate notam, seu quamcunque aliam similiter duram arborem penetraret, non secus atque ferreus globus emissus ex æneo tormento. Etsi fidem adhibemus Plinio referenti Valentem quendam Cæsaris Augusti centurionem tantæ fortitudinis fuisse, vt iniectâ manu in currum quatuor fortissimis equis tractum, in momento subsistere cogeret. Referunt Poëtæ Scinem quendam, insignem latronem adeo fortem fuisse, vt apprehensas quascunque arbores incuruaret, & in terram vsque inflecteret, earumque cymas seu supremitates arripiens, quos ei erat volupe ijs alligaret. alligatosque, laxatis in naturalem situm arboribus, crudeliter dilacerabat: Tyberius Imperator *tam firmis in manu sinistra erat articulis, vt recens ac integrũ malum digito terebraret, caputq́ eorum, quibus talitrum dabat, notabiliter vulneraret.* Flauius Claudius tantâ in manu præditus erat fortitudine, vt conspectus sit non rarò vel vnico ictu pugni, equi vel muli frangere mandibulas, dentesq; excutere. Godefridus

Plin. lib. 7. c. 20.

Ouid. metam. l. 7.

Suetonius in Tyberi. c. 56.

defridus Bulonius primus Hierosolymitanus (terrâ sanctâ ab eo recuperatâ) Rex, vno gladij ictu, videntibus & obstupentibus barbaris, Camelo caput abscîdit. Ecquis prænotatos æquat viribus? Et si quis æquet, nonné vt illi, eas aliquando amissurus est? de cóne vult gloriari, de quo seuera pòst ei reddenda est ratio? Guli. Tyrius de bello sacro.

De prodigiosa & incomparabili Sampsonis fortitudine, & stultitia eorum, qui fiunt superbi ob vires corporales.

SECTIO LXV.

VNus Sampson abunde silentium imponet omnibus robustis. Hic princeps admirandâ præditus fuit corporali fortitudine, cuius specimen diuersis occasionibus edidit. I. fuit quando sæuum & rugientem leonem, nihil omnino habens in manu, dilacerauit & discerpsit in frustra, quasi hedum. II. quando mandibulâ asini fugauit exercitum Philistinorum & ex ijs interfecit mille viros. III. quando Iudicum 9. v. 5. & 15. 15.

media nocte exiens de GAZA, vbi tanquam captiuus, positis ad portas custodibus, tenebatur, *apprehendit ambas portæ fores cum postibus suis & sera, impositasq; humeris suis portauit ad verticem montis, qui vrbem respicit.* IV. quando tribus diuersis vicibus, manibus & pedibus septem neruiceis *funibus ligatus, irruentibus ex insidiis super eum Philistiim, rupit eos quomodo si rumpat quis de stuppa tortum putamine cùm odorem ignis acceperit.* V. Fuit, quando succussu corporis ac manuum ac brachiorum nisu *apprehendit ambas columnas (quibus innitebatur domus seu Palatium, in quo epulis ac choreis indulgebat cum Principibus suis infinita multitudo Philistinorum) ūsq; concussis domum super se & super Principes & cæteram multitudinem quæ ibi erat corruere fecit; atq; adeo plures interfecit moriens, quàm antè viuens occiderat.* Isthæc est fortitudo & virtus cæteris non audita sæculis, & dubio procul longè excellentior, quàm fuerit Herculis, quæ tantopere inter Paganos celebratur. Vero simile est eum tot hominum vires in suo corpore habuisse collectas, quot in capite gestabat capillos. *Luserat nimirum suprema Maiestas creatoris in condendo hanc creaturam, vt in ea peculiari*

Iudicum 16. c. V. 29.

modo

modo diuitias potentiæ suæ ostenderet. O prona nimium natura hominum ad malum! quod ideo dixerim, quòd, prô dolor! non pauci ex Dei donis & nominatim ex fortitudine arripiant ansam superbiendi, & alios homines contemnendi. Quorum exemplis cùm Historiæ profanæ sint plenæ, sufficiet nobis, loco omnium, vnum è sacris desumptum, de Goliath Getæo prodigiosæ altitudinis gygante, nempe *sex cubitorum & palmi*, qui inflatus vento præsumptionis virium suarum gygantearum sese ostentabat, *& aciebus electi populi Dei exprobrabat*, cuius arrogantiam non ferens Deus, eum per exiguæ molis, si corpus spectes, sed si virtutem, maioris gyganteâ, illum Iuuenculum Dauidem, ouium pastorem humiliauit. Præsumptio talis & arrogantia proprijssimè venit ex stultitia & iudicij infirmitate. Quæ enim maior esse queat amentia, quàm ob rem tam exiguæ durationis & valoris superbire? Hoc qui faciat, quis dubitet eum cerebro carere, si tam palpabilem vanitatem non animaduertat? Quid enim aliud est, si cætera desint, esse valido corpore,

1. Reg. 17. 4.

Stultè gloriatur qui propter fortitudinem gloriatur.

 corpore,

corpore, quàm vnius Bouis, Elephantis, Rinocerotis, aut alterius alicuius bestiæ robur habere? de quo dum gloriaris, miror te non aduertere, gloriari te de re propriâ magis & necessariâ bestiæ, quàm homini: quid enim? Si Vinicola, si gladiator, si remex quispiam de brachiorum & humerorum fortitudine gloriaretur, nonné sapientes eum iure irriderent? Quantò magis irridendus est is, qui se, ob communicatam sibi cæteris maiorem corporis massam extolleret?

De Humilitate fortium.

SECTIO LXVI.

SEcundi generis FORTITVDO, quæ consistit in animo & habilitate corporis, clarè apparet in bestijs & hominibus: plures siquidem bestiæ præstant robore, carent autem omni habilitate & animositate: bos exempli causâ longè fortior est mustellâ, & tamen, non obstante corporis exilitate, tantæ hæc est audaciæ, vt maximum bouem aggredi non vereatur. Ceruus robustus

robustus est, & caput gerit armis apprimè munitum, & tamen minimus canis indagator eum agit in fugam: quia licet cor habeat maximum, deest audacia. Leo autem & fortitudine & audaciâ pollens, *ad nullius pauet occursum.* Inter mortales fortissimi corpore repe-riuntur, qui animo sunt abiectissimo, sunt fortitudine in ferendis & sufferendis oneribus bubali, sed vbi conserendæ sunt manus, sunt cerui; sexu viri, animo fœminæ. Vt de ijs non immeritò dici possit, quod Homerus & Virgilius de Troianis: *O verè Phrygia, neque enim Phryges.* Contrà Cæsar corpore admodum erat debili, sed animo generoso, & quod in rebus gerendis nequibat manu, ingenio perficiebat, semper fortis, semper constans, & vt verbo dicam, semper Cæsar. Dauid Rex mediocri solùm pollebat fortitudine, at vbi de bestijs, de hostibus aggrediendis agebatur, vbi præsens vrgebat periculum, animum & vires addebat, & quod corpori deerat, immensus animus suppeditabat. Quod abundè ostendit, quando adhuc admodum iuuenis PASCENS PATRIS SVI OVES,

Virg. 3. Georg. timidæ damæ, ceruique fugaces.

Virg. l. 9. V. Prou. 47 Chil. 2. cent. 2. Plut in eius vita. V. g. 2. f. 31.

1. Reg. 17. 49. Eccli. 47. 3.

leonem & vrſum, quorum quilibet ex ipſius grege, diuerſis vicibus ouem raptam auferebat, perſequebatur, *nequicquam repugnantes, ereptâ è faucibus prædâ, interficiebat.* Quando item in lapide & fundâ contra immanem illum Gygantem felici euentu progreſſus eſt. Hæc fortitudinis ſpecies, ſi innitatur animo tanquam baſi, longè magis conuenit homini, quàm PRIMA. Vnde complures ex ea facile arripiunt anſam vanè gloriandi; Quo in genere vt plurimùm deprehenduntur ij, qui tractandis armis excellere ſibi videntur, in quibus nihil eſt non vultuoſum, non ſupercilij plenum, non inſolens, & non iactantiam redolens: terram ſe præſtantius nihil protuliſſe, nihil melius ſuſtentare credunt; ſolem item ideo ſolùm oriri, vt eius exorti fulgore eorum arma colluceant & illuſtrentur. Hi ſuâ ſuperbiâ ſat oſtendunt ſe quidem habere caput, ſed, vt ille dicit, carere cerebro: dum non aduertunt fortitudinem ſuam prorſus eſſe barbaram, beſtijſque communem. Quandoquidem omni modeſtiâ deprehenditur deſtituta. Barbarorum, & ſeruorum propriè eſt iactare

iactare sese ob corporalem fortitudinem, humilitatis, aliarumque virtutum expertem. PLVRES VAGABVNDI, & nullius patriæ homines, quos nos Galli, Bohemos nuncupamus, plures pyratæ audaciâ incredibili, ac dexteritate tractandorum armorum excellunt, quos tamen nemo sapiens magni æstimat, imò vituperat, dum omni virtutis ac laudis argumento eos carere animaduertit. Etsi apud omnes gentes, etiam immanitate barbaras iactantia est abominabilis, quantò magis apud milites Christianos, qui omni virtutum exercitatione tantò alios deberent excellere, quantò eorum Religio, nimirùm Christiana, aliorum omnium vocationes antecellit.

Complures mali, sunt animosi.

Humilitas & modestia nonnullorum fortissimorum.

SECTIO LXVII.

PAssim sacræ litteræ confirmant ea, quæ dico, nempe omni tempore extitisse aliquos homines, qui, quò fortiores, eò humiliores. Exemplo sit ille

ille fortissimus Dei exercituum Dux & & Imperator Iosue: sit & Rex Dauid bellator in sua iuuētute strenuus æquè ac felix. Adde & Gedeon, qui ingenio ac manu promptus, à Deo electus fuit ad obtinendam victoriam contra Madianitas. Cuius beneficio multis annis afflicti per suos hostes Hebræi respirarunt. Hi omnes, alijque non pauci mitissimi modestissimique in cæteros Hebræos extitêre, vti sacræ declarant paginæ: maximè autem psalmi magni illius Regis ac Prophetæ Dauidis, qui vbique passim personant, intonant ac enunciant eius humilitatem animique moderationem non fuisse inferiorem fortitudine.

Exod. 17. 9. 13.

Iudic. 6. 7. 8.

Inter Christianos Duces & Imperatores, Carolus Magnus, Godefridus Bulonius, Sanctus Ludouicus Galliæ Rex, alijque magni nominis principes, non magis ob res domi militiæque fortiter gestas, quàm ob animi demissionem apud omnes gentes fuerunt in admiratione. Et quanquam inter Ethnicos nulla veræ humilitatis, nec aliarum virtutum (cùm omnes, vt virtutes sint, fidem pro fundamento habere oporteat)

Nulla virtus sine fide.

oporteat) reperiantur vestigia, tamen eorum plerique, qui habebantur fortes & strenui, ijdem dictis & factis eximiam præ se ferebant modestiam. Certè Alexander inter Græcos moderatissimus erat, & vt magnus fortitudine & rebus præclarè gestis, ita & benignitate erga omnes singularis. Cæsar eâ præditus erat modestiâ, vt suos milites sociorum commilitonumque nomine compellaret. Fabius Maximus militum conuitijs, aculeisq; punctus, non repungebat. Titus quantus fuerit Imperator, res in Palæstina fortiter gestæ, vltimaque contra Hebræos reportata victoria testantur; idem tamen ob habilitatem morumque suauitatem vocatus est deliciæ mundi. Paucis, quotquot magis ingenio, sapientiâ, rebusq; gestis in militia, alioque quocunque statu præstitêre, ijdem in omni sua actione humilitatis modestiæq; exempla exhibentes, sapientissimè iudicârunt, quòd superbire, gloriari, vanè ob suam fortitudinem se iactare, sit vnius furiosi insanique Aiacis, aut alicuius gloriosi Thrazonis in scena quapiam actus, & non militis generosi.

Alexander. Cæsar. Fabius. Titus. Suet.

Dico

Homines militares maximè egent humilitate.

Dico ego, huic diſcurſui finem imponens, quod ſi qui ſunt in mundo, qui humilitate & modeſtiâ egeant, eos eſſe maximè, qui virtute bellicâ alios antecunt: quia, cùm multa, dexteritati ſuæ fidentes, contra multos ſæpe aggrediantur, meminiſſe etiam debent, ſe habere multos vitæ inſidiatores: & ſi vnquam alias, nunc maximè quando tot modi & machinæ inuentæ ſunt ad vitam tollendam. Plutarchus inter referenda Regum dicta, ait Archidamum Regem, cùm magnam Scorpionum manualium multitudinem recèns inuentorum, & è Sicilia allatorum vidiſſet, exclamaſſe ac dixiſſe: *ah omnis iam ars, & induſtria bellica periјt!* Quod ideo dixit, quia animaduertebat neminem, aut potentiâ aut dexteritate armorum ita præſtare, qui non æquè facile huiuſmodi machinis è medio tolli poſſet, atque abiectiſſimus quiſque cacula. Quantò maiori nos iure hiſce temporibus, quæ perniciosiſſimarum machinarum feraciſſima ſunt, dicere id poſſumus, quàm Archidamus, ſiquidem viliſſimus quiſq; lixa æquè ac præſtantiſſimus miles, plumbeo globo per æneam

De dictis Regum.

Theuet. tom. 2. de viris

ænæam fistulam emisso, fortissimum totius exercitûs occidere potest! Quod non rarò diuina permittit iustitia: quæ nunquam non docet omnes in omnibus humilitatem colere; persequitur autem, punit & deprimit superbos, & præsertim milites, in quibus, vt plurimùm insolentia dominatur.

illustribus. Iouius anno 1425. Genebr. in Martino V. Ex Polyd. Virg.

Exinanitio ob corporis pulchritudinem.

SECTIO LXVIII.

PVlchritudo corporis est donum è manu Dei proueniens, vti & sanitas, ac fortitudo: ea autem magis fœminis, quàm viris conuenit. eius PRIMVS & PRINCIPALIS VSVS in lege Christiana est, vt ea Deo dedicetur, ac in perpetuum consecretur. vti reipsa multa virginum millia sese consecrarunt, & adhuc in dies se consecrant non solùm Virgines, sed & aliæ animæ Deo gratissimæ, quæ mundi illecebris nuncium remittentes, corpus Deo, munus acceptissimum offerunt. ALTER VSVS est honorare nuptias,

V. g. 2. s. 29.

Bonus pulchritudinis vsus res diuina est.

nuptias, & seruire posteritati, in timore Dei, propagandæ. Extra hos fines si euagetur pulchritudo, eius possessio vehementer est periculosa: ob eam siquidem complures superbierunt, perierunt, in suique ruinam populos & Prouincias integras pertraxerunt.
3. lib. metam. Narcissus dum suam pulchritudinem in fonte contemplatur, & suiipsius amator perniciosè efficitur, Poëtis præbet occasionem, eius insanos amores publicandi & decantandi. Fabula est, dicet quispiam; non negârim: sed ita est fabula, vt quotiescunque aliqui ob corporis sui speciem gloriantur, & philautiâ capiuntur, non fabulâ, sed res per eam repræsentata verificetur. Tales siquidem veri sui ipsorum perditè amantes, adinstar Narcissi, constituuntur.
2. Reg. 14. 25. & 18. 9. Hoc corporis donum Absolonem eximiæ pulchritudinis Principem, potissimùm vt superbiâ se extolleret, perderetque, effecit. Et Cæsaries, quâ ad ostentationem, quasi aureis filis, ad tibias vsque dependentibus vtebatur, ei laquei loco fuit, quando inter cælum & terram in condensâ quercu suspensus est. Helena corporis sui venustate amatorem

amatorem suum Paridem æquali secum corporis elegantiâ præditum, Troiamque perdidit, & vniuersam Europam, atque Asiam occasione illius Troianæ obsidionis cædibus incendijsque vastauit. Vnde nulla corporis elegantia occasio debet esse homini ad superbiendum, ob causas suprà positas: verùm & virum & mulierem ob particulares rationes inducere debet ad humilitatem. In primis quia inter corporis dona, minimum habet vtilitatis, estque maximè interritui obnoxium. Sanitas est necessaria, eamque sequitur fortitudo, & fere suo se inuicem tuentur præsidio. Illa est fundus domesticus humanarum actionum; hæc Reipublicæ columna; pulchritudo autem necessaria non est, facile liuescit, & nisi diligentissimè curetur & foueatur, maximè in fœminis, prorsus euanescit: Eam exigua infirmitas deprimit, senectus autem, præcisâ omni eam recuperandi spe, absumit. Deinde cætera corporis bona eius sunt, qui ea possidet: *hoc autem vt aiebat Bion Philosophus, totum quantum est, alterius est, & absque societate nihil est apud mortales.* Primò aliotum

Homilia. 1.

Laert. lib. 4.

rum commodis studet; deinde suis. Quare igitur ô vir, ô mulier, ob fluxam corporis tui speciem, qua circundata es ad seruiendum oculis & concupiscentiæ eorum, qui te, non propter te, sed propter se contemplantur, superbis? Vide, ni cæca es, istiusmodi homines esse coruos, te escam, illi inhiantes corpori deuorando, simul & honorem & salutem tuam deuorabunt. O deploranda muliercula, quæ alieno aspectu delectaris, & delectando extolleris, si, te exceptâ, omnes homines essent cæci, aut casti, nonné superbia tua alas nimiùm erectas cornuaq; submitteret? si aliorum cæcitas elati animi tui morbum sanare potest, cur rationis lumen non potest? de eo, quòd amaris, superbis? amens es, ignara es, dum te penitus latet causa istius amoris. Non tu amaris, sed caro tua, vt Venatores, non aprum ipsum, sed eius amant carnem, vt eâ vescantur. Eques non equum, sed equi vsum amat, ita qui te solicitant & ambiunt, non tuum commodum solicitant & ambiunt, sed tuam carnem solicitant, vt sua compleant desideria. Eorum amor non est

Prou. 31. Chil. 4. cent. 8. Quod pulchrum, idem amicum.

verus

verus amor, sed rabies quædam effrænata. Moneo te, ne verbis eorum, qui dicunt quòd te ament decipiaris: non te, sed se suamque voluptatem in te, tuisque expensis amant. Mihi crede, ijs cordi non est tua salus, imò flocci pendunt, si æternaliter cum corpore & anima inferni flammis addicaris, modò corpore tuo mortali, vt coruus cadauere, perfruantur.

Qui turpiter amant se, non alium amant.

Pulchritudo corporis multas præbet superbis occasiones interitûs.

SECTIO LXIX.

TErtiò donum pulchritudinis corporalis multas occasiones & causas exhibet se habenti ruendi in interitum, nisi diligentem sui agat custodiam, humilitatisque præsidio se tueatur. Pulchritudo enim corporalis ob naturæ corruptionem est inimica castitatis; ideoque tam difficile, & tam rarum est, quàm pulchrum, in eleganti & formoso corpore reperire animam virtute castitatis fulgentem. Pulchritudo cupit videri & videre, amari & amare,

amare, optat lætitiam & gaudium; in altero producit amorem. qui productꝰ, in amato alium producit. Est enim quædam reciproca qualitas, & ignis, qui genitus gignit alium. Et vt dicebat Socrates *est Tyrannis quædam suauiter crudelis, trahens & ligans catenâ amantium inter se corpora & animas.* Est periculosa pedica, & violenta perditionis illecebra, quâ capti, prô dolor, quàm multi in interitum animæ & corporis præcipites sese dant! Est & vna è Sirenibus perniciosa, cuius blanditijs illecti, honoris & salutis multi naufragium subierunt: quia cùm pulchritudine sui corporis malè amati, peius solicitati, & pessimè eius illecebris capti insolescere cæperint, ruunt in casses & retia amantium. Quàm pauci hodie reperiuntur Iosephi, qui resistant suis cupiditatibus, qui solicitati ab improba Hera non flectantur, qui posthabito carceris mortisque periculo, florem pudicitiæ seruent, qui impudentis mulieris libidinem euadant! Quàm etiam paucæ mulieres Cordatæ Iudithæ inueniuntur similes, quæ sua pulchritudine ita feliciter ad ostentationem est vsa,

Pulchritudo tyrannis est. Laert. lib. 5.

Difficulter coniunguntur pulchritudo & castitas.

Iosephus pulcher & castus, sicut & Iudith. Gen. 39. 6. 8. 10.

Iudith. 8. 7. & 10. 4. 14. c. 11. 10.

vsa, vt ne minimam labeculam contraxerit: Patriam suam ab imminente iam iam excidio, nece suo amatori illatâ, liberârit; quin & cubile, quod ei cæca libido ad eius pudicitiam expugnandam parârat, in triumphum traxerit gloriosa. Illud singulare mirandumque magis, quàm imitandum Virginis Alexandrinæ factum, quæ non reperiens alium modum, quo cæcæ libidinis amatoris sui ardorem restingueret, vtrumque sibi eruit oculum, vnde reddita iam turpior se conseruauit, & malè se amantem ad Christi amorem ita traxit, vt is in perpetuum, se ei, castitatemque suam consecraret. Viden' vt Virginis huius deformitas maioris apud diuinam Maiestatem meriti fuerit, quàm pulchritudo, & simul ei tutela ac Asylum fuerit? Sed non omnibus idem est animus & vita, quandoquidem tot conspiciuntur in dies, quibus pulchritudo nunquam non castitati struens insidias, est lapsûs ac ruinæ occasio. O quantò meliùs multis esset eâ carere, corporisque deformitatem aliquam habere, quàm tantò periculo & sæpe sæpius animarum suarum

Quæ impudico Holoferni caput abstulit.

Magnanimitas Virginis in prato spirituali. Item gradu 5. c. 18.

Pulchritudo propriè est mulierum.

rum detrimento eam possidere! Tandem pulchritudo non est donum Viri, sed fœminæ proprium. Ea, scilicet pulchritudo eius sunt arma præcipua, quibus, oculis & lacrymis comitantibus, bellum inchoat, prosequitur & vincit: sed solùm remissos ac timidos. Vir, qui de sua pulchritudine gloriatur, fœmineum in virili corpore animum se gerere monstrat; fœmina autem quæ ob speciem suam sese extollit, (quæ aliud non est verè quàm saccus sordibus oppletus, quàm turpis paries depictus colore pulchro) deturpat animam suam, fatuamque se ostendit, dum ancillæ, (nempe corporis decolorati) quàm Dominæ & Reginæ, id est animæ supremæ, & creatricis venustatis, simulachri pulchritudinem pluris æstimat. Noli ergo, noli cuiuscunq; sexûs, ætatis, conditionis existas, tibi de tua pulchritudine blandiri *Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur*. Verùm teipsum in conspectu diuinæ Maiestatis humilia, vt hoc pulchritudinis donum externis, domesticisque hostibus expositum, tibi, sibique seruet incolum- [illegible] ne per pulchritudinem

dinem corporis terrestris, & corruptibilis, animæ immortalitate & incorruptibilitate præditæ iacturam, nullis annorum centurijs ~~nibus~~ recuperandam, facias. Etsi Deus te dignatus fuerit suis consilijs, ei comprimis corruptibilem tuam pulchritudinem offerto, qui animam æternâ beatitudine, corpus autem immortalitate in nuptijs Agni, & æuo illo intermino, ac omnibus delitijs affluenti, beabit. Pulchritudo Deo consecrata felicissima est.

De Humiliatione Diuitum.

SECTIO LXX.

TErtium genus bonorum, quæ fortunæ nuncupantur, constat potissimum diuitijs, honoribus, & magni nominis famâ. Omnia autem hæc sunt extra ipsum hominem, quia neque in eius anima, neque in corpore sedem suam habent; sed ea vtrumque per accidens, iuxta tamen diuinæ prouidentiæ dispositionem (quæ cursum rerum humanarum dirigit) concomitantur. Cosistunt autem diuitiæ principaliter in magnificis ædibus, in agris, in auro, In quo consistant

diuitiæ & bona fortunæ. in argento, mercibus, alijsque rebus tum mobilibus, tum immobilibus. Quæ etsi admodum sint instabilia, inconstantia, omniquè fortunæ ludibrio exposita, tamen vt plurimùm mortalibus quasi facem præferunt ad fastum, & sui ipsorum ignorantiam. Quod ita se habere sacri codices passim, & experientia clarè nos edocent. Deus per Moysen, verbis castigat populum Hebræum, eò quòd, postquam liberatus eius manu, ditatus & incrassatus est, superbus & ingratus extiterit: *incrassatus est,* inquit *dilectus, & recalcitrauit: incrassatus, impinguatus, dilatatus dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo.* Idem dicit Iob verbis diuersis: *abundant tabernacula prædonum, & audacter prouocant Deum, cùm ipse dederit omnia in manus eorum.* Diuus Ioannes in sua Apocalypsi, dum diuitem hoc modo loquentem inducit: *Diues sum & locupletatus, & nullius egeo,* hominem superbum, ac in potentiâ diuitiarum confidentem suis depingit coloribus. Sanctus autem Paulus perbellè callens originem & vehementiam tanti mali, & remedium & fræna adhibet, his verbis scribens

Deut. 32. 15.

Iob. 12. 6.

3. 17.

1. Timot. 6. 17.

scribens ad Timotheum *diuitibus huius sæculi præcipe non sublimè sapere, neque sperare in incerto diuitiarum.* Effectus diuitiarum est superbire; diuitum autem amentia innititur rebus caducis & incertis. Sexcenta hominum misellorum exempla, qui ob suas diuitias superbi facti sunt, ostendunt ea, quæ de illis dicit scriptura, verissima esse. Vnde ijs referendis diutius immorari superuacaneum existimo. Declarandum potius est, vnde proueniat, quòd diuitiæ, quæ (ob suam vanitatem, vilitatem, & inconstantiam, factâ comparatione cum bonis animæ & corporis) deberent ingenerare contemptum, & humilitatem in ijs, qui eas possident, producant superbiam.

Vnde proueniat, quòd diuitiæ generent superbiam.

SECTIO LXXI.

ME acutiores facilius inuenient causas huius effectûs; Ego interim affero, quas iudico Principes. PRIMA *autem est hominis ipsiusmet* I. superbiæ causa.

met dementia: quæ vt antè dixi, indiuidua comes est superbiæ. Ea enim dominans in mente hominis euecti ad diuitias, continuè superbiæ, sorori charissimæ, porrigit manum, & in contubernium admittit. Vnde diuitiæ, ex sua natura, non sunt, nisi occasio extrinseca arrogantiæ; at verò stultitia intrinseca & vera causa est; quia homo stultitiâ præoccupatus nequit ob debilitatem ingenij introspicere naturam & conditionem bonorum huius mundi: atque ita proprijs tenebris excæcatus, credens bona, quæ possidet, rem maximi esse momenti; in suis vanis discursibus inflatur, ac deîn ruit præceps in superbiam, humorem & qualitatem prorsus sibi affinem, vti febris calori, & eò stultitiæ progreditur, vt se sapientem credat. Quod est supremus apex stultitiæ & superbiæ iuxta dictum Salomonis: *Vir diues videtur sibi sapiens.* Quod est dicere, credit suâ se industriâ ac prudentiâ, & non fauore diuino ad has, quas peramplas possidet, opes peruenisse; credit se beatum, omniquè honore dignum, quia arcas habet refertas metallo. *Certè & montes non pauci auri*

Diuitiæ causa arrogantiæ.

Prouerb. 28. 11.

argentiq;

argentiq; fodinas inter viscera inclusas continent ideóne gloriari, montesq; cæteros talibus metallis destitutos contemnere præsument? Quare, vt PRIMAM, *cur nempe in diuitibus communiter superbia progeneretur* CAVSAM CONCLVDAM, dico id prouenire ex proprij cerebri debilitate, ac innatâ domesticaq; hominis stultitiâ.

SECVNDA CAVSA, *est etiam stultitia*, verùm non propria, sed aliena. Cùm enim plures mortalium magni æstiment opes, beatos quoque dicant eos, QVIBVS HÆ SVNT; hi seipsos ignorantes, credentesque delatos honores sibi omni iure deberi, attollunt supercilia, sibique blandiuntur adinstar asini Æsopici, qui cùm Iouis simulachrum gestaret, & passim se transeuntes ac spectantes geniculari animaduerteret, sibi id honoris deferri existimauit. Quare in sua superbia sunt prorsus stulti, & in suo iudicio asini, quandoquidem non ipsi honore afficiuntur, sed in ijs eorum diuitiæ. Quod luce meridianâ clarius conspicitur in ijs, qui ex diuitijs redacti sunt ad paupertatem, vt bene notauit Poëta. *Donec eris felix multos numerabis amicos, Tempora*

II. superbiæ causa.

Psal. 143. 13. 15.

Gabriæ Græci fabula 6. de asino gestante simulachrum.

V. Alciat. embl. 7. Asinus portans mysteria, non sibi, sed religioni.

Ouid. lib.

1. Trist. Eleg. 8. *pora si fuerint nubila, solus eris.* Stulti quidem maximi sunt qui superbiunt, ob delatos causâ diuitiarum honores, sed etiam stulti illi, qui bona peritura & non valentia hominem, nisi adsit virtus, reddere honore dignum, magni faciunt. Duo ergo stultitiæ genera duas conficiunt primas superbiæ caussas in ijs, qui opibus abundant.

III. superbiæ caussa. TERTIA profluit ex potentia & auctoritate, quam conferunt opes suis possessoribus: nam quemadmodum pecunia est instrumentum generale ad omnia, quæ animus excogitare potest, obtinenda: *pecuniæ enim obediunt omnia,* & vt Poëta canit: *Et genus & formam Regina pecunia donat;* ita homines copiosi omnibus imperant, ijsque ab omnibus ad nutum obtemperatur. Vnde in maximam euadunt insolentiam, dum nullius se operâ; contrà omnes illorum indigere animaduertunt. Hæc res in cerebro cruditatibus obnoxio infinitos producit fumos, quibus inflatus is, qui ob suas opes se honore affici videt, crepat.

Eccles. 10. 19. V. Prou. 87. Chil. 1. cent. 3. Horat. lib. 1. Epist. 6.

Quod

Quod vir sapiens non extollatur ob diuitias.

SECTIO LXXII.

QVi parum aut nihil valet iudicio, ob amplas possessiones & copiosos thesauros facile extollitur; at verò qui eo pollet, longè aliter de ijs sentit. In primis enim animaduertit, quòd opum possessor præter earum imaginationem propè habeat nihil, ac proinde eas possidet quasi per somnium. Et certè morte obitâ non plus hinc aufert, atque is, qui somniat se thesauros reperisse, sed vbi euigilârit, *nihil inuenit in manibus suis*. Quod sapienter D. Iob adnotauit: *Diues cùm dormierit, nihil secum auferet; aperiet oculos & nihil inueniet.* Ita suos in Inferno aperuit diues Epulo, qui in hoc mundo *epulabatur quotidie splendidè*, & in delicijs viuebat; at in altero ne guttulam quidem aquæ indipisci valebat, quâ adustam flammâ Infernali linguam refrigeraret. S. Dauid Rex & Propheta in eandem scribit sententiam: *ne timueris*, inquit,

27. 19.

Luc. 16. 19.

Psal. 48. 18. inquit, *cum diues factus fuerit homo: & cùm multiplicata fuerit gloria domus eius, quoniam cùm introierit, non sumet omnia.* Quasi diceret: Disce ô homo, non apponere cor ad diuitias; sed eas (antequam ab ijs deseraris) deserere, meminisseque te non esse earum Dominum, sed solùm, vt verbo iuris vtar, LOCATORIVM. Solùm ergo & quasi per somnium, delirium & imaginationem possidentur diuitiæ, quod præclarè expressit Philosophus: *Si equus tuus, eò quòd pretiosis sub te gradiatur instructus ornamentis, gloriaretur, tolerandum id esset in bestia: at verò si tu propter bona, quæ ad breuem vsum & velut per somnium possides, ratione repugnante gloriaris, intolerandum id prorsus est.* Existimas te vineta, prata, viridaria, & dominia possidere, iubes te nominari: BARONEM de HOMALOTA: MARCHIONEM de OREONE: COMITEM de AVLONA. & tamen, saluâ imaginatione, non magis ea possides, quàm is, qui nihil prorsus habet. Quis tibi ea iure dominij ad te spectare dixit? quibus nec mandare quicquam, nec ea è suo loco vel latum vnguem vales mouere, vel ea ad te trahere. O si illud,

Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium quod nec quid auferre possimus 1. Timot. 6. 7.

Nudus egressus, nudus reuertar. Iob. 1. 21.

Epictetus c. 11. Enchiridij.

Vani tituli.

Nihil est nostrum præter vsum.

illud, quod tuum vocas pratum, quod tuam vocas vineam, quod tuam Villam, quorum te possessorem & dominum nuncupas, ratione & loquelâ prædita essent, Deus bone quibus cachinnis te non exciperent! quo te non naso suspenderent! dicerentque se, ne te quidem nosse magis, quàm alios, ad quos ante pertinuerunt, vel ad quos postea pertinebunt. Quin & te delirare dictitarent adinstar Trasyllæ Atheniensis, qui eò vsque delirando progressus est, vt quotquot ad littus Atheniense appellerent vel starent naues, suas esse affirmaret; at vbi sano redditus est cerebro, in prioris paupertatis conditione sese reperit. Cùm anno 1572. agerem Parisijs, contigit nobilem quendam adolescentem studiosum, è cætu nostrorum Conuictorum, dum sibi deesse nummos apprehenderet, eò stultæ imaginationis deuenire, vt certò persuaderet sibi data à Christianissimo Rege Carolo nono duo millia aureorum, insuper robustissimum & generosissimum equum, & alium gradarium, vt vocant Anglicanum; condiscipulorum, qui ad eum gratulabundi

Trasyllas diues per imaginationem. Athen. lib. 12. c vlt.

Studiosus diues imaginatione.

bundi veniebant ob tam fortunatam donationem, alius sibi accommodari generosissimum illum è Regis stabulo equum, alius quinquaginta aureos petebat mutuos; alius illum alterum equum ex Anglia, gradi quidem aiebat instar venti alicuius velocissimè, sed subinde nonnihil cæspitare. Adeo autem profundè immersus fuit illi phantasticæ imaginationi, vt cùm corporis sanitati restitutus esset, adhuc imaginationis vehementiâ perseuerante, vix ei dissuaderi posset, id quod apprehenderat, fuisse falsum. Diuites huius mundi per omnia his sunt similes, nisi quòd iudicij defectu magis laborent: quia cùm credant se integris constare sensibus, rationisque acumine alijs omnibus præpollere, toto errant cælo, neque prius ad rectam rationis viam sunt redituri, quàm eorum animæ aliquâ cælesti face illustrentur, quâ
Iob. 1. 21. videant *se nudos egressos de vtero matris suæ, & nudos illuc reuersuros, nihilq; in hunc mun-*
Eccles. 5. 14. *dum intulisse, imò nec in eo nisi imaginatiuè, quicquam possedisse, haud dubium nec quic-*
Timoth. 1. 6. 7. *quam ex eo secum ablaturos.* Vnde non solùm non deberent sumere occasionem
super-

ſuperbiendi ex poſſeſſionibus, quas ſuas dicunt, ſed potius ob ſua deliria ſe humiliandi.

Alÿ modi, quibus diuites iuuari poſſunt ad acquirendam humilitatem.

SECTIO LXXIII.

CErtè ſi nemini inſoleſcendum eſt propter ingenij, ſcientiæ aliorumque animæ donorum, quæ cæleſtia & æterna ſunt, præſtantiam, ſi neque ob corporis ſanitatem, fortitudinem, pulchritudinem, quæ noſtra ſunt bona: quis tantæ erit arrogantiæ, qui præſumat gloriari ob bona terrena, quæ admodum ſunt caduca, quæ minimi pretij, quæ extra hominem poſita ſunt, quæ è manu vnius tranſeunt in alterius, non ſecus atque aquæ fluentes, & refluentes, adinſtar dolij Danaidum apud inferos? imò Matth. 13. 22.
quis ſe non humiliabit & demittet ob diuitiarum poſſeſſionem, & curationem moleſtam æquè, ac eſt poſſeſſio ſpinarum, vt ſuprema aſſerit veritas.

Nihil enim ita pungit & excruciat animam, atque diuitiæ; *Pungunt primò dum concipiuntur in mente, dum acquiruntur cum labore, dum poßidentur cum solicitudine, & maximè dum perduntur cum dolore.* Deus bone, quot non puncturis dilacerantur ij, qui his spinis inquirendis diu noctuque student! Quibus non curis & solicitudinibus anguntur? quæ non maria sulcant, quas prouincias, regiones non adeunt, vt metallis è terra effosis suas repleant domos? quot corporis incommoditates, nunc frigus, nunc calorem, nunc famem, nunc sitim patiendo, non subeunt? quot periculis, iam aquæ, iam ignis, iam latronum, iam ferocium bestiarum sese non exponunt? At verò si domi, omissis longis & periculosis terrâ marique, extra vrbem, extra patriam peregrinationibus lubet ditescere, agendo verbi gratiâ, causas, quot curæ intus pungentes, quot inconditi aduersariorum clamores & scommata, quot molestiæ, quot labores intra & extra tribunalia, & curias perferenda? si aliud ditescendi genus elegisti, exempli causâ ad mensam sedere, argentariam exercere,

quàm

quàm laboriosus & molestus is acquirendi diuitias modus est? Et vbi acquisiueris, quantis excoquêris animi curis, vt eas conserues? Et si perdideris, quod procliue est, quoties tu eas perditas summo animi dolore & recordatione suspirabis? sed quod sequitur magis formidandum est omnibus supradictis: nempe quòd opes facem præferant ad omne vitiorum infortuniorumque genus, & ex consequenti planissimum facillimumque efficiant ad æternam perditionem aditum: *Diuitiæ inquit vnus è Sapientibus Græcis, mater sunt saturitatis, mater violentiæ & crudelitatis. Earum dum existunt, comitatus & sequela est luxus; finis autem Tyrannis.* alius in eandem sententiam in hunc modum loquitur: *opes sunt thesaurus malorum, viaticum infortuniorum, promptuarium nequitiarum.* Nec Græcis cedens Latinus Poëta sic scribit. *Quid non mortalia pectora cogis Auri sacra fames?* Et S. Paulus disertis verbis ait ad Timotheum, *qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem & laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas.*

Difficultas in conseruando & dispensando diuitias.

Solon.

Laertius lib. 1. c. 3.

Virg. 3. Æneidos.

1. Timot. 6. 9. 10.

piditas. Si ij, qui desiderio tantùm sunt diuites, in miserias à Diuo Paulo relatas incidunt, in quantas incident ij, qui reipsa sunt diuites? Ecquis aliquando sese extulit, quòd perniciosis agitetur cupiditatibus, quòd rebus aduersis excrucietur, quòd omni momento periculis & infortunijs sit expositus? quòd gestet laqueum, quo est suspendendus? gehennam quâ est torquendus? ligna, quibus comburendus? gladium quo plectendus? Quid fiet superbo succumbente sub onere diuitiarum, quem, attestante incarnatâ veritate, *difficilius est intrare in regnum cælorum, quàm Camelum transire per foramen acus?*

Facilius est. Matth. 19. 24. Marc. 10. 25. Luc. 18. 25.

Quis crederet diuitias ita absolutè præcludere aditum ad beatorum domicilium, nisi Deus, in quem non cadit vlla falsitas, prædixisset? Quis igitur sese extollere audebit, quòd materiam & instrumenta perfidiæ, proditionis, latrocinij, homicidij, adulterij, perditionis, ac demum Inferni in promptu habeat? O animæ generosæ veraque sapientiâ præditæ, quæ animaduersâ diuitiarum vanitate, ab ijs vos abstraxi-

Deus non mentitur. Tit. 1. 2. Hebræ. 6. 18.

Ad paupe-res & hu-miles re-ligiosos.

abstraxistis, aut, quæ propius Christi vestigia sectantes, emisso cælitibus voto, bonorum terrestrium vanitati prorsus nuncium remisistis, & Euangelicam paupertatem amplexatæ estis, gaudete de tam fortunata, tamque paucis contingenti felicitate, quæ est semen omnis omnino boni, & acquisitio cælestis gloriæ. Et vos diuites huius mundi, qui infeliciter corda vestra terræ dicastis, spemque in instabili arena fixistis, *plorate, vlulate*, quia dum ex hac vita emigrabitis, nihil vobiscum efferetis; in altera autem pro æterno domicilio, vix terræ (quam viuentes adorastis) orgyam habebitis; ibi nihil omnino reperietis, præter inopiam rerum omnium, præter miseriam, confusionem & infelicissimam infelicitatem, quæ sunt merces extremæ vestræ auaritiæ, & supinæ socordiæ in quærenda salute. Ad diuites superbos.

Humiliatio Regum, & aliorum qui in hac vita alijs præcellunt.

SECTIO LXXIV.

S*Ecundum genus bonorum fortunæ est honor*, qui ab homine homini exhibetur Quid sit honor.

betur cum actione aliqua, in virtutis ac eminentiæ testimonium, residentis in eo, cui exhibetur. Quo nomine Magistratus, gradus, dignitates tum Ecclesiasticæ, tum sæculares, Prælaturæ, Regia Maiestas, Præfecturæ, & similes dignitatum functiones comprehenduntur. Loquar hic tantummodo de Regum humiliatione; cùm enim inter mortales eorum dignitatis gradus Imperatoris excepto, supremus sit, & omnium aliorum eminentiam contineat, quod de ea dicetur, facile omni honorum generi accommodabitur.

Dignitas regia prima est inter honores politicos.

V. 2. g. § 42.

Honor ergo, vt alia bona, homini potest esse occasio superbiæ, & quidem Regius tantò magis, quantò est illustrior, quantóque altius hominem Regem supra alios exaltat. Sed & ipsa experientia docet paucos extitisse Reges, qui non fuerint arrogantes & superbi; huius rei testimonium exhibuerunt olim Pharaones, Nabuchodonosores, Romanorum Imperatores, Syriæ & Asiæ Reges, qui omnes primum dignitatis locum inter mortales tenuerunt. Sed & Hebræorum Reges, qui tamen legem Dei digito exaratam habuerunt, paucissimis

Pauci Reges humiles.

paucissimis exceptis, incipiendo à Saulo, qui sua in electione perhumilis erat, vsque ad vltimum, qui fuit Herodes, hoc vitio infecti fuerunt. Sacræ litteræ excipiunt tres vel quatuor, qui cum sceptro modestiam & humilitatem tenuerunt, inter quos maximè eluxit Rex Dauid, qui fuit humillimus fortissimus ac sanctissimus.

Superbia omni Magnatum statui, maxime autem Regio perniciosa est.

SECTIO LXXV.

HOc vitij genus in omni quidem omnino statu & conditione hominum est vituperabile, sed vel maximè in ijs, qui manu sceptra, & capite gerunt diademata, est & vituperabile, & simul perniciosum. Commutat enim dignitatem tyrannide, & ipsos Reges in ruinæ barathrum præcipitat. Regum superbia non solùm ipsis officit Regibus, sed & omnibus ijs, qui eorum parent imperio: superbia enim innixa opibus, & dominio eorum absoluto & independenti ab vllo homine, in

Superbia in omni re reprehensibilis.

Complures Magni

ſe Deos crediderunt, hic ſ. 17. & g. 2. ſ. 15.

Magni maximè egent humilitate.

in tantum eos eleuat, vt conditionis humanæ obliti, vti ſuprà annotaui, Deos ſe exiſtiment, & vt Dijs cultum ſibi deferri velint. Talem vitam ducunt, taliquе faſtu imperant, acſi, vti in terris, ita neque in cælis haberent vllum ſuperiorem, qui eos ad reddendam de malefactis rationem poſſet adigere, & caſtigare. Huius rei exempla tam in ſacris, quàm prophanis litteris paſſim occurrunt: ita vt non ſit neceſſe plura adferre, quàm attulerim ſupra ad demonſtrandum, quòd ſi cui in mundo ad plurima pericula & inconuenientia euitanda, humilitas neceſſaria eſt, maximè ea ſit Regibus & mundi Monarchis: quod mirandum & quaſi paradoxum primò aſpectu videbitur mundanis hominibus, qui Reges beatos, ac proinde extra omnem, quâ ſe humilient, neceſſitatem exiſtimant. Verumenimuero qui ſupra poſitam rationem maturè perpenderit, videbit, quod dixi eſſe veriſſimum. Deus ſuprema veritas & increata ſapientia modo, quo hunc mundum gubernat, id nos edocet; ſiquidem primus, quem populo ſuo præfecit, Rex omnium erat humillimus.

humillimus. Fuit autem is SAVL ex tribu BENIAMIN, minimâ in Israel, ex familia CIS, quæ fuit infima. Qui Saul adeo erat humilis, vt cùm vngendus esset in Regem Dei mandato, se absconderit; adeo erat simplex tractabilis & absque dolo, vt scriptura dicat *Vnius anni fuisse, quando regnare cœpit, & regnasse duobus annis super Israel*; Regnauit autem vltra 20. sed scriptura iuxta ordinarium loquendi modum vult dicere, quòd regnârit, vt decet regnare verum Regem, tamdiu, quamdiu mansit humilis, & instar infantis absq; dolo; postquam autem, admissâ in cor superbiâ, accepti à Deo regni, aliorumque beneficiorum memoriam deposuit, simul veri Regis, retento solùm titulo, ornamenta perdidit. Et hæc causa fuit cur Deus in eo seriem & cursum regni, ne ad eius posteros deriuaretur, præciderit. Atque ita Saul, qui primus populi Dei exercituum *electus est Rex per Humilitatem, idem ob superbiam, vt ait S. Gregorius, est reprobatus.* Dauid autem post eum tanquam humillimus inter fratres suos ad regnum est assumptus, confirmatus atque stabili-

1. Reg. 10. 21. & 1. Reg. 13. 1.

Primi Reges electi humiles.

S. Greg. in Iob. lib. 26. mor. c. 19. hic sup. f. 19.

tus in throno regni in se, suisque hæredibus vsque in sempiternum. Documenta hæc ad oculum nobis ostendunt Dei voluntatem, quæ & eius ipsamet est iustitia, exposcere iustissimè à Regibus, vt, sicuti sublimes sunt in honore, ita profundi sint in humilitate.

Coniunctio magnæ dignitatis cum magna humilitate est opus Dei & consociatio diuina.

SECTIO LXXVI.

c. 2. & 43. DOcente naturâ addiscimus coniunctionem amplitudinis cum humilitate esse opus diuinum, admodumque rationi consentaneum, vt is qui supremâ fulget dignitate, pari etiam fulgeat humilitate; ille quisquis est, est veluti pulcherrimum altissimumque ædificium, profundo solidoque innitens fundamento; ille est veluti turris altissima, supra firmum exructa fundamentum, cui neque ventorum
Matth. 7. 26. rabies, neque aquarum inundationes nocere possunt: contra nihil est ruinæ magis obuium, quàm domus supra incon-

inconstantem arenam, aut locum palustrem ædificata. Quare nil magis lubricum, magisque casui obnoxium, quàm Rex aut Monarcha absque solida profundaque humilitate, nulla infelicior coniunctio, quàm si is, qui supremus absolutusque dominus est, idem sit superbus. Quòd abominans sapiens diuino instinctu sic Reges alloquitur, eorumq; aures minaci seueroque tundit malleo: *audite*, inquit, *Reges, & intelligite, discite Iudices terræ. Præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur: quoniam cùm essetis ministri regni illius, non rectè iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, neq; secundum voluntatem Dei ambulastis*: Et paulò post: *Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur*. Profectò verba ista satis energiæ habere deberent ad deprimendas cristas eorum, qui astris æquales sibi gradi videntur; ad elatos in superbiam oculos ac aures in terram deijciendos, ad reducendum eos ad mentem, qui ab ea longè latéque deuiârunt; vt tandem sibi rebusque ad salu-
tem

Minæ contra potentes terræ.

Sap. 6. v. 1. & seq.

V. 7.

tem propriam spectantibus consulant, meminerintque, esto ad breue tempus super cæteros sint constituti, se esse mortales, nec non eorum dignitatem, si fuerint superbi, ijs maius fore præcipitium ad perditionem; eorum præcellentiam ignominiosius dedecus; eorum gloriam turpiorem confusionem. Quod si Reges ex debito & ex necessitate iustitiæ se humiliare & intra modestiæ limites continere debent, quid alios Principes & inferioris ordinis, qui Reges non sunt, facere conuenit? sed quid alijs, qui neque Principes, neque in dignitate vlla sunt constituti, sed solùm Reipublicæ membra in infimo loco, ob innatæ conditionis statum, posita, ne altius se extollant, quàm eorum status ferat, faciendum est?

De humiliatione eorum, qui celebre nomen obtinuerunt apud mortales.

SECTIO LXXVII.

V.G. 2. f. 41. Quid fama.

FAma nihil aliud est, quàm rumor quidam publico hominum testimonio

monio de aliquo sparsus, ob ea quæ in eo singularia videntur. Et si is rumor fundatus sit in rebus à virtute profectis, propriè dicitur fama, sin contrà, publica est infamia. Sapientia celebrem reddidit Salomonem, scientia Platonem; Mathematica Archimedem; Pictura Apellem, Medicina Hippocratem, fortitudo Cæsarem. E contrario superbia infamem fecit Nabuchodonosorem; crudelitas Neronem, auaritia Crassum, Luxuria Heliogabalum: breuiter, iuxta quod vir aliquis, aut fœmina in virtutibus, aut vitijs ab alijs est notatus, ita bonæ aut malæ famæ dicitur, ac habetur. *Fama speciale est Dei donum.* Vnde Deus Dauidi tanquā donum de liberali sua manu profectum inculcabat. *Feci tibi nomen grande iuxta nomen magnorum, qui sunt in terra.* Quasi diceret: mei erga te fauoris munus est, quòd tuum nomen per ora hominum celebre volitet. INFAMIA, si eam describere lubet, nihil est aliud, quàm punitio quædam ordinatione iustitiæ diuinæ, aut humanæ homini constituta. Et quemadmodum gloria virtutem, vti vmbra corpus, ita ignominia sequitur

Quid sit infamia.

2. Reg. 7. 9.

1. Reg. 2. 30. sequitur vitium. (*qui me contemnunt* dicit Deus, *erunt ignobiles.*) Quare vt bonum nomen & existimatio est exoptanda, ita ignominia in suis causis est detestanda. Vnde omne id, cui aliquid ignominiæ potest esse annexum, diligenter cauendum est, ac in primis eius causa potius, quàm effectus, est fugienda. Ac ideo magis vitium, quàm quæ ex eo sequitur ignominia, cauendum est: magis furtum, quàm restis, magis adulterium, quàm illud sequens infamia, deuitandum. Quando deest peccatum, minimi aut planè nihili faciendus est contemptus. Et quidem si sustineatur propter Fidem, aut aliquam aliam virtutem, magnum pondus habet apud Deum. Talia fuêre opprobria, quæ vindex nostræ salutis Christus perpessus est, talia quæ Apostoli, quæ Martyres, quæ cæteri Sancti, qui persecutiones, irrisiones, calumnias, maledicta pro Deo & veritate sustinuerunt. In his omnibus implebatur perfectissimè, quod Ethnicus ille solo naturæ ductu cognoscebat, & verbo prædicabat: Plutar. in Aph. BENEFACERE ET MALE AVDIRE, REGIVM EST. discoli non

non malum quod patrant, sed pœnam ex eo prouenientem timent; neque bonam famam tanquam virtutis comitem, sed tanquam laruam, qua in ijs, quæ nequiter moliuntur, vti possint, amant; boni autem illam amant, & amatam vt pretiosissimam gemmam omni studio custodiunt, quia eos non latet, *melius esse nomen bonum, quam diuitias multas.* Esse etiam instrumentum aptissimum ad bene laudabiliterque operandum, comprimis necessarium ijs, qui cæteris præsunt, & magna moliuntur pro bono publico, recognoscunt. His enim boni nominis fama est veluti Vestis quædam, auro, argento, omniq; lapide pretioso exornata, quæ facit vt eorum opera æstimentur. Estq; veluti suauis quidam suffitus, quæ eorum actiones bonum odorem facit redolere, demùm est velut bene piperatum farcimen, quod irritat appetitum, facitque, vt, quidquid dicunt, faciuntuè, omnibus virtutis studiosis sit gratum & acceptum. Quare vt hanc sectionem concludã, dico quòd quemadmodum studendum est bonis, vt hoc Dei dono bene vtantur, ita quoque cauendum

Prou. 22. 1.

Bona fama est velut vestis pretiosa.

uendum diligenter, ne de eo vanè glorientur. Hoc enim aliud non esset, quàm fieri malum, & nequam ex re bona, Deique abuti donis, quibus obligatur rectè vti ad eius gloriam.

Consideratio, quòd superbiendum non sit ob famam, & quàm sit ea fluxa.

SECTIO LXXVIII.

NE vanè se extollant ij, quorum nomen celebre volitat per ora hominum, impedient sequentes considerationes. PRIMA EST, cogitare famam vti & alia fortunæ bona, sæpe attribui malis æquè ac bonis, esto in propria sua significatione accepta solùm conueniat bonis. subinde ea meritum longè excedit; subinde ex falsis prorsus procedit principijs: id nos edocet quotidiana experientia de pluribus, qui cùm olim hominum sermonibus tanquam virtutis studiosi longè gentium celebrarentur, deprehensum est eos, aut nullâ famâ, aut ne dimidiatâ, quæ ijs attribuebatur, dignos fuisse.

Fama sæpe bonis & malis communis est.

fuisse. Imò & vituperio & infamiâ dignissimos; proinde homo sensatus non magis de ea gloriabitur, quàm de diuitijs & honoribus transitorijs, quæ malis iuxta ac bonis conueniunt. Plato omnes scientias, omnes res callêre credebatur. Vnde Quintilianus de eo dicebat: *qua tandem ars digna litteris Platoni defuit?* Idem Philosophus omnibus numeris absolutus habebatur. Hinc factum est quòd *quidam Philosophorum Deus nuncuparetur*; & tamen successu temporis veritas detexit, eum multò plura ignorasse, quàm sciuisse; impotentibusque, ac virtuti contrarijs passionibus se à recto abripi siuisse. Herodes qui eo tempore regnabat, quo Christus nasci dignatus est, eò apud homines opinione prudentiæ deuenerat, vt promissus Iudæis Messias crederetur; qua opinione vanissimâ deceptus certissimè id ita esse credebat: Vnde cùm vniuersa Hierosolyma audito ex Magis, ab extremo Oriente venientibus, sermone de altero Iudæorum Rege & Messia, quàm de se, tantopere turbatus est, tantamque in iram exarsit, vt crudelitate suâ aduersus In-

Lib. 12. c. 11.

Cic. 1. de natura Deor. & lib. 4. ad Att. Epist. 15.

Matth. 2. 3.

Vide Baron. ann. 1. & in apparatu.

nocentes, omnibus innotuerit illum opinione & famâ illâ fuisse indignissimum. Nero primis quinque Imperij annis omnia Principis Politici, omnibusque numeris absoluti, ornamenta habere æstimabatur; at verò vbi abditam, ad tempus, feritatem patefecit, quid in eo lateret, apparuit: Innumeri fuêre ex potentatibus, qui tali modo famam vltra veritatem acquisiuêre. Nihil enim facilius est, quàm vt tales, præeunte exiguâ veritate, aut etiam solo veritatis simulachro, magni nominis famam suorum subditorum sermone colligant. Hic aduertant velim Reges, Principes, cæterique mundi Rectores, ne ab adulatoribus decipiantur. Nusquam enim non inueniuntur istius farinæ homines, quorum vnica hæc est professio, vt Dominorum suorum facta æquent cælo, maximè si id illis placere videant, & ipsi inde emolumenti aliquid ad se rediturum sperent: tunc enim nulli sibi ducunt Religioni, sepositâ veritate, verbis, factisq; eorum actiones amplificare, & postpositâ omni conscientiâ facere ex musca Elephantem, eorum maxima & turpissima

Suet. lib. 11. c. 12.

Magni facile famam indipiscuntur.

pissima vitia, quibus possunt verborum inuolucris tegere. ijdem quod stolidè, quod stultè, quod iuueniliter ab ijs actum est, vocant benignitatem, quod ex præcipitatione & animi impotentiâ, promptitudinem, & ita ex cæteris animi næuis faciunt virtutes. Caueant ergo Magnates cùm ab ijs qui secum familiariter agunt, tum a seipsis, ne adulatione animæ periculosâ capiantur, & capti in æternos carceres deducantur. Eo tempore quo Christus in carne humana visibiliter homo cum hominibus versabatur, scribæ & Pharisæi, qui eum immortali odio prosequebantur, conuitijsque insectabantur, sanctissimi habebantur. qui tamen aliud non erant, vt ipse Christus ait, quàm *sepulchra dealbata*, id est, qui solùm exteriorem virtutis speciem habebant, ipsa autem virtute prorsus carebant. Cùm igitur fama ex sermone hominum, & ex falso sæpe fundamento oriatur, adolescat, senescatque, vir sapiens ex ea minimè superbiet, imò non pluris eam faciet, quàm bursam vento inflatam, omni autem auro argentoque destitutam.

Matth. 23. v. 27.

Consideratio secunda. Fama valde angustis terminis continetur.

SECTIO LXXIX.

Secundo loco vir sapiens considerabit, quàm angustis terræ spatijs (esto solido inniteretur fundamento) fama hæc terminetur. Dixi *angustis terræ spatiis*, quia ad Vniuersi cæli complexum, ea quasi puncti instar est. Olim Babyloniorum, Assiriorum, Græcorum & Romanorum fama pluribus in locis fuit percelebris, in alijs autem compluribus ita incognita, vt prorsus ignoratum fuerit tales populos vnquam extitisse. Sed missis antiquis, dicamus de ijs, quæ hoc nostro sæculo contigerunt. Quis dubitat, quin in AMERICA, in IAPONIA, in CHINIS, alijsque nonnullis terræ regionibus nouiter repertis fuerint Viri famosissimi & nominatissimi, etiam antè quàm ad eos Hispani & Lusitani nauigârint, & apud eos captis nonnullis portubus sedem fixerint. Et quot putas reperiuntur hodie inter Persas, Turcas,

Cic. 1. Tusc.

Maximi populi, qui hactenus fuerunt incogniti.

Turcas, Germanos, Hiſpanos, aliáſq; nationes tum vicinas, tum remotas, quorum ne nomen quidem in Galliam vnquã penetrârit? Quin imò, ſi, exempli loco, in medium veniant celeberrimi quique in ipſa Gallia, certò mihi perſuadeo, quòd ne tertia quidem hominum in ea commorantium pars de ijs inaudiêrit. plus dico: ne decimus quidem quiſque Pariſijs nouit eum, qui in ea vrbe (ſiue is ſit Doctor, ſiue Dux militum, ſiue concionator, ſiue magiſtratu aliquo inſignitus, ſiue denique alterius cuiuſcunque dignitatis, aut gradus exiſtat) habeatur celeberrimus. Multa enim ſunt artificum millia, multa fœminarum, multa infantium, ad quos eius cognitio nunquam deuênit, niſi fors nomine tenus, qui interim, quis ille ſit, prorſus ignorant. Et aliquis inuenietur, qui tam leui tamque breuibus contentâ limitibus famâ, inſtar gruis vento inflabitur? ſed fac eam ad extremos vſque mundi terminos pertingere, quamdiu obſecro inter mortales in hac regione mortis perdurabit? Sacræ litteræ loco iuſtæ animaduerſionis innuunt impro-

 bos

Psal. 48. 12. bos *nomina sua vocasse in terris suis.* CAIN PRIMVS memoratur inter mortales, Gen. 4. 17. qui suæ propaginis nomen insculpi curauit lapidibus, dum ciuitati à se extructæ filij sui Henoch nomē imposuit. Sed & impij illi Gigantes, de quibus loquitur scriptura, suo tempore maximè Gen. 6. 4. famosi fuerunt. Et tamen nisi fuisset scriptura, neque horum, neque illorum vlla extaret memoria. Quis ergo de magni nominis æstimatione vanè se iactare tamquam de re magna audebit? Et quis ille est, si tamen sapiens est, qui non vili pendens magni nominis famam, malit nomen suum scribi in cælo, quàm in terra? qui non pluris faciat æternitatem, quàm labilis mundi Luc. 10. 20. rumorem? Non obstante quòd Cicero erat Ethnicus, solius naturæ ductu & hanc cognouit ipse veritatem, & Cic. in somno Scipionis & lib. 6. de Rep. & ore magni illius Scipionis Africani filio suo, adoptiuo Scipioni è cælo insomno loquentis, nobis patefecit. Cuius verba hic pro conclusione primi discursûs, & primi humilitatis gradûs, atque ad pudorem incutiendum Christianis, qui de magna nominis celebritate gloriantur in medium adferre non pigebit.

Grauis

Grauis sermocinatio Scipionis Africani Primi ad nepotem Scipionem ex filio adoptiuum, supra fluxam mortalium famam.

SECTIO LXXX.

SCipio igitur Africanus Pauli Æmilij Iunioris naturalis filius; adoptiuus autem Scipionis Senioris Africani filij, per somnium, vt refert Cicero, raptus est vsque ad cælum, vbi magnum illum Scipionem auum suum, dudum iam è vita ereptum, loquentem audiuit. Qui, inter alia plurima documenta, hoc etiam de vana apud mortales fama tradidit. *Sentio, inquit, te sedem etiam nunc hominum contemplari, ac domum, quæ tibi parua (vt est) ita videtur, hæc cælestia semper spectato, illa humana contemnito; Tu enim quam celebritatem sermonis hominum, aut quam expetendam gloriam consequi potes? Vides habitari in terra, raris & angustis in locis, & in ipsis quasi maculis vbi habitatur, Vastas solitudines interiectas, hosque, qui incolunt terram, interruptos ita esse, vt nihil inter ipsos ab alijs ad alios*

Macrob. lib. 2. c. 10.

Mathematicorum opinio de exiguitate terræ.

manare

manare poßit. Et paulò pòst, *ex his ipsis cultis notisq́, terris, num aut tuum aut cuiusquam nostrum nomen vel Caucasum hunc, quem cernis, transcendere potuit? vel illum Gangem tranare? qui in reliquis orientis aut obeuntis solis vltimis aut Aquilonis Austrine partibus tuum nomen audiet? Quibus amputatis cernis profectò quantis in angustiis gloria nostra se dilatari velit.* Relatâ exiguitate Sphæræ, intra quam humana gloria se contineat oportet, refert his verbis etiam temporis breuitatem quâ ea perseuerat. *Ipsi autem qui de vobis loquuntur, quamdiu loquentur? quin etiam si cupiat proles illa futurorum hominum deinceps laudes vniuscuiusq́, nostrum à patribus acceptas posteris prodere, tamen propter eluuiones exustionesq́, terrarum, quas occidere tempore certo necesse est, non modò non æternam, sed ne diuturnam quidem gloriam assequi possumus. Quid autem interest ab ijs, qui postea nascentur, sermonem fore de te, cùm ab ijs nullus fuerit, qui ante te nati sunt? qui nec panciores, & certè meliores, fuerunt viri.* En vt paucis eximius hic Ethnicus, quæ naturæ & quæ veritatis sunt, nos edocet! dum ostendit, quàm modica, quàm breuis, & quàm futilis sit mortalium

[...]itas est velle laudari à posteris.

talium gloria, vt ex ea se nemo venditare possit ac debeat. Et certè quisquis Christianus hoc non videt & iudicat, peior est quouis Ethnico. Caue ergo quisquis Christianum nomen geris, ne ob tui nominis celebritatem vnquam insolescas, quasi aliquo numero esses apud homines; sed tuo te pede, missis hominum vanis sermonibus, metire, & time ne insperatâ aliquâ pœnâ in tuam Deus animaduertat superbiam, sinendo vt in absurdum aliquod labaris. quo facto, & vana tua gloria in fumum euanescet, & tu insigni dedecore afficieris: dum iuxta prophetæ dictum *tua memoria cum sonitu peribit.* Hoc vnicum curæ tibi esse debet, VT NOMEN TVVM SCRIBATVR IN LIBRO VITÆ; in hac autem, quam nunc incolis, vita, vt sub protectione seruitioque eius abscondatur, *qui exaltat humiles, & superbos humiliat.*

Psal. 9. 8.

Philip. 4. 3. Apocalyp. 3. 5. 10. 20.

QVO

QVO DICTO, finio hunc primum gradum. si homo ex se nihil est; si totũ quod habet à Deo habet, si quo plura ei Deus animæ, corporis, ac fortunæ bona elargitus est, eò pluribus Deo nominibus obstrictus est, nonné eò maiorem habet occasionem intrandi seipsum? & in iusta bilance iusto pondere seipsum ponderandi? seque ipsum nihili faciendi? quandoquidem ex se nihil est, imò & minus quàm nihil, non obstantibus donis omnibus, quibus à Deo donatus est, & adhuc donari potest. quia quò ea plura sunt, eò magis in oculis

oculis diuinæ Maiestatis, à qua omnia accepit, se humiliare, & fixis oculis in eius infinitam essentiam, ac suiipsius nihilum, mentis consideratione infra omnes abyssos se demittere debet.

by Google

Secundum Fulcrum ACADEMIÆ HONORIS

SVPRA SECVNDVM HVMILITATIS GRADVM:

QVI EST ÆSTIMARE SE ALIIS MINORIS.

Prima iunctura seu connexio graduum Humilitatis, & principium harmoniæ eiusdem Humilitatis.

SECTIO I.

SEcundum fulcimentum & fundamentum ACADEMIÆ HONORIS, est secundus Humilitatis gradus, qui (vt suprà dictum est) in hoc consistit, vt homo

Secundus gradus altior est primo in humilitate.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

proinde dat initium Musicæ Humilitatis. Et posito per primum gradum fundamento, inchoat fabricam spiritualem, hominemque inducit, vt non solitarie tantum se, actusque suos contempletur, sed etiam se cum alijs conferendo, omnes sibi anteponat, & omnibus se postponat.

Secundus superbiæ gradus est, pluris se aliis æstimare.

SECTIO II.

VT superbia impellit in finem contrarium humilitati, ita & gradus suos opponit eius gradibus: primò enim intuetur seipsum & contemplatur, & intuendo ac contemplando in seipsa inflatur; deinde se alijs conferendo, magis extollitur: Ita Pharisæus dum suarum actionum arrogantiâ plus æquo sese effert, sermonē suum à duplici iactantia fundatum, in duplici criminatione inchoat, quarū vnâ omnes homines; alterâ proximè sibi adstantem Publicanum perstringit. *Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cateri hominum: ra-*

Pharisæi oratio.

Luc. 18. v. 11.

ptores, iniusti, adulteri: velut etiam hic Publicanus. Hoc orationis genere stultissimam denotat iactantiam, quâ opinio incredibiliter vana insinuatur, quâ & hic Pharisæus inflatus, se extollebat, quæ primus, & quâ alijs hominibus, quæ est secundus superbiæ gradus, longè se præferebat: & stans, elato supercilio, supra secundum superbiæ gradum intolerabili arrogantiâ miserum Publicanum despiciebat. Quare quemadmodum secundus humilitatis gradus est se omnibus subijcere, ita secundus superbiæ, factâ sui cum alijs comparatione, omnibus omnino se anteferre; & vt ille proficiscitur è Christi schola, ac sacris litteris, quæ sunt schola Dei, & sanctorũ Patrum, ita hic è gymnasio & sophismatibus satanæ.

Secundus Humilitatis gradus docetur à sacra scriptura, & Sanctis

SECTIO III.

PAssim equidem sacrarum litterarum monumenta commendant, vt omnibus hominibus nos subijciamus,

ciamus, omnibusque inferiores existimemus; sed vel maximè apud D. Petrum, vbi sic nos ipse alloquitur: *subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum.* Et S. Paulus: *nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes, non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea quæ aliorum.* Ex his & similibus scripturæ locis Sanctæ Ecclesiæ doctores, quam nobis tradiderunt doctrinam, hauserunt. Et inter alios S. Benedictus, qui sextum humilitatis gradum ait esse, *credere & pronunciare se omnibus viliorem*; Et decimum, *cum obedientia se submittere maiori*: quod est iuxta hunc, quem tractamus gradum, credere se minorem omnibus, omnibusque siue paruis, siue magnis se submittere, quandoquidem is, qui se minorem omnibus credit, omnes se maiores existimat. Et Glossa tribus, quos docet, humilitatis gradibus idem planè nobis ob oculos ponit: quia primo, qui est se submittere maiori, & non præferre se æquali; Secundo qui est subdere se æquali, nec præferre se minori; tertio demum, qui est subesse minori, in quo omnis iustitia

1. Pet. 2. 13.

Philipp. 2. v. 3.

Sextus gradus humilitatis secundum S. Benedictum in regula c. 7. S. Thom. 2. 2. q. 161. a. 6.

est, monstrat nemini se præferre oportere, omnibus autem se submittere. Quicunque igitur omnibus viliorem se existimat, vt docet noster hic secundus gradus, cum omni humilitate omnibus se subijcit, & exequitur quicquid tribus Glossæ gradibus præcipitur. Quare duo, Sancti Benedicti, & tres Glossæ conuenientissimè in hoc, quem vocamus secundum, comprehenduntur, quia naturali sequelâ iungens se primo, eundem stabilit. Homo enim posito fundamento, & primo gradu, qui est, credere se paruum & nihil, se solum, absq; respectu ad alios, considerando, continuò credit se alijs, factâ sui nihili cum bonis, quæ ij possident comparatione, minorem esse.

Naturalis sequela secundi gradus cum primo.

Qualiter secundus humilitatis gradus in Saluatore modo quodam eminentissimo reperiatur.

SECTIO IV.

VT in Christo tanquam in perfectissima ideâ primus humilitatis gradus, ita & secundus reperitur: &

& vt, quâ homo, omnes omnino virtutes ac perfectiones, quarum natura humana capax est, copiosè habebat; ita & humilitatem, concomitantibus eam alijs diuinis animæ ornamentis, modo excellentissimo. Ostendimus autem gradu superiore, quòd iuxta primum humilitatis gradum clarissimè comprehendebat exiguitatem humanæ naturæ, quam cùm conferebat diuinæ, quasi nihil, non obstante, quod ea nobilissima esset, tum ob ineffabilem cum diuina in eâdem persona vnionem; tum ob prærogatiuas supernaturales, quibus abundantissimè exornabatur, reputabat imò verò iuxta hunc secundum gradum, quantumuis excellenti condecoratus esset humanitate, intuens diuinam, minoris se faciebat, magisque se humiliabat, quàm quiuis homo in pura humanitate. Vt non immeritò per diuinum vatem indigitetur, *nouissimus virorum.* Et Isaiæ 53. 3.
quanquam, quà homo hominum omnium erat primus, tamen nouissimus vocatus est, quia ita profundè infra omnes se humiliauit, vt *non homo* reputaretur, sed *vermis & opprobrium hominum, atq;* Psal. 21. 7.

abiectio plebis. Longè maior iste est descensus, quàm nouissimum virorum se appellare. Et licet hoc ad apparentiam & conuersationem exteriorem Saluatoris, qui in oculis hominum (qui solum iudicant de extrinsecis) siue opprobria, siue tormenta, quæ passus est, spectes, *nouissimus virorum*, cùm primus & beatissimus esset, existimabatur, referri posset: tamen in rei veritate omnibus hominibus ex intimo sensu se subijciebat. Nec hoc adinstar aliorum hominum, verè humilium, quòd perpenderet suos defectus & imperfectiones (quibus ipse carebat) aut etiam illorum perfectiones consideraret, quæ suis collatæ, admodum erant exiguæ; sed intimè agnoscens sibi à diuina Maiestate collata beneficia, contemplabatur immensam, ac æternam suam aduersus eam obligationem. Quo fiebat, vt, cùm supra omnes homines, imò & supra Angelos ipsos iure recognitionis & gratitudinis se obligatum Deo videret, infra omnes sese humiliaret, & dictis nominibus nuncuparet.

Quare Saluator se vocet nouissimum hominum.

Quomodo

Quomodo nostræ salutis vindex infra omnes homines se humiliabat.

SECTIO V.

SE humiliabat & omni humanæ creaturæ se submittebat Saluator noster, occasione acceptorum à diuina Maiestate donorum, non autem ex contemplatione alicuius defectûs, vt vsu uenit viris iustis, qui collatione sui cum alijs factâ, multisque in se deprehensis vitijs, quibus alios carere, & virtutibus abundare vident, sese humiliant; contrà Christus animo voluens dona è liberali Patris manu in se profecta, quæ cum magni ponderis obligatione inclinabant ad ea cum omni animi demissione recognoscenda, inducebantq; vt habitâ ratione iustitiæ, se humiliaret; accedebat quòd quicquid alij donorum haberent, si id cum suis conferebat, vix scintillula alicuius boni videretur. Quare vt omnes homines cæterasque creaturas ratione præditas infinito donorum interuallo anteibat; ita & Deo longè infra omnes

se submittebat, & hunc humilitatis gradum, quà homo, sicut & alias omnes virtutes, vt dixi, eminentissimo modo possidebat. Et quanquam Christo Humilitas & eius actus solùm, quà homo erat, conueniebant, tamen dicimus & bene dicimus, Deum se humiliasse. actiones siquidem sunt personæ, & non naturæ personæ vnitæ. Vnde dicimus hominem scribere, loqui, videre, esto istæ actiones manu, linguâ, oculis, exerceantur. quo etiam modo dicimus Deum bibisse, comedisse, mortuũ esse, resurrexisse, & plures id genus actiones exercuisse, quæ Christo non nisi ratione humanitatis (quæ vnica & sola capax erat talium operationum & accidentium) competebant. Deus ergo, vt loquitur Doctor gentium, *humiliauit semetipsum*, nam cùm dixisset Christum esse Deum, contiuuò addit quod *semetipsum exinaniuit formam serui accipiens.* Vnde vt magis se demitteret, frequentius se filium hominis, minimo titulo nuncupabat, esto simul & primariè esset filius Dei. Ergo ô anima Christiana, facto discursu te digno, conclude, & ita animo linguam concomitante

Arist. 1. Metaph. c. 1.

Quomodo Deus dicatur mortuus.

Phil. 2. 8.

tante loquere: *Deus se humiliauit, & quidem plus quàm vllus mortalium, & ego vel minimo hominum me præferre audebo? Arduumné & difficile mihi erit, cùm nihil sim, sub pedes, non solùm hominum, sed vel omnium creaturarum me abijcere?*

Qualiter Christus Ecclesiæ suæ elargitus sit spiritum huius secundi gradus.

SECTIO VI.

VTi caput Ecclesiæ Christus in hoc secundo humilitatis gradu, factâ suorum à Deo acceptorum donorum cum aliorum collatione, humillimus extitit; ita & mystico Ecclesiæ suæ corpori, ac eius membris eundem insculpsit spiritum. Ecclesia à sponso in canticis parua nuncupatur: *soror nostra parua est.* ideò parua, quia humilis, ideò parua & humilis, quia dum se cum summo Deo confert, vix scintillulam è maximo igne se agnoscit: minimum etiam omnium, qui in terris reperiuntur, cœtuum se reputat. Vnde ei dicitur à Christo: *noli timere pusillus*

Ecclesia parua nuncupata. Cant. 8. 8.

Luc. 12. 32.

V. G. 5. *fillus grez.* Angeli custodes Ecclesiæ,
f. 15. & quò maiores, & excellentioribus donis
G. 5. f. ornati (vt alibi dictum est) eò mino-
14. res se, in se, existimant alijs: non ob-
stante quòd se altioris dignitatis, &
illos inferioris recognoscant. quia nimirum Dei magnitudinem intimius, & suam erga diuinam eius Maiestatem, ob donorum in se collatorum copiam, clarius obligationem vident: ideoque coram eius Maiestate profundiùs se demittunt, quàm minimi Angelorum, qui neque ita clarè excellentiam Dei penetrant, neque dictam gratitudinis obligationem habent. Ob quæ duo Angeli excellentiores, & sancti maiores plus Deo se debere, vt superiore gradu commemoratum est, recolunt. Quod D. Ioannes videtur voluisse innuere visione illâ cælesti, in qua inter alia, quæ iteratis vicibus vidit mirabi-
24. Seniores. lja, *erant viginti quatuor sensores, qui proci-*
Apocal. 4. *debant ante sedentem in throno, & adorabant*
V. 10. *viuentem in sæcula sæculorum, & mittebant*
19. 4. *coronas suas ante thronum.* Siquidem *per viginti quatuor seniores* capitibus diademata gestantes, designantur beati maiori lumine illustrati, maiori sapientiâ conspicui,

spicui, maiori sanctitate fulgentes, ac demum maiori beatitudinis gloriâ ornati; *per adorationem autem*, ac coronarum è capitibus ante thronum depositionem profunda & rara humilitas, nec non grata receptorum beneficiorum memoria: & quanquam nulli debeat esse dubium, quin omnes beati in cælo Deum adorent omni, quâ possunt humilitate; Apostolus tamen signanter talem adorationem per tales personas alijs eminentiores Deo exhibitam denotat. Et hoc ad ostendendum, quòd quantò beati illi spiritus maiori dignitate, sapientiâ maiori, & gloriâ fulgent in cælo, tantò magis Deum grati cum animi significatione recognoscunt; tantò etiam demissius coram eo se gerunt: & tandem tantò magis infra alios se demittunt, quantò pluribus nominibus supra alios se ei obligatos ad gratias agendas intelligunt: vnde vel hoc titulo alijs se inferiores iudicant.

Quomodo sancti, cùm essent maximi, ex humilitate se minimos existimârunt & nominârunt.

SECTIO

SECTIO VII.

B. Virgo Luc. 1. 33.

IDem Humilitatis spiritus particulariter in alijs Ecclesiæ membris animaduerti licet: ac primò in gloriosissima Virgine, quæ vt prima & excellentissima omnium mortalium, & Angelorum fuit; ità & in hoc humilitatis gradu suprema extitit Magistra. Huius rei sempiterno testimonio nobis est eius canticum, totiusque vitæ decursus. In quo tùm verbis, tùm operibus se eousque demittit, vt vltima videatur fœminarum. *Nescit, nescit longa molimina spiritus sancti gratia.* Ecce simul atque conceptus fuit in eius sanctissimo vtero æterni Patris æternus filius, simul atq; maxima omnium mulierum, quæ vnquam fuerunt, aut adhuc futuræ sunt, fuit pronunciata, tanquam si minima & omnium esset ancilla, se dat itineri, incredibili cùm Humilitate ad inuisendam cognatam suam Elisabetham. Deinde in Diuo Paulo, qui dum, omnium confessione, vnum esset è nobilissimis Ecclesiæ membris, & è primatijs Apostolis, tamen eorum minimum

minimum

minimum se credens, & nominans, ait: *Ego sum minimus Apostolorum indignus vocari Apostolus.* Contra, quando sermo illi est de peccatoribus. in capite libri se ponit: *Venit Deus saluos facere peccatores, quorum primus ego sum.* Ex quibus verbis videre est, quod non solùm se considerando minimum credebat, sed cum respectu ad alios. non solùm enim peccatorem, sed primum peccarorum omnium se dicit. Vnde apparet hunc secundum humilitatis gradum in eius anima perfectissimum fuisse. Gedeon in lege veteri insignis erat Imperator, sed & insignis in secundo humilitatis gradu, quod egregiè patefactum est in responso dato Angelo ire iubenti contra Madiam, ad liberandos Israëlitas, quod sic habet: *Obsecro, mi Domine, in quo liberabo Israel? Ecce familia mea infima est in Manasse, & ego minimus in domo patris mei.* Quod de infirmitate virium suarum exteriorum dicebat, dubiò procul proueniebat ab intimo & intrinseco animi sensu. neq dubitari debet, quin omnes omnino sancti, quò maiores fuerunt in sanctitate, eò in animis suis, iuxta cuiusq sanctitatis mensuram, minores se æstimauerint.

1. Cor. 15. 9.

1. Thim. 1. 15.

Iudicum 6. 15.

Idem

Idem Humilitatis spiritus in capite visibili Ecclesiæ, & excellentioribus ac perfectioribus eius membris reperitur.

SECTIO VIII.

IDem spiritus humilitatis in Vicario & locum tenente Christi in terris deprehenditur; qui cùm sit primus inter mortales dignitate, idem etiam primus est humilitate: quia, non obstante, quòd sit caput visibile, & generalis Pastor filiorum Dei, *se omnium minimum animo recognoscit, & ore profitetur, dum se* SERVVM SERVORVM DEI *indigitat.* quo titulo ostendit quod intra omnes se demittat, & quòd non solùm in ea, quâ fulget dignitate, paruum se credat, quòd fundamentum & principium primi gradûs est, sed etiam omnium minimum se existimet, quod secundi gradûs est effectus: siquidem esse SERVVM SERVORVM, est esse omnibus inferiorem. Et quanquam accidere possit, & forsan acciderit, vt non omnes, qui hunc titulum ore & calamo professi

Titulus S. Petri, quem S. Greg. Magnus an. 595. accepit.

professi sunt, correspondentem in anima humilitatem habuerint; luce tamen meridianâ clarius est, talem extitisse spiritum Vicarij Christi, & eorum, qui dignè tenuerunt gubernacula Ecclesiæ, qui & primi hunc titulum vsurparunt. Videmus etiam inter cæteros Christianos, quòd quò maiorem ad dignitatem euecti sunt aliqui, eò etiam demissius de se profiteantur; siquidem eminentissimi quique Prælati, ac Primarij mundi Rectores, exempli causâ Archiepiscopi, Reges, Duces, &c. suis mandatis, litteris & alijs scriptionibus præfigunt titulum DEI GRATIA. quod inferioris ordinis Magistratus facere non sunt soliti, quia licet quicquid habent ex, & à Deo sit, vti & altioris ordinis, tamen ad significandum quòd qui sunt maiores, debeant etiam esse gratiores & notabiliter humiliores, id à maioribus inuentum est.

Reges & potentes mundi se tales nominant per gratiam Dei.

Humilitas plurium Religionum in suis titulis ad imitationem capitis Ecclesiæ.

SECTIO IX.

Religiosorum quidem professio est in omni Christiana virtute maioribus cæteris hominibus progredi passibus, sed, ad imitationem Capitis Ecclesiæ, præcipuè videntur æmulari humilitatem. summo enim inter se certant studio, qui magis se demittat, & humilius nomen assumat. Hinc Religiosi ex familia S. Brunonis CHARTVSIANOS, *Gallicè* CHATREVX: *a vocabulo, vt nonnulli putant, Gallico Chartre se nominarunt*, quod carcerem significat, vt quasi adinstar contemptibilium incarceratorum hominum, in suis cœnobijs & cellis esse, & haberi perpetuò desiderent. Qui autem ex familia magni illius Patriarchæ Francisci, MINORITAS, quasi dicerent Minores inter reliquas Religiosorum familias; qui verò ex alterius Sancti Francisci de Paula MINIMOS se nuncuparunt. In horũ classem venit *S Ignatius de Loyola* SOCIETATIS IESV FVNDATOR, *qui eam passim* MINIMAM *vocat*: in quo ostendit eam eiusmodi spiritûs esse, vt se alijs ordinibus libenter submittat. Nec tantùm Religionibus eam subijcit, sed tum Religiosis, tum

Patres Chartusiani.

Minoritæ.

Minimi.

Societas IESV minima nuncupata est ab Auctore suo S. Ignatio.

tum Ecclesiasticis alijs in omnibus, præsertim vbi est quæstio de eminentia in Cathedris, aut in consilijs arbitrarijs, aut alijs huiusmodi functionibus, vult nostros cedere & deferre; quin & viliora eligere, vt est V. G. Catichizare, & docere pueros, famulos, mancipia, & quoscunque rudes; habere conciones in pagis, in plateis & compitis ciuitatum. Desumptam expressè ex D. Paulo regulam nobis reliquit, qua iubet vt in Societate vnusquisque lubens omnibus se submittat, omnesque vt superiores suos consideret. Qui Religiosi familias suas speciosis & illustribus nominibus nuncupârunt, vt sunt Religiosi SANCTÆ TRINITATIS, SANCTI SPIRITVS, SOCIETATIS IESV, &c. non id aut ex vanitate, aut præsumptione, quasi in despectum aliorum, factitarunt, sed, alij aut ad tantarum personarum Maiestatem honorandam, aut ad feruorem in se excitandum, aut deniquè ad deuotionem erga tales personas, dictis nominibus vsi sunt. nemo tamen eorum vnquam ea sibi appropriauit, seu vel SANCTVM SPIRITVM, aut IESVM

Philipp. 2. 3.

Qua de causa nonnullæ religiones habeant ad speciem magnificos titulos.

In vita S. Ignatij

Ribad. l. nominando. imò tantùm abest, vt id
a. c. 11. obfuerit, quò minus in animis suis retinuerint intentionem se minimos æstimandi studiumque omnibus se submittendi, vt excellentia & sublimitas talium nominum eos plurimùm excitârit ad perpendendam exiguitatem suam, præsertim vbi tantis nominibus fuerit comparata.

Quomodo superiores se debeant æstimare minoris suis subditis.

SECTIO X.

IN tractatione huius secundi gradûs duæ se offerunt difficultates, prima est, quî fieri possit, vt qui vel ad Ecclesiasticæ, vel politicæ Reipublicæ sedet gubernacula, inferiorem se æstimet, & ex ea æstimatione ei se submittat, qui sibi subiectus est, cum id non solùm prudentiæ, sed & iustitiæ, tum humanæ, tum etiam diuinæ repugnare videatur: hoc enim quid aliud est, quàm ab aratro boues, & non aratrum à bobus trahi, quàm & vniuersum ordinem tam Ecclesiasticæ, quàm ciuilis politiæ

politiæ euerti? præterea cùm virtus vna non destruat alteram, quomodo humilitas iuxta substantiam huius secundi gradus potest imperare, vt superior minorem se credat suo subdito, & ei se subijciat? V.G. Episcopus Presbytero, & Presbyter Subdiacono? Rex suo clienti? Dux militi? Magister discipulo? Nonné ea magna essent contra omnem politiam peccata? Egregiè hanc dissoluit D. Gregorius difficultatem, dum dicit superiori ordinando & mandando ea quæ inferior exequatur, retinendam omnimodam auctoritatem suam; & nihilominus intra modestiæ limites animum continendum: *seruanda, inquit, in corde Prælati humilitas, & in opere disciplina.* Atque ita Rex, vt Rex debet imperare subditis, & in corde custodire humilitatem; Dux exactam eorum, quæ mandat, à milite requirere executionem, & simul se hominem, vti est miles, recognoscere, ne perdat humilitatem. Refert Plutarchus factum rei, quam tractamus percommodum: *Cum Filius Fabij Maximi consulatum gereret, & a longè Patrem suum equo insidentem, contra legem, in præiudicium consularis*

Quomodo Episcopus se humiliet coram suo Capellano. Rex coram suo subdito &c.

In Iob 30.

In eius vita.

Laudabiliter filius imperat Patri Fabio.

Scientia conscientiæ & sensuum.

enim cordis aliter procedit, quàm sensuum. homo enim oculis videt alterius vultum, suum non videt; contrà videt suam conscientiam, non item alterius: homo igitur quilibet internas animæ prauitates oculis mentis videre potest.

Comparatione ostenditur quomodo vnus altero se minorem possit & debeat credere.

Et huius scientiæ beneficio valet se existimare quolibet alio inferiorem & viliorem, quia eius interiora non inspicit peccata, esto videat exteriora. Adde quòd etiam ignoret complures eius abditas virtutes, quarum respectu illi est inferior. Neque dixeris, dum has adhibeo considerationes ad me constituendum alteri inferiorem, me ineptire & fingere, quia fieri potest,

L.53.92. q. 71.

inquit D. Augustinus *quòd aliqua in altero sint abscondita bona, quæ eum mihi faciunt superiorem, etiamsi bona, quibus illo videor esse melior, sint in propatulo.* Atque ita vir bonus peiorem se æstimare potest quouis latrone, dum sibi ponit ob oculos ea, in quibus deficit, nominatim in gratitudine, quòd malè vsus fuerit bonis à Deo acceptis, quæ si huic, de quo agimus, latroni fuissent collata, ad tale vitæ genus nunquam prolapsus fuisset, imò forsan in magnum sanctum

sanctum euasisset. Et is, qui probus est, nisi se sustentantem Dei manum habuisset, centies millies in peiora corruisset, quàm ille latro, & adhuc corruere posset, si Deus manum, cui innititur, subtraheret: sicut è contrario sæpius dictus latro, Deo oculis misericordiæ eum respiciente, ad maiorem perfectionem potest peruenire, quàm is, qui est, & habetur probus, cùm fortassis raram aliquam in anima reconditam habeat virtutem, quam Deus statuit suo tempore mūdo reuelare.

Alia exempla de eodem argumento, inducentia hominem vt se peiorem aliis æstimet.

SECTIO XII.

SVmmè strenuus quisque Dux, absq; vllius mendacij periculo inferiorem quouis timidissimo milite potest se æstimare; non quidem dignitate aut rebus fortiter gestis, sed exempli causâ, in Deum pietate, aut dono alio maioris momenti quouis honore & strenuitate, quod in eius anima plantatum Dux.

Idem Humilitatis spiritus in capite visibili Ecclesiæ, & excellentioribus ac perfectioribus eius membris reperitur.

SECTIO VIII.

IDem spiritus humilitatis in Vicario & locum tenente Christi in terris deprehenditur; qui cùm sit primus inter mortales dignitate, idem etiam primus est humilitate: quia, non obstante, quòd sit caput visibile, & generalis Pastor filiorum Dei, *se omnium minimum animo recognoscit, & ore profitetur, dum se* SERVVM SERVORVM DEI *indigitat.* quo titulo ostendit quod intra omnes se demittat, & quòd non solùm in ea, quâ fulget dignitate, paruum se credat, quòd fundamentum & principium primi gradûs est, sed etiam omnium minimum se existimet, quod secundi gradûs est effectus: siquidem esse SERVVM SERVORVM, est esse omnibus inferiorem. Et quanquam accidere possit, & forsan acciderit, vt non omnes, qui hunc titulum ore & calamo professi

Titulus S. Petri, quem S. Greg. Magnus an. 595. accepit.

professi sunt, correspondentem in anima humilitatem habuerint; luce tamen meridianâ clarius est, talem extitisse spiritum Vicarij Christi, & eorum, qui dignè tenuerunt gubernacula Ecclesiæ, qui & primi hunc titulum vsurparunt. Videmus etiam inter cæteros Christianos, quòd quò maiorem ad dignitatem euecti sunt aliqui, eò etiam demissius de se profiteantur; siquidem eminentissimi quique Prælati, ac Primarij mundi Rectores, exempli causâ Archiepiscopi, Reges, Duces, &c. suis mandatis, litteris & alijs scriptionibus præfigunt titulum DEI GRATIA. quod inferioris ordinis Magistratus facere non sunt soliti, quia licet quicquid habent ex, & à Deo sit, vti & altioris ordinis, tamen ad significandum quòd qui sunt maiores, debeant etiam esse gratiores & notabiliter humiliores, id à maioribus inuentum est.

Reges & potentes mundi se tales nominant per gratiam Dei.

Humilitas plurium Religionum in suis titulis ad imitationem capitis Ecclesiæ.

SECTIO IX.

RElgiosorum quidem professio est in omni Christiana virtute maioribus cæteris hominibus progredi passibus, sed, ad imitationem Capitis Ecclesiæ, præcipuè videntur æmulari humilitatem. summo enim inter se certant studio, qui magis se demittat, & humilius nomen assumat. Hinc Religiosi ex familia S. Brunonis CHARTVSIANOS, *Gallicè* CHATREVX: *à vocabulo, vt nonnulli putant, Gallico Chartre se nominarunt*, quod carcerem significat, vt quasi adinstar contemptibilium incarceratorum hominum, in suis cœnobijs & cellis esse, & haberi perpetuò desiderent. Qui autem ex familia magni illius Patriarchæ Francisci. MINORITAS, quasi dicerent Minores inter reliquas Religiosorum familias; qui verò ex alterius Sancti Francisci de Paula MINIMOS se nuncuparunt. In horũ classem venit *S Ignatius de Loyola* SOCIETATIS IESV FVNDATOR, *qui eam passim* MINIMAM *vocat*: in quo ostendit eam eiusmodi spiritûs esse, vt se alijs ordinibus libenter submittat. Nec tantùm Religionibus eam subijcit, sed tum Religiosis. tum

Patres Chartusiani.

Minoritæ.

Minimi.

Societas IESV minima nuncupata est ab Auctore suo S. Ignatio.

tum Ecclesiasticis alijs in omnibus, præsertim vbi est quæstio de eminentia in Cathedris, aut in consilijs arbitrarijs, aut alijs huiusmodi functionibus, vult nostros cedere & deferre; quin & viliora eligere, vt est V. G. Catichizare, & docere pueros, famulos, mancipia, & quoscunque rudes; habere conciones in pagis, in plateis & compitis ciuitatum. Desumptam expressè ex D. Paulo regulam nobis reliquit, qua iubet vt in Societate vnusquisque lubens omnibus se submittat, omnesque vt superiores suos consideret. (Philipp. 2. 3.) Qui Religiosi familias suas speciosis & illustribus nominibus nuncupârunt, vt sunt Religiosi SANCTÆ TRINITATIS, SANCTI SPIRITVS, SOCIETATIS IESV, &c. non id aut ex vanitate, aut præsumptione, quasi in despectum aliorum, factitarunt, sed, alij aut ad tantarum personarum Maiestatem honorandam, aut ad feruorem in se excitandum, aut deniqúe ad deuotionem erga tales personas, dictis nominibus vsi sunt. nemo tamen eorum vnquam ea sibi appropriauit, seu vel SANCTVM SPIRITVM, aut IESVM nomi-

(Qua de causa nonnullæ religiones habeant ad speciem magnificos titulos.)

(In vita S. Ignatij)

T 2

Ibid. l. nominando. imò tantùm abest, vt id
c. 11. obfuerit, quò minus in animis suis retinuerint intentionem se minimos æstimandi studiumque omnibus se submittendi, vt excellentia & sublimitas talium nominum eos plurimùm excitârit ad perpendendam exiguitatem suam, præsertim vbi tantis nominibus fuerit comparata.

Quomodo superiores se debeant æstimare minoris suis subditis.

SECTIO X.

IN tractatione huius secundi gradûs duæ se offerunt difficultates, prima est, quî fieri possit, vt qui vel ad Ecclesiasticæ, vel politicæ Reipublicæ sedet gubernacula, inferiorem se æstimet, & ex ea æstimatione ei se submittat, qui sibi subiectus est, cum id non solùm prudentiæ, sed & iustitiæ, tum humanæ, tum etiam diuinæ repugnare videatur: hoc enim quid aliud est, quàm ab aratro boues, & non aratrum à bobus trahi, quàm & vniuersum ordinem tam Ecclesiasticæ, quàm ciuilis

politiæ

politiæ euerti? præterea cùm virtus vna non destruat alteram, quomodo humilitas iuxta substantiam huius secundi gradus potest imperare, vt superior minorem se credat suo subdito, & ei se subijciat? V.G. Episcopus Presbytero, & Presbyter Subdiacono? Rex suo clienti? Dux militi? Magister discipulo? Nonnè ea magna essent contra omnem politiam peccata? Egregiè hanc dissoluit D. Gregorius difficultatem, dum dicit superiori ordinando & mandando ea quæ inferior exequatur, retinendam omnimodam auctoritatem suam; & nihilominus intra modestiæ limites animum continendum: *seruanda, inquit, in corde Prælati humilitas, & in opere disciplina.* Atque ita Rex, vt Rex debet imperare subditis, & in corde custodire humilitatem; Dux exactam eorum, quæ mandat, à milite requirere executionem, & simul se hominem, vti est miles, recognoscere, ne perdat humilitatem. Refert Plutarchus factum rei, quam tractamus percommodum: *Cum Filius Fabij Maximi consulatum gereret, & à longè Patrem suum equo insidentem, contra legem, in præiudicium*

Quomodo Episcopus se humiliet coram suo Capellano. Rex coram suo subdito &c.

In Iob 30.

In eius vita.

Laudabiliter filius imperat Patri Fabio.

consularis dignitatis ad se aduenire aduerteret, confestim vnum ex ijs, qui sibi assistebant officialibus, ad eum delegauit, seriò mandans, vt ex equo descenderet, cui & obtemperauit Pater, & laudi tribuit, quòd suo rectè fungeretur officio, & dignitatem personæ, quam in theatro Orbis & Vrbis sustinebat, decorè tueretur. Imperabat ergo vt potestatem habens, nec tamen interea se Fabij Maximi filium esse vel obliuiscebatur, vel ei se, vt Patri subijcere intermittebat. Si homo Ethnicus, & exteriorem Maiestatem Consulis Romani tueri, & vnà filij debitam Patri in corde subiectionem retinere potuit, quid nî Christianus (non solùm naturæ legibus, sed etiam Christi imbutus) poterit officij sui dignitatem retinere, illudque prudenter, fortiter ac fideliter administrare, & tamen in animo suo de se demissè ac humiliter sentire?

Quomodo quilibet cuilibet possit se inferiorem arbitrari.

SECTIO XI.

Secunda difficultas est, quòd vix factu possibile videatur, vt quilibet etiam

etiam in animo, alteri cuilibet, iuxta monitum Apostolorum Petri & Pauli, se inferiorem existimet, illius verba sunt hæc: *subiecti estote omni humanæ creaturæ, huius autem, superiores sibi inuicem arbitrantes.* in quo consistit tota huius gradus substantia; crebrò enim contingit, vt homo in altis honorum gradibus cõstitutus, plurimos rebus optimis, quibus ille abundat, exempli causa ingenio, prudentia, scientia, iudicio, alijsque tum animi, tum corporis, ornamentis videat destitutos. Quomodo conformiter veritati is, qui nullius sceleris conscientiâ tenetur, manifesto & de pluribus atque enormibus criminibus conuicto latrone peiorem & inferiorem se existimabit? quomodo strenuus Dux timido milite? quomodo homo doctus ignaro? diues mendico? D. Thomas Doctor Angelicus, & alij post D. Augustinum Doctores, fieri id posse ostendunt: si nimirum vnusquisque sua perpendat vitia, quæ in se deprehendit, & hoc tantò facilius, quantò longius in vera progressus est sapientiâ, esto nequeat videre faciem suam, potest tamen conscientiam; scientia

1. Petri 2. 13.
Philipp. 2. 3.
S. Thom. 2. 2. q. 161. art. 6. ad 1.

Scientia conscientiæ & sensuum.

enim cordis aliter procedit, quàm sensuum. homo enim oculis videt alterius vultum, suum non videt; contrà videt suam conscientiam, non item alterius: homo igitur quilibet internas animæ prauitates oculis mentis videre potest.

Comparatione ostenditur quomodo vnus altero se minorem possit & debeat credere.

Et huius scientiæ beneficio valet se existimare quolibet alio inferiorem & viliorem, quia eius interiora non introspicit peccata, esto videat exteriora. Adde quòd etiam ignoret complures eius abditas virtutes, quarum respectu illi est inferior. Neque dixeris, dum has adhibeo considerationes ad me constituendum alteri inferiorem, me ineptire & fingere. quia fieri potest, inquit D. Augustinus *quòd aliqua in altero sint abscondita bona, quæ eum mihi faciunt superiorem, etiamsi bona, quibus illo videor esse melior, sint in propatulo.* Atque ita vir bonus peiorem se æstimare potest quouis latrone, dum sibi ponit ob oculos ea, in quibus deficit, nominatim in gratitudine, quòd malè vsus fuerit bonis à Deo acceptis, quæ si huic, de quo agimus, latroni fuissent collata, ad tale vitæ genus nunquam prolapsus fuisset, imò forsan in magnum

L. 53. 93. q. 71.

sanctum

sanctum euasisset. Et is, qui probus est, nisi se sustentantem Dei manum habuisset, centies millies in peiora corruisset, quàm ille latro, & adhuc corruere posset, si Deus manum, cui innititur, subtraheret: sicut è contrario sæpius dictus latro, Deo oculis misericordiæ eum respiciente, ad maiorem perfectionem potest peruenire, quàm is, qui est, & habetur probus, cùm fortassis raram aliquam in anima reconditam habeat virtutem, quam Deus statuit suo tempore mũdo reuelare.

Alia exempla de eodem argumento, inducentia hominem vt se peiorem alijs æstimet.

SECTIO XII.

SVmmè strenuus quisque Dux, absq; vllius mendacij periculo inferiorem quouis timidissimo milite potest se æstimare; non quidem dignitate aut rebus fortiter gestis, sed exempli causâ, in Deum pietate, aut dono alio maioris momenti quouis honore & strenuitate, quod in eius anima plantatum Dux.

De peccato primi Angeli, deq; eius genio ac malorum spirituum, qui prorsus contrarius est huic gradui humilitatis.

SECTIO XIII.

VTi spiritûs Christi Magistri humilitatis eiusque membrorum est omnibus se, iuxta huius secundi gradûs regulam, subijcere; ita Satanæ Patris omnis arrogantiæ ingenij est sublimia spectare, omnesque sibi adhærentes ad idem suis fallacijs inducere:
41. 25. *Omne*, inquit ipse Deus apud Iob, *sublime videt, ipse est Rex super omnes filios superbiæ.* nec tantum sublime videt, sed etiam sublime appetit. Verè sublime viderat, quando Deum viderat, & eius thronum appetierat, quando dicebat,
Isaia 14. *in cælum conscendam supra astra Dei & ero si-*
13. *milis altissimo.* Nequibat altius arrogantiæ suæ supercilium attollere, quàm contemplando altissimum, eius similitudinem affectare: non in natura quidem, quod est esse Deum, quod fieri
Superbia non posse intelligebat, sed honore & dignitate,

dignitate, quæ indipisci se posse sperabat, vt nullius adinstar Dei imperio vnquam subijceretur. Erat is appetitus vehementer inordinatus, dum excellentiam & eminentiam nulli creaturæ, quantumuis excellenti, debitam, affectabat. Erat superbiæ peccatum enorme, natum ex opinione propriæ excellentiæ, quâ neminem iuxta hunc. de quo agimus gradum imperare sibi volebat. *Ille inquit D. Augustinus, agens de illis Christi verbis, Homicida erat ab initio, suo recusans subesse creatori, & superbiâ suâ velut auctoritate priuatâ elatus, ac per hoc falsus & fallax.* Nonnulli Doctores docent illum, Luciferum puta, eiusque complices Angelos fide cognouisse futurum, vt natura humana Deo per vnionem hypostaticam iungeretur, & sic supra se exaltaretur, sibique vt caput præficeretur. quod non ferentes vnanimi consensu statuerunt non admittere hominem sibi prædominantem. quod etiam insigne fuit peccatum superbiæ ad classem huius gradus spectans. quo peccato cum dictus Lucifer & Angeli reliqui, quos seduxit, infecti essent, verum euasit quod Da-

primi Angeli.

Ioannis 8. 44.

S. Augustinus 11. de ciuit. Dei c. 13.

Ambro. Cathari. S. Bern. 17. in Cant. Psal. 71. 28.

uid

Ribad. l. 1. c. 11. nominando. imò tantùm abest, vt id obfuerit, quò minus in animis suis retinuerint intentionem se minimos æstimandi studiumque omnibus se submittendi, vt excellentia & sublimitas talium nominum eos plurimùm excitârit ad perpendendam exiguitatem suam, præsertim vbi tantis nominibus fuerit comparata.

Quomodo superiores se debeant æstimare minoris suis subditis.

SECTIO X.

IN tractatione huius secundi gradûs duæ se offerunt difficultates, prima est, quî fieri possit, vt qui vel ad Ecclesiasticæ, vel politicæ Reipublicæ sedet gubernacula, inferiorem se æstimet, & ex ea æstimatione ei se submittat, qui sibi subiectus est, cum id non solùm prudentiæ, sed & iustitiæ, tum humanæ, tum etiam diuinæ repugnare videatur: hoc enim quid aliud est, quàm ab aratro boues, & non aratrum à bobus trahi, quàm & vniuersum ordinem tam Ecclesiasticæ, quàm ciuilis

politiæ

politiæ euerti? præterea cùm virtus vna non destruat alteram, quomodo humilitas iuxta substantiam huius secundi gradus potest imperare, vt superior minorem se credat suo subdito, & ei se subijciat? V.G. Episcopus Presbytero, & Presbyter Subdiacono? Rex suo clienti? Dux militi? Magister discipulo? Nonné ea magna essent contra omnem politiam peccata? Egregiè hanc dissoluit D. Gregorius difficultatem, dum dicit superiori ordinando & mandando ea quæ inferior exequatur, retinendam omnimodam auctoritatem suam; & nihilominus intra modestiæ limites animum continendum: *seruanda, inquit, in corde Prælati humilitas, & in opere disciplina.* Atque ita Rex, vt Rex debet imperare subditis, & in corde custodire humilitatem; Dux exactam eorum, quæ mandat, à milite requirere executionem, & simul se hominem, vti est miles, recognoscere, ne perdat humilitatem. Refert Plutarchus factum rei, quam tractamus percommodum: *Cum Filius Fabij Maximi consulatum gereret, & a longè Patrem suum equo insidentem, contra legem, in præiudicium consularis*

Quomodo Episcopus se humiliet coram suo Capellano. Rex coram suo subdito &c.

In Iob 30.

In eius vita.

Laudabiliter filius imperat Patri Fabio.

consularis dignitatis ad se aduenire aduerteret, confestim vnum ex ijs, qui sibi assistebant officialibus, ad eum delegauit, seriò mandans, vt ex equo descenderet, cui & obtemperauit Pater, & laudi tribuit, quòd suo rectè fungeretur officio, & dignitatem personæ, quam in theatro Orbis & Vrbis sustinebat, decorè tueretur. Imperabat ergo vt potestatem habens, nec tamen interea se Fabij Maximi filium esse vel obliuiscebatur, vel ei se, vt Patri subijcere intermittebat. Si homo Ethnicus, & exteriorem Maiestatem Consulis Romani tueri, & vnà filij debitam Patri in corde subiectionem retinere potuit, quid nî Christianus (non solùm naturæ legibus, sed etiam Christi imbutus) poterit officij sui dignitatem retinere, illudque prudenter, fortiter ac fideliter administrare, & tamen in animo suo de se demissè ac humiliter sentire?

Quomodo quilibet cuilibet possit se inferiorem arbitrari.

SECTIO XI.

SEcunda difficultas est, quòd vix factu possibile videatur, vt quilibet etiam

etiam in animo, alteri cuilibet, iuxta monitum Apostolorum Petri & Pauli, se inferiorem existimet, illius verba sunt hæc: *subiecti estote omni humanæ creaturæ, huius autem, superiores sibi inuicem arbitrantes.* in quo consistit tota huius gradus substantia; crebrò enim contingit, vt homo in altis honorum gradibus cõstitutus, plurimos rebus optimis, quibus ille abundat, exempli caussa ingenio, prudentia, scientia, iudicio, alijsque tum animi, tum corporis, ornamentis videat destitutos. Quomodo conformiter veritati is, qui nullius sceleris conscientiâ tenetur, manifesto & de pluribus atque enormibus criminibus conuicto latrone peiorem & inferiorem se existimabit? quomodo strenuus Dux timido milite? quomodo homo doctus ignaro? diues mendico? D. Thomas Doctor Angelicus, & alij post D. Augustinum Doctores, fieri id posse ostendunt: si nimirum vnusquisque sua perpendat vitia, quæ in se deprehendit, & hoc tantò facilius, quantò longius in vera progressus est sapientiâ, esto nequeat videre faciem suam, potest tamen conscientiam; scientia

1. Petri 2. 13.
Philipp. 2. 3.
S. Thom. 2. 2. q. 161. art. 6. ad 1.

Scientia conscientiæ & sensuum. enim cordis aliter procedit, quàm sensuum. homo enim oculis videt alterius vultum, suum non videt; contrà videt suam conscientiam, non item alterius: homo igitur quilibet internas animæ prauitates oculis mentis videre potest. Et huius scientiæ beneficio valet se existimare quolibet alio inferiorem & viliorem, quia eius interiora non introspicit peccata, esto videat exteriora. Adde quòd etiam ignoret complures eius abditas virtutes, quarum respectu illi est inferior. Neque dixeris, dum has adhibeo considerationes ad me constituendum alteri inferiorem, me ineptire & fingere, quia fieri potest, inquit D. Augustinus *quòd aliqua in altero sint abscondita bona, quæ eum mihi faciunt superiorem, etiamsi bona, quibus illo videor esse melior, sint in propatulo.* Atque ità vir bonus peiorem se æstimare potest quouis latrone, dum sibi ponit ob oculos ea, in quibus deficit, nominatim in gratitudine, quòd malè vsus fuerit bonis à Deo acceptis, quæ si huic, de quo agimus, latroni fuissent collata, ad tale vitæ genus nunquam prolapsus fuisset, imò forsan in magnum sanctum

Comparatione ostenditur quomodo vnus alteri se minorem possit & debeat credere.

L. 53. 9?. q. 71.

sanctum euasisset. Et is, qui probus est, nisi se sustentantem Dei manum habuisset, centies millies in peiora corruisset, quàm ille latro, & adhuc corruere posset, si Deus manum, cui innititur, subtraheret: sicut è contrario sæpius dictus latro, Deo oculis misericordiæ eum respiciente, ad maiorem perfectionem potest peruenire, quàm is, qui est, & habetur probus, cùm fortassis raram aliquam in anima reconditam habeat virtutem, quam Deus statuit suo tempore mũdo reuelare.

Alia exempla de eodem argumento, inducentia hominem vt se peiorem aliis æstimet.

SECTIO XII.

SVmmè strenuus quisque Dux, absq; vllius mendacii periculo inferiorem quouis timidissimo milite potest se æstimare; non quidem dignitate aut rebus fortiter gestis, sed exempli causâ, in Deum pietate, aut dono alio maioris momenti quouis honore & strenuitate, quod in eius anima plantatum Dux.

& reconditum temporibus ſuis feret fructum, efficietque, vt militis iſtius nomen coram Deo & hominibus melius, celebrius, honorabiliuſque appareat, & ſit, quàm fortiſſimi Ducis. Homo ſcientijs excultus inferiorem ſe agreſti & idiotâ credere poteſt: ſi non in genere ſcientiæ, certè in puritate conſcientiæ, quæ omnes ſcientias excedit.

Diues. Diues poteſt & debet ſe poſtponere pauperi & mendico, fieri enim poteſt, quòd hic pauper nudus ab omnibus temporalibus diuitijs, ditiſſimus ſit ſpiritualibus, quibus diues eſt egentiſſimus, & mendicorum omnium maximus. Adde quòd cum omnibus ſuis opibus fors ſepeliendus ſit in inferno, pauper autem manibus Angelorum deferendus in Paradiſum. Si diues Epulo in ſecreto cordis hunc formaſſet diſcurſum, ſeque mendico Lazaro poſtpoſuiſſet, eique charitatis viſcera, largiendo Eleemoſynam patefeciſſet, eius nomen beatorum Catalogo nullis futuris temporibus delendum, adſcriptum fuiſſet. Quando D.

1. Tim. 1. 13. Paulus primum peccatorem ſe nominat, ſeriò id facit, & non ex cæremonia quadam

quadam foris apparente, quasi aliter sentiret in corde, quàm loqueretur ore. Et hoc ex eò, quod patrata vitæ præteritæ mala, & quæ adhuc in futurum à se patrari possent, nisi præueniente Dei gratiâ prohiberetur, perpendens, clarius se, quàm cæteri peccatores videbat, ac proinde primum in ordine peccatorum, subductis accuratè conscientiæ calculis, iuxta hunc humilitatis gradum absq; vlla veritatis dissimulatione sese constituebat. Gloriosus Patriarcha Franciscus quadam vice rogatus à fratre, qui ei comes erat, quam de se haberet opinionem: *Ego inquit maximum peccatorum omnium me existimo.* replicante comite, quî hoc fieri posset in tanta conscientiæ puritate? Tunc ille, si Deus sceleratissimo hominum omnium tantum de misericordiæ suæ thesauris communicasset, quantum mihi, longè me esset melior. ac ideo se totius mundi scelestissimum esse credebat. En modus & ratio, quâ quisque cuique se subijcere, omnibusque se posthabere potest, idque sine mendacio, imò cum laude & iustitia, si accuratè consideret suas infirmitates spirituales.

Humilitas Sancti Francisci. S. Bonau. in eius vita apud Sur. 4. Octob.

De peccato primi Angeli, deq; eius genio ac malorum spirituum, qui prorsus contrarius est huic gradui humilitatis.

SECTIO XIII.

VTi spiritûs Christi Magistri humilitatis eiusque membrorum est omnibus se, iuxta huius secundi gradûs regulam, subijcere; ita Satanæ Patris omnis arrogantiæ ingenij est sublimia spectare, omnesque sibi adhærentes ad idem suis fallacijs inducere:

41. 25. *Omne,* inquit ipse Deus apud Iob, *sublime videt, ipse est Rex super omnes filios superbiæ.* nec tantum sublime videt, sed etiam sublime appetit. Verè sublime viderat, quando Deum viderat, & eius thronum appetierat, quando dicebat,

Isaiæ 14. 14. *in cælum conscendam supra astra Dei & ero similis altissimo.* Nequibat altius arrogantiæ suæ supercilium attollere, quàm contemplando altissimum, eius similitudinem affectare: non in natura quidem, quod est esse Deum, quod fieri

Superbia non posse intelligebat, sed honore & dignitate,

dignitate, quæ indipisci se posse sperabat, vt nullius adinstar Dei imperio vnquam subijceretur. Erat is appetitus vehementer inordinatus, dum excellentiam & eminentiam nulli creaturæ, quantumuis excellenti, debitam, affectabat. Erat superbiæ peccatum enorme, natum ex opinione propriæ excellentiæ, quâ neminem iuxta hunc, de quo agimus gradum imperare sibi volebat. *Ille inquit D. Augustinus, agens de illis Christi verbis, Homicida erat ab initio, suo recusans subesse creatori, & superbiâ suâ velut auctoritate priuatâ elatus, ac per hoc falsus & fallax.* Nonnulli Doctores docent illum, Luciferum puta, eiusque complices Angelos fide cognouisse futurum, vt natura humana Deo per vnionem hypostaticam iungeretur, & sic supra se exaltaretur, sibique vt caput præficeretur. quod non ferentes vnanimi consensu statuerunt non admittere hominem sibi prædominantem. quod etiam insigne fuit peccatum superbiæ ad classem huius gradus spectans. quo peccato cum dictus Lucifer & Angeli reliqui, quos seduxit, infecti essent, verum euasit quod Dauid

primi Angeli.

Ioannis 8. 44.

S. Augustinus 11. de ciuit. Dei c. 13.

Ambro. Cathari. S. Bern. 17. in Cant. sul. 71. 25.

Isid. l. 10. Eth. superbus dictus est quia super vult videri.

uid Rex & Vates cecinit: *superbia eorum, qui te oderunt ascendit semper.*

Luciferi superbia animis omnium impiorum est insculpta.

SECTIO XIV.

QVo ipse Lucifer superbiæ veneno à principio fuit intoxicatus, eodem postea omnes peccatores, qui eius sunt membra, asseclæ, & discipuli intoxicauit, docens eos PRIMÂ LECTIONE, vt se permagni æstimarent; SECVNDÂ, ad normam secundi superbiæ gradus, se submittendo nemini, omnibus præferrent, semperque altius, & altius ascenderent in vanitate, progrediendo de arrogantiâ in arrogantiam, donec non amplius valentes subsistere, in perditionis barathrum cadere eos fuit necesse. Has lectiones statim primis mundi exordijs in praxim & effectum cæpit deducere, dum primos humani generis parentes in eam induxit cogitationem, vt limitibus humanis à Deo sibi præfixis non contenti, eos transgredi, diuinitatem affectantes,

Peccatum primorum parentum Gen. 3, 6.

affectantes, præsumerent. Cain eiusdem seductoris suasu deceptus, cæpit ægro animo ferre, quòd frater suus Abel signis cælitus ostensis, sibi præferretur. quo tamen se & habiliorem, ac maiori honore dignum, tum ob maiorum donorum præsumptionem, tum ob nobilitatem primogenituræ totius mundi, à Patre & matre prouenientis, existimabat. Hæc superbia peperit inuidiam, quæ propriè in hoc secundo gradu, eius est filia primogenita, quæ, cùm ei bonum proximi summè displiceat, in Cain accendit choleram, quæ eum reddidit fratricidam. Datan & Abiron eàdem superbiâ stimulatos Moysis à Deo sibi constituti ductoris iusto imperio nolentes obedire, morte horribili vnà cum vniuersis eorum familijs, *terra, os suum aperiens,* in momento viuos deglutiuit, & in Inferno sepeliuit. Exemplum certè hoc æternâ memoriâ dignum est, & efficax ad docendum quantopere Deus odio hoc peccatum prosequatur, quantaque seueritate in supremo iudicij die illud sit castigaturus, quando etiam in hoc mundo, vbi locus est misericordiæ, non

Cain contra fratrem.

Gen. 4. 5. 8.
1. Ioan. 3. 12.

Num. 16. 1. 26. 10.
Deut. 11. 6.
Psal. 105. 17.
Eccle. 45. 22.

Datan & Abiron punitio horribilis.

non rarò grauissimis mulctat pœnis. Absolon ad extruendum primum superbiæ gradum, nimiùm quantum sibi, quantùm suo ingenio, quantum suo iudicio atque pulchritudini confidebat. cui adiunxit secundum, quando omnibus ex sanguine Regio principibus, imò & Patri suo inter viuos adhuc existenti & valenti, iudicans se regno digniorem, quàm illum, vltra quàm dici potest insolens, sese prætulit. Vnde solicitans & subuertens corda filiorum Israel, dicebat vnicuique, *qui veniebat ad Regis iudicium*, propter sua negotia: *Videntur mihi sermones tui boni & iusti, sed non est, qui te audiat constitutus à Rege*, Quod est dicere: Rex suo non fungitur officio, ego, ego fungi cupio, & ad pondus stateræ sanctuarij vnicuique administrare iustitiam, dignus proinde qui huic muneri præficiar: vnde addebat: *Quis me constituet iudicem super terram?* Eò autem vsque vento ambitionis delatus est, vt statuerit Patris sui vitæ finem, vt ei communi inter mortales modo succederet, non præstolari; sed ei vitam & sceptrum ferro abripere, & sic inexpiabili parentes

2. Reg. 15. 3. Sermones tui.

Ibid. 4.

cæde sibi Regnum asciscere. Et ne longus sim, reuolue antiquarum historiarum monumenta, quæ plena sunt huiuscemodi superbiæ exemplis. Quin & post Christi in mundum aduentum omnes rebelliones ab hoc secundo superbiæ gradu principium sumpserunt, in eoque altæ sunt, & ex eo altæ iam, & adultæ prodierunt. Hic idem gradus omnes à fide Apostatas, omnes Hæresiarchas, omnes Hæreticos, à Simone Mago vsque ad Lutherum genuit, genitos fouit, fotosque in animarum perniciem, in regna & prouincias ablegauit. Omnes enim quotquot superbo hoc spiritu agitati sunt, in omnes dominium, neminem in se habere voluerunt proinde in Petram, super quam Ecclesia est fundata, summâ vi impingentes, confracti sunt, & desperantes tum de sua, tum de suorum Asseclarum salute, adinstar adhærentium Datan & Abiron, miserabili naufragio absorpti sunt.

Superbia secundi gradus causa est hæresis & rebellionis in Ecclesia.

Idem spiritus superbiæ & excellentiæ verificatur in Principibus & Regibus Ethnicis.

V SECTIO

SECTIO XV.

EX Ethnicorum historijs exempla & praxis huius superbiæ tantò facilius peti possunt, quantò hoc vitium inter illos crebrius & familiarius, ac minus cognitum versabatur; imò laudabile & adinstar generosæ alicuius virtutis habebatur. Vnde Alexander Magnus, cùm tamen inter Reges Ethnicos modestissimus moderatissimusque haberetur, se solùm dignum, qui Rex in mundo esset, sentiebat & dictitabat: ideoque cùm Darius Rex Persarum ab eo bello prouocatus, eum parem, sociumque in suo Regno admittere vellet, respondit mundum non pati duos soles. Quæ intolerabilis erat superbia, fundata in opinione propriæ excellentiæ. quæ efficit primum superbiæ gradum, & secundum, qui dominium in alios sibi arrogat, progenerat. Magnum ergo se & quidem absque pari & socio existimabat. Cæsar & Pompeius magni apud Romanos Imperatores, huius vitij aurâ inflati, multùm hunc gradum calcârunt. Cæsar Romæ priorem

Præsumptio Alexandri Magni. Iustinus l. 11.

Mundus non patitur duos soles. Cic. 2. de nat. Deorum. Microb. l. 1. in somn. Scipionis c. 20.

rem non ferebat. Pompeius illo elatior, neque etiam æqualem; ille eòusq; auctoritatem, & super alios eminentiam, licet vilem & abiectam, deprædicabat, vt eam deprædicando, abreptus cæcâ ambitione, iudicium amitteret. Nam cùm quadam die pagum pertransiret, & aduerteret eos, qui in suo erant comitatu irridere rusticos in vili tugurio, cum pagi principe seu Iudice cogere cœtum, & quasi comitiola quædam agitare, dixit: *malle se primum locum inter illos ibi tenere, quàm secundum Romæ.* Quod idem erat, acsi quispiam pluris faceret esse primum inter bubulcos, quàm esse Præfectum Legionum sub summo Imperatore exercitûs. Pompeius autem hoc vnum agebat, vt omnibus præmineret. Vnde quæ singularia erant & magis à communi hominum vsu remota, illa quærebat. Hinc tantopere institit, vt, antequam in dignitatem senatoriam ascisceretur, triumphum agere sibi liceret, quod insuetum & contra leges erat apud Romanos. Cæsar libidini suæ dominandi nunquam finem imposuit, nisi postquam magno Reipublicæ præiudicio

Cæsar non fert priorem, Pompeius ne quidem æqualem.

Plut. in eius vita.

& malo Romæ obtinuit principatum; Pompeius autem suis cæptis semper insistens, sperabat fore vt superato Cæsare tandem Ciuitatis princeps efficeretur; sed nec illi diu frui dominatione, nec huic ad illam peruenire licuit. quandoquidem vterq; (iusto Dei iudicio *qui exaltat humiles & humiliat superbos*) formidabili morte sublatus est. Et Cæsar quidem Romæ loco suæ Natiuitatis, pleno senatu miserabiliter fuit trucidatus; Pompeius autem in Ægypto perfidiâ Regis, ad quem superatus pugnâ Pharsalicâ confugerat, ab Achilla Præfecto ingloriꝰ est interfectus. Super hunc eundem gradum fundata erat Regum & Imperatorum Babyloniæ superbia, qui perfectissima huius vitij suis, & posteris temporibus idea extiterunt. qui cùm Regio & Cæsareo honore non essent contenti, id est primo, qui inter mortales haberi potest, in eam deuenerunt mentem, vt Deos se putarent ipsi, & vt tales, (vti supra loquens de propria suiipsorum ignorantia dixi) ab hominibus coli vellent. Ita inter Romanorum Imperatores Caligula, adulatorum linguis ac propriâ arrogan-

Cæsar Romæ transfoditur viginti tribus vulneribus. Plut. in eius vita; Pompeius in Ægypto occiditur.

Suet. in Cal. c. 22.

arrogantiâ deceptus, credens statum suum & vitæ genus longis parasangis excedere Maiestatem aliorum Principum & Regum, diuinos honores, soli Deo debitos, deferri sibi voluit; & quod Phrenetici hominis planè actus erat, cùm in templis Romanis multas & pretiosas Deorum statuas, & nominatim Iouis, ex Græcia & alijs remotissimis quibusque terræ partibus allatas collocari fecisset, iubebat ijs amputari capita, & statuarum suarum capita ijs apponi. quo facto satis monstrabat se æquè ac statuas carere cerebro, & capite, quod illi superbia eripuerat. Insuper suas statuas & simulachra collocabat inter Deorum & in particulari Castoris & Pollucis, vt dum hæc adorarentur, vnà & ipse adoraretur, sicut ab adulatoribus adoratus, & salutatus fuit Iuppiter Latialis. Neronis superbia, sicut & alia eius vitia his finibus, non siuit se claudi, sed vltrà progressa est. neque enim solùm Deorum cultu se dignum credidit, sed insuper qui omnibus tanquam superior & dominus, inferioribus imperaret. Plinius ait nihil magis ei cordi fuisse,

Statuæ Deorum, & Caligula ibid.

Nero volebat Dijs imperare. Plin. lib. 30. c. 32.

quàm hoc: imò addit, totius vitæ decursu nihil eum generosius seq; dignius excogitasse, si manifestissima vanitas, & insania insanissima in Nerone, existimantur generositas animi, quibus nominibus alia eius vitia indigitabuntur? Sed amabo, potestné in cor hominis aliquid magis ambitiosum, magísque stultum ascendere, quàm se æstimare dignum, qui Dijs imperet, & id velle exequi? O Deus bone quousq; peruênit miseræ naturæ humanæ superbia, excœcata suiipsius ignorantiâ & arrogantiâ.

Affectatio magni nominis signum est manifestum superbiæ hoc secundo gradu denotatæ.

SECTIO XVI.

Vide supra sect. 8. & 9.

QVemadmodum serui & filij Dei spiritu humilitatis impulsi, modesta & humilia nomina sibi adsciscunt, vt paulò ante dictum est; ita filij superbiæ magnifica sibi assumunt, vt iuxta veritatem huius gradûs, magni apud mortales æstimentur. Exemplo

plo & testimonio sint Reges Persarum, QVI OLIM REGES REGVM se appellabant. quod est dicere summos summorum, ad quos vltimatè recurri potest, à quibus omnia diiudicantur, & à quibus vlterior non datur appellatio. Qui titulus prorsus est splendidus, magnificus, & fastigium huius gradus. qui tamen temporis successu, vecordiâ Regum Persarum ita viluit, vt iniuriam sibi irrogare putaret quisquis Imperator alicuius notæ, aut præcellens Dominus Rex Regum appellaretur. Hoc nomine salsè & per modum scomatis appellatus fuit Pompeius; eò quòd remissius atque lentius pugnaret contra Cæsarem. Rex Sapor se indigitabat ASTRORVM PRINCIPEM, FRATREM SOLIS & LVNÆ. Pompeius ad imitationem Alexandri Regis Macedonum, MAGNVS EST COGNOMINATVS: FABIVS Dux Romanus dictus est MAXIMVS. Et plures alij, qui minorem in eo genere sustinuissent culpam, si inde superbiæ vento inflati non fuissent, aliosque se ijs arroganter præferendo, non contempsissent. Qui his successerunt vt bonorum hæredes,

Persarum Reges appellabant se Reges Regum. Plut.

Salsè Rex Regum vocatus fuit Pompeius Plut. in eius vita.

Rex Sapor princeps

ita & vanorum nominum se constitue-runt. volentes per hæc apud mundum Magnos & celebres se reddere. Quantò melius & consultius fecissent si suorum Antecessorum Romanorum simplicitati adhæsissent, qui cognomina sibi accipiebant ex rebus minimis, exempli causâ. FABII à FABIS, LENTVLI à LENTIBVS, CICERONES à CICERIBVS. Vltra Romanorum se extendit Græcorum arrogantia in inquirendis & assumendis superborum nominum titulis. Demetrius successor vnius particulæ Imperij Alexandri Magni, in tantam suæ magnitudinis & dominationis venit opinionem, vt se Iouem nuncuparet, & eius aulici auci adulando, aut iocosè imponendo, qui ad eum veniebant ablegati, eos vocabant Theoras. Quod nomen competebat solum ijs, qui mittebantur ad responsa Deorum exquirenda. Et ne quid deesset cæptæ semel adulationi, eius responsa vocabant oracula. CLITVS eò quòd tres vel quatuor galeas vel triremes Græcorum Ponto, nauali prælio demersisset, NEPTVNVM se cognominari voluit, ideóque tridentem, tanquam

Modestia antiquorum Romanorum in assumendis nominibus, ex rebus minimi momenti.

Demetrius se Iouem appellabat. Plut. in Alex.

Clitus Neptunum.

tanquam Deus esset Maris, gestabat. Lysimachus cùm Thraciam, exiguam Imperij oram bello occupasset, in tantùm eleuatus est, vt iam se pugno stellas comprehendisse, & ijs æqualem gradi arbitraretur. vnde ex eo nimium se iactante auditæ sunt hæ voces: *Bizentini nunc ad me ventitant postquam cuspide mea lancea cælum attingo.* Clearchus cum Tyrannum & Dominum Ciuitatis Heracleæ se fecisset, in suis insignibus gestans fulmen, Iouem se dixit; & è filijs suis vnum tonitru nominauit. Nec minus vanè DIONYSIUS IUNIOR APOLLINIS nomen sibi vsurpauit. Turcarum Imperator horum omnium successor aut æmulator, ostendit suis vanissimis titulis, quam de se, & sua magnitudine super omnes totius mundi Reges habeat opinionem, dum suis litteris hos præfigit titulos, IMPERATOR IMPERATORUM INVINCIBILIS, DONATOR DIADEMATUM MAXIMORUM TOTIUS ORBIS PRINCIPUM EORUNDEMQUE REFUGIUM, & ASYLUM; & INSUPER IMPERATORUM. Nec solùm Magnates & mundi Rectores his denomi-

Clearchus Iouem, & filium suum tonitru.

Dionysius iunior Apollinem.

Titulus quem sibi arrogat Imperator Turcarum

Menecrates medicus etiam Iouem se vocauit.

nationibus extrinsecis demonstrarunt interiorem animi superbiam; sed etiam homines priuati & non magnæ laudis egentes, vt de quodam medico Græco, Menecrate dicto, qui se Iouem appellare præsumpsit: scribens enim quadam vice Agesilao Regi Spartarum præfixit litteris hæc verba: *Menecrates Iuppiter Regi Agesilao salutem*: cuius insolentiam volens reprimere Rex, hoc modo rescripsit: *Agesilaus Rex Menecrati Medico mentis sanitatem*. Viden' vt magnorum nominum & titulorum affectatio, & quæ in ijs titulis capitur voluptas, sint testimonio magnæ vanitatis, & emotæ mentis eorum, qui ea vsurparunt? quæ omnia ab hoc superbiæ gradu (cuius officij est inducere hominem, vt super alios se extollat) initium & progressum habent; quod sequentibus duabus sectionibus etiam perpendendum erit circa ambitionem Ethnicorum, inter quos, quo maior est conscientiæ libertas, eò magis omnibus vitijs frœnum laxatur.

Continuatio

Continuatio de affectatione & vanitate Magnorum nominum.

SECTIO XVII.

Ethnici tantò magis sua in ambitione flagrarunt desiderio & cupiditate magni nominis acquirendi, quantò se suis socijs & collegis meliores æstimabant, & nomen magnificum extollebant, illudque pro radio quodam sui splendoris & compendio totius dignitatis habebant, ideóque supra modum studuerunt, vt, siue per bella; siue per magnifica & superba ædificia, siue per alias vias & modos nomina sua æternitati consecrarent. Vnde generales Romani exercitûs Duces post obtentam aliquam insigni quopiam prælio victoriam, aut ciuitatem expugnatam, aut post aliquod egregium Rei militaris facinus, summè delectabantur salutari à militibus Imperatores. Quod aliud tunc non erat, quàm nuncupari magni Duces, haberique digni qui vniuerso exercitui imperarent. illius enim nominis IMPERATORIS illa primitiua

Insignes Duces primo vocati Imperatores.

Iulius Cæsar exaltauit nomen Imperatoris supra Regis.

primitiua erat significatio, quæ postea mutata est, quando Iulius Cæsar inuasit Rempublicam. cùm enim nollet, vel non posset vocari Rex, & maius tunc, ac magis odiosum erat Romanis, quàm nomen Imperatoris, is astutè hoc retinuit. Quod post hoc factum maiorem designauit dignitatem, quàm sit Regia. Hoc nomine, vt insignirentur studuerunt celebriores ferè Romanorum Duces; imò & togati, vt Cicero, qui ob fidelem suam operam nauatam Reipub. hoc nomine est appellatus. Nonnulli etiam se à Regionibus & Prouincijs, per se Reipublicæ subiugatis appellarunt. Scipio & Pompeius dicti sunt Africani, eò quòd Imperio Romano Africam adiecissent. Ita Traianus vocatus est Parthicus quod Parthos iugo Romano submisisset, ei tamē longè magis arridebat nomen *Optimus*, quia cùm Dij haberentur boni, hoc nomine magis ad diuinos honores accedere existimabat. Regibus Ægypti hoc præ cæteris cordi erat, vt extructis magnificis & sumptuosis templis, Palatijs, Pyramidibus, sepulchris, aut similibus operibus nomen suum ære perennius

perennius relinquerent posteritati. Vnde cùm hic animus vnà cum hæreditate transfusus esset à parentibus in filios, ab antecessoribus in successores, statuerunt, ad æternum nomen sibi faciendum tantæ altitudinis turrim ædificare, vt ea suo apice tangeret cælos. Verùm cùm eorum conatus in nihilum cecidissent, ita etiam nomina quæ vix dum audita erant, iam vt fumus euanuerunt. Nonnulli etiam mundi Monarchæ ad perennanda sua nomina, temporibus addixerunt; fundamento certè fragiliori & inconstantiori, quàm sint lapides. Ita Iulius Cæsar & Octauius duos anni menses suis nominibus, Iulium & Augustum appellarunt. Nero etiam suo nomine Aprilem mensem, & Domitianus Octobrem insignire voluerunt. Sed frustrà, euanescente enim vanitate illorum cum tempore, dicti menses in possessione veteris sui nominis permanserunt. Non solùm autem illustrium nominum splendorem in particulari magni æstimarunt, & ea adipisci conati sunt, sed etiam nationis suæ vniuersim nomina defendenda, in sua dignitate retinenda, ac illustranda

Turris Babel. Gen. 11.

Iulius Cæsar & Augustus ex suis nominibus vocarunt Iulium & Augustum mensem.

Prohibitio ne ab exteris assumantur nomina Romana Suet. in Claud. c. 25.

illustranda susceperunt. Vnde Claudius Imperator ne quis extraneorum nomina Romanorum, vti exempli causa, Scipionum, Fabiorum, Catonum, Mariorum, Marcellorum, & similium vsurparet, decreuit. Nolens hoc decretum Domitianus vrbe Româ contineri, extendit illud generaliter ad virorum illustrium nomina, prohibens ne hominibus vulgaris conditionis ea imponerentur. Quare Metium Pompusianum, qui Hannibalis & Magonis nomina quibusdam mancipijs dederat, iussit comprehendi. Hæc lex hodie nihil omninò habet pensi. cuicunq; enim vel Cæsaris, vel Achyllis, vel Alexandri, vel similium nomina arriserint, sibi accipit, vel in regeneratione per aquam & Christi verba, à patrinis imponitur. Herodes, vt placeret Romanorum Imperatoribus, eorum nomina lapidibus & æri committi & insculpi curauit. Vnde Ciuitatem quam condidit, Cæsaream à Cæsaris nomine appellari voluit; sicut & altissimam turrim Hierosolymæ Antoniam ab Antonio. Quæ omnia tum nomina, tum ædificia ad secúdum superbiæ gradum spectabant;

Cæsarea dicta à Cæsare. Ioseph. l. 15. antiq. c. 13. & l. 16. c. 9. Ioseph. l. 15. c. 14.

spectabant; omnia enim procedebant ex opinione præcellentiæ, qua quisque vel alterum præire volebat; vel efficere, vt alij alios per huiusmodi appellationes & opera præirent.

De alijs nonnullis vanitatibus nominum.

SECTIO XVIII.

SVnt & aliæ vanitates superioribus quidem quoad materiam dissimiles, sed ex eodem fonte scaturiunt. Earum vna est, quæ personas cognominat non magnis equidem titulis, nec acceptis ex rebus illustribus, sed humilibus & abiectis. Verbi gratia desumptis à vinea, à trulla, à riuo, & alijs similibus. Quibus nominibus fimbriæ vestimenti alicuius vaniculi applicatis, continuò vult, imò mandat ijs, qui sub sua sunt potestate, se vt vocent DOMINVM à VINEA, DOMINVM à TRVLLA, DOMINVM à TORRENTE, DOMINVM DE CRATICVLA. Et conformiter huic vanitati malumus vocari domini à Vinea, domini

Ridicula nomina ex superbia assumpta.

mini à trulla, domini à riuo, & ſimilibus reculis, quàm nuncupari nominibus proprijs, Ioannes, Petrus, Bartholomæus, &c. Fit hoc ea de cauſa, quia hæc nomina domeſtica ſunt, & vulgò omnibus communia. quæ, quem denominant, non eximunt ex communi plebis ſorte, & vulgi fœce; at verò illa ſingulari & remotâ à vulgo notâ diſtinguunt, efficiuntque iuxta conceptam animo opinionem, vt quem hoc ſigno afficiunt, putet quid ſupra alios ſe eſſe. Dum enim dicis Petrus ſimpliciter, plures animo ſubeunt Petri; at vero quando dicis DOMINVS à RIVO, DOMINVS à TRVLLA, vnus ſolùm ſubit. Adde quòd vox DOMINVS aliquam denotet ſuperbiam & eminentiam ſupra alios, quam non denotat nomen ex Baptiſmo ſumptum. Nolo hic nimiùm ſcrupulosè agere, nec eos omnes condemnare, qui taliter cognominantur, ſed ſolùm monere quòd in talibus facilè aliqua vanitudo lateat. quæ tantò magis cauenda eſt, quantò res, vnde id genus nomina accepta ſunt, viliores & contemptibiliores exiſtunt. ſupra quas, ſi fundamentum tuæ

Nomen Baptiſmi eligitur.

tuæ excellentiæ locare velis, nonnè existimaberis voluisse turrim ædificare supra dorsum alicuius muscæ, vnde tua palàm fiat omnibus ignorantia, qui in tam humili, & rarâ arboribus syluâ magnas feras capi posse speras? Alia se hic offert vanitas coniuncta cum malitia eorum, qui baptizandis curant dari nomina veteris testamenti potius, quàm noui. in quo ostendunt se pluris facere nomina V.G. Moysis, Hieremiæ, Isaiæ & similium, quàm Ioannis, Claudij & aliorum: qui cum laude talibus nominibus in lege gratiæ vocati sunt. Crediderim eos in primis id facere, vt aliquid præ communi plebe habere videantur, quod spectat ad secundum superbiæ gradum: quem hic, vtinam felici euentu! demoliri conamur. deinde vt recedant quàm longissimè possunt ab vsu & consuetudine Ecclesiæ Catholicæ. quæ equidem omnes sanctos quo potest afficit honore, sed præsertim eos qui pro Christi gloria, aut sanguinem suum in hac vita fuderunt, aut in eius Ecclesia sanctimoniâ vitæ floruerunt, & bonis exemplis quasi lucernâ perpetuò accensâ alijs præluxerunt,

Ineptè à multis, maximè hæreticis assumuntur nomina veteris testamenti.

runt. Horum nomina ob memoriam, virtutem, & imitandi studium audire potius & vsurpare delectat, quàm eorum qui vixerunt ante legem gratiæ V. G. Abel, Samson, Samuel & similium. Quorum nomina quia & ipsi de Ecclesia Dei fuerunt, accipi posse, si id fiat absque sinistro affectu, minimè abnuimus. Garamantes accusabantur in alio extremo vanitatis genere, quòd nimirum vnico omnes vterentur nomine, dum vniuersim se Athlantes nominabant. in quo & singulares erant, & vani aliquid præ cæteris nationibus prætendebant. His similes sunt, qui famosos libellos calumnijs refertos conscribunt, & publicant absque expresso scribentis nomine. Ij sunt, de quibus loquitur Dauid: *parauerunt sagittas suas in pharetra, vt sagittent in obscuro rectos corde.* idque ad imitationem Magistri sui Cacodæmonis. Ij generali nomine vocatur calumniatores, vti illi Athlantes, carentque priuato nomine, vti illi, vaniquè sunt in aucupando tam occultè, quàm publicè auram popularem, quam & illi studiosè quærebant.

Garamantes vnum tantum nomen habebant, dum omnes vocabantur Athlantes. Vide Prou. 67. chil. 7. cent. 1.

Psal. 10. 3.

Do

De ijs, qui magna habent nomina absq; vanitate.

SECTIO XIX.

Discimus, scriptura nos docente, Deum quibusdam magnifica & illustria dedisse nomina, sed eiusmodi, vt continerent veritatem & non vanitatem. ijs enim inerant res, quas significabant: primus occurrit Abraham, fidelis eius seruus, qui cùm antè vocaretur Abram, *Pater excelsus*, eum vocauit Abraham, *Pater multarum gentium*. effectus prodit veritatem nominis. Abraham enim Pater est secundum carnem nationum totius orientis; & insuper Pater est spiritualis & Patriarcha omnium Christianorum, longè latéque in terris Orientali, Occidentali, Meridionali ac Septentrionali sparsorum, ex quacunque tandem natione ij originem ducant. Dauid magnum nactus est nomen, quia & Rex factus, & appellatus, rebusque domi militiæque præclarè gestis illustris effectus est. Quod Deus ei repræsentans,

Gen. 17, 5.

ad duo inducit: *Primò* ad diligentem sui cultum, deinde ad recognoscenda humili corde beneficia à se accepta: *feci*, inquit *Deus, nomen tibi grande, iuxta nomen magnorum qui sunt in terra.* Sanctus Ioannes Baptista iuxta significatum sui nominis, quod sonat gratiam, quodq; cælitus inspiratum & datum fuit, adeo copiosè diuinam participauit gratiam, vt eâ iam tunc in vtero existens præuentus, & sanctificatus, nunquam reliquo vitæ tempore eâ spoliatus, aut peccati labe pollutus fuerit. Ipse Christus ad ostendendum nominis mutationem, modò fiat vijs & modis bonis, nil mali in se continere, Diuo Petro primario collegij sui Apostolo, nomen mutauit, quando dixit: *Tu es Simon, tu vocaberis Cephas.* Diuis item Ioanni & Iacobo noua dedit nomina, vocando eos *Boanerges* filios tonitrui. Summum nomen quod vlli vnquam homini datum fuit, est nomen IESVS, quod significat Saluatorem. datum est illud filio Dei cum veritate & propria significatione. Compluribus quidem alijs iam ante datum fuerat, sed nudam huius tantùm figuram continebat. Istius

2. Reg. 7. 8.

Ioan. 1. 42.

Marci 3. 17.

Matth. 1. 21.

generis

generis nomina cælitus data, diuina sunt, habentque in se virtutem, quam sonant absque vlla falsitate & vanitate præiudicioque humilitatis. Ad hæc accedunt illa, quæ aliquibus imposita sunt ob notabilem aliquam virtutem & meritum: ita inter Christianos Imperatores Constantinus, ob virtutes suas heroicas, & tanto dignas principe MAGNVS cognomen est adeptus. Eodem prorsus modo Carolus Pipini Franciæ Regis Filius, MAGNVS est nuncupatus; ita & Henricus quartus Franciæ & Nauarræ Rex (gloriosæ memoriæ) ob magnitudinem rerum ac multitudinem, quas & in bello & in pace gessit, MAGNVS etiam omni iure est appellatus; eodem modo eius iam olim prædecessores sibi & posteris cognomen CHRISTIANISSIMVS, ob insignem Christianæ fidei propagationem & defensionem pepererunt. Hispaniæ CATHOLICI cognomen, ob pulsos in fauorem Catholicæ Religionis è suis Regnis & Prouincijs Iudæos; Angliæ Reges ad eundem modum fidei defensores vocati sunt, quòd olim auctoritate suâ & armis Hæreticorum furorem

Varij Reges varijs nominibus propter aliquas rationes vocati sunt.

represserunt. Huc etiam spectant non pauci Imperatores & Reges tum Christiani, tum Ethnici, qui quondam DEFENSORES LIBERTATIS, PATRES PATRIÆ, & CLEMENTISSIMI BENIGNISSIMIQVE vocati & habiti sunt. Quæ Epitheta cùm ex virtute & laude, rebusque bene gestis prouenirent, sine vllius inuidia, sine vllius iniuria, cum animi moderatione & modestia vsurpabant.

Claud. de Rubis lib. 3. c. 5.

Quomodo Christus represserit ac refrenarit superbiam huius secundi gradus & vsurpationem Magnorum nominum in personis scribarum & Pharisæorum.

SECTIO XX.

Superbia vbique se insinuat.

CVm superbiæ vitium in omnia penè se intrudat, iure suo in primis, nullo contradicente, dominatum obtinet inter alia vitia, tanquam quæ ijs vitam & vigorem tribuat; deinde inter ipsas virtutes se insinuans, dolosè eas corrumpere conatur: quo fit vt illa persæpe inter filios lucis, æquè

ac inter Ethnicos reperiatur. Scribæ Ambitio
& Pharisæi (de quibus cogor crebrò Pharisæorum.
loqui, quia crebrò loquor de super-
bia) qui optimi & religiosissimi in Dei
lege habebantur, talesque se vendita-
bant, non minori auiditate, adinstar
gentilium, magnificos titulos appete-
bant, quàm primos accubitus in con-
uiuijs, & alijs congressibus. Vtrumq;
ex eadem pullulabat radice, stultitiâ
nimirum & superbia, seu præsumptuo-
sâ sui super alios æstimatione. De quâ
superbia, vt caueatur, nostræ salutis
assertor Christus, ita suos Apostolos &
Doctores Christianos admonet: *amant,* Matth.
inquit, *primos recubitus in cœnis, & primas* 23. 6.
*Cathedras in Synagogis, & salutationes in foro,
& vocari ab hominibus Rabbi.* Isthoc est vi-
tium & infirmitas Pharisæorum. acci-
pe iam ab eodem antidotum & medici-
nam: VOS AVTEM NOLITE VO-
CARI RABBI; VNVS ENIM EST
MAGISTER VESTER, VOS AV-
TEM FRATRES ESTIS: ET PATREM
NOLITE VOCARE VOBIS SVPER
TERRAM: VNVS EST ENIM PA-
TER VESTER, QVI IN CÆLIS EST.
NEC VOCEMINI MAGISTRI:

QVIA MAGISTER VESTER VNVS EST CHRISTVS. Non intendit Christus istis verbis tollere decentiæ ordinem inter mortales, aut debitos dignitati personæ titulos, sed reprehendit solùm citatis verbis superbiam interiorem, quæ est fons & origo vanitatum exteriorum; sicuti enim in interioribus animi penetralibus pluris alijs sese faciebant, ita exterius alijs excellentiores videri & magnificentioribus titulis compellari volebant. Ne ergo decipiaris, credens hac Christi reprehensione prohiberi, ne detur vel accipiatur in conuiuijs, aut alijs quibuscunq; conuentibus locus iuxta cuiusque dignitatem & gradum; ne item quispiam vocetur MAGISTER, DOCTOR, PATER, PRÆSES, DVX, MARISCHALCVS, &c. qui enim tales sunt re ipsa etiam vocari possunt, solùm ergo prohibetur ambitio & vanitas. Et ideo ipsemet omnes eos vocat matrem
Matth. 12. 50. suam, qui eius faciunt voluntatem: Et
Ioan. 3. 10. Nicodemum vocat MAGISTRVM, quia in huius nominis vsu nulla apparebat vanitas.

Humilit.

Humilitatem submißionis edocti per Christum Apostoli.

SECTIO XXI.

DIscipulos in via, Christo absente, inter se disceptasse & quæsiuisse, quis eorum videretur esse maior, alibi dictum est. erat ea disceptatio insignis vanitas & superbia. quæ non tantùm apud doctos, & in dignitate constitutos, sed etiam idiotas & rudes locum habet. Christus cui omnia aperta erant, interiecto exigui temporis interuallo eos interrogauit, quos inter se contulissent sermones in via; cùm autem pudor à responso illos cohiberet, ijs dixit Christus: *Si quis vult primum esse, erit omnium nouißimus, & omnium minister.* Idem occasione indignationis decem discipulorum, dum Ioannes & Iacobus peterent, vt *vnus ad dextram, & alter ad sinistram in regno gloriæ sederent,* repetijt: *scitis, quia hi qui videntur principari gentibus, dominantur eis, & principes earum potestatem habent ipsorum: non ita est autem in vobis, sed quicunque voluerit fieri maior, erit vester minister; & quicunque voluerit*

Matth. 18. 1. Marci 9. 34. Matth. 20. 22. Marci 10. 35. Luc. 22. 25.

in vobis primus esse, erit omnium seruus. Ex quibus satis clarum est Apostolos se dignos existimasse, qui alijs præficerentur: volens autem Saluator eorum tumorem retundere, eos omnibus subiecit.

Sanctus Petrus à sua præsumptione ad viam humilitatis reducitur.

SECTIO XXII.

QVia plurimum intererat Sanctum Petrum, primum Ecclesiæ fundamentum, remotissimum esse ab huius detestabilis vitij pernicie, Christus ex eius præsumptione accepit occasionem eum humiliandi: dum eum impingere siuit in hunc secundum superbiæ gradum, vt sensibili disceret experientiâ, se, suamque constantiam non pluris æstimare, quam aliorum: nec illis præsumptuosè se anteferre. Litteris cõsignarunt Euangelistæ Christum pridie quàm Iudæis traderetur,
Matth. 26. 1. dixisse Apostolis: *Omnes scandalizabimini*
Marc. 14. 27. *in me in nocte ista.* quod est dicere: vos omnes dum me patientem ea, quæ passurus

furus sum, videbitis, argumentum sumetis me derelinquendi, & à me fugiendi. Quo audito, Sanctus Petrus plus æquo suis viribus fidens, respondit: *etsi omnes in te scandalizati fuerint, non ego.* Matth. 26. 33. Verba hæc satis ostendunt S. Petrum constantiæ suæ virtutem longè supra suorum condiscipulorum collocasse; & hoc partim ex ignorantiâ propriæ infirmitatis (quod est quoddam specimen primi superbiæ gradûs) partim ex præsumptione virium profluebat: quas cum sociorum comparans, longè maiores esse in animo suo (quod secundum demonstrat gradum) credidit. Huic morbo cùm Christus medicinam facere vellet, & futuram edocere infirmitatem, prædictione imminentis lapsûs reprimit superbiam, dum ait: *Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam Gallus cantet, ter me negabis.* Matth. 26. 34. Quasi diceret: quia tu te præfers alijs, tu de te præsumis, mereris vt te diuina gratia (quæ capitalis superbiæ est inimica) ad tempus deserat, teque titubare, & in pœnam tuæ præsumptionis, in præcipitium penitus labi sinat. credis te alijs fortiorem, disces, sed tuo malo,

te infirmiorem esse, dum ad vocem vnius ancillæ ostiariæ me negabis, idq; non semel, sed ter, & quidem interposito iuramento. Bonus Petrus excœcatus fumo propriæ opinionis, Christi non cognoscens Prophetiam, arrogantiam suam adauxit dicens: *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Lapsus autem, qui tempore prædicto euenit, Petri fragilitatem edocuit, dum ter turpiter labens, Magistrum negauit, & lapsu suo definitionem superbiæ à veteribus datam veram esse demonstrauit: *superbia inquiebant est abnegatio Dei.* id est, inde accipitur occasio, vt blasphemetur & negetur Deus. Negatio autem hæc ideo prædicta est à Christo, quia iuxta Petri infirmitatem erat futura, & non quia præuisa & prædicta. euenire enim debebat absque præiudicio liberi arbitrij Diui Petri: quia, esto, quod necessariò euenire debuerit, supposito quòd Christus euenturam præuiderat, respectu tamen Diui Petri liberè euênit, quia Christus præuiderat Petrum liberè casurum. Docet hoc exemplum quantopere Dei filius detestetur superbiam, dum à charissimo discipulorum

Clem. grad. 21. auersio Dei D. Thom. 2. 2. q. 162. a. 6.

De lapsu S. Petri.

Christus voluit negari à

ſcipulorum per triplicem negationem offendi ſe potius ſinit, quàm pati, vt in poſterum hæc arrogantiæ labes Petrum commaculet. AMAT POTIVS VIDERE PECCATOREM CVM HVMILITATE PLORANTEM, QVAM IVSTVM CVM SVPERBIA SE IACTANTEM. Petrus erat lapis pretioſus, futurus fundamentum Eccleſiæ, quæ Magiſtra eſt Humilitatis, nulla in eo relinquenda erat palea. Quemadmodum autem Deus ſinit aliquos, qui ſe extollũt ſupra alios, ruere in aliquas abſurditates & peccata, vt eorum ſuperbiam caſtiget, & ſub aliorum pedes deijciat; ita complures in humilitate conſeruat, in eaque in dies incrementa, dum ſe cum alijs conferunt, capere facit. ſiue id faciat dando occaſionem conſiderandi & cognoſcendi eos, qui virtute aliquâ ijs præcellunt (ſicut quando Sanctum Antonium, qui leuiter cogitârat ſe primum Eremitarum eſſe, miſit ad inuiſendum Sanctum Paulum antiquiorem & magis verſatum in hac palæſtra gladiatorum, quàm ille eſſet) ſiue quempiam, ad aſpectum contemptibilem, ſed illis meliorem

ſuo diſcipulo. quàm vt pergat in arrogantia.

S. Paulus Eremita, & S. Antonius.

nobiscum veni; Magnus Pitiro vult te videre. Persistentem in suo labore vi adduxerunt totam denigratam, malè vestitam, & peius adhuc specie externâ dispositam; loco capucij & veli Monachalis capite gestantem vilissimum & abiectissimum velamen, quod denotabat diadema, quod Angelus dixerat. simul atque senex cum illo suo diademate, & humili amictu illam intuitus est, ad eius se pedes abiecit, dicens: Eia anima Deo chara, tuam mihi elargire benedictionem. illa pudore suffusa, sapienter renuit: *ô me peccatricem, tuum est Pater, tuum est illam mihi elargiri.* ille flexis genibus perstat in sua petitione, tunc religiosæ totæ quantæ attonitæ, præsumunt monere senem his verbis. Caue, Reuerende Pater, ne decipiaris, illa est inops mentis: cauete, vos, inquit, charæ sorores, ne vos decipiamini, neúe mentis inopes omnes vos sitis: hæc omnium est sapientissima & deuotionis mater; tunc illæ adhuc magis attonitæ, & iam fidem dantes sancti senis testimonio, ad pedes vtriusque sese abiecerunt, petentes ab vtroque sibi remitti quàm plurimas iniurias

iniurias & probra huic sanctæ illata; futurum vt seriam agant pœnitentiam, compensentque obseruantiâ, quæ hactenus, ludibrio eam habendo, peccauerunt. Pitiro hac occasione incredibili voluptate perfusus, congratulabatur Monachis, & Monialibus societatem tam humilis, tamq; sanctæ animæ, Deo autem gratias agebat propter oblatam se humiliandi ansam, simulque recognoscebat, quàm difficile sit iudicare secundum externam speciem, seq; alijs præferre, quantumcunq; videantur contemptibiles. Religiosæ autem illæ, hac suaui reprehensione edoctæ sunt nullam suarum sociarum quantumuis specie exteriori contemptibilem contemnere. Eâdem occasione & pœnitentiam egêre, & profectum in humilitate fecêre quàm maximum. Postquam illa sancta aliquo temporis spatio cum illis mansisset, grauius longè ferens honorem, qui sibi à contubernalibus exhibebatur, quàm præteritum contemptum, impatiens tanti honoris, mota inspiratione diuinâ, ad aliud se monasterium contulit, vbi incognita aliquandiu demorata,

QVIA MAGISTER VESTER VNVS EST CHRISTVS. Non intendit Christus istis verbis tollere decentiæ ordinem inter mortales, aut debitos dignitati personæ titulos, sed reprehendit solùm citatis verbis superbiam interiorem, quæ est fons & origo vanitatum exteriorum; sicuti enim in interioribus animi penetralibus pluris alijs sese faciebant, ita exterius alijs excellentiores videri & magnificentioribus titulis compellari volebant. Ne ergo decipiaris, credens hac Christi reprehensione prohiberi, ne detur vel accipiatur in conuiuijs, aut alijs quibuscunq; conuentibus locus iuxta cuiusque dignitatem & gradum; ne item quispiam vocetur MAGISTER, DOCTOR, PATER, PRÆSES, DVX, MARISCHALCVS, &c. qui enim tales sunt re ipsa etiam vocari possunt, solùm ergo prohibetur ambitio & vanitas. Et ideo ipsemet omnes eos vocat matrem suam, qui eius faciunt voluntatem: Et Nicodemum vocat MAGISTRVM, quia in huius nominis vsu nulla apparebat vanitas.

Matth. 12. 50. Ioan. 3. 10.

Humilit.

Humilitatem submißionis edocti per Christum Apostoli.

SECTIO XXI.

DIscipulos in via, Christo absente, inter se disceptasse & quæsiuisse, quis eorum videretur esse maior, alibi dictum est. erat ea disceptatio insignis vanitas & superbia. quæ non tantùm apud doctos, & in dignitate constitutos, sed etiam idiotas & rudes locum habet. Christus cui omnia aperta erant, interiecto exigui temporis interuallo eos interrogauit, quos inter se contulissent sermones in via; cùm autem pudor à responso illos cohiberet, ijs dixit Christus: *Si quis vult primum esse, erit omnium nouißimus, & omnium minister.* Idem occasione indignationis decem discipulorum, dum Ioannes & Iacobus peterent, vt *vnus ad dextram, & alter ad sinistram in regno gloriæ sederent,* repetijt: *scitis, quia hi qui videntur principari gentibus, dominantur eis, & principes eorum potestatem habent ipsorum: non ita est autem in vobis, sed quicunque voluerit fieri maior, erit vester minister; & quicunque voluerit*

Matth. 18. 1. Marci 9. 34. Matth. 20. 22. Marci 10. 35. Luc. 22. 25.

in vobis primus esse, erit omnium seruus. Ex quibus satis clarum est Apostolos se dignos existimasse, qui alijs præficerentur: volens autem Saluator eorum tumorem retundere, eos omnibus subiecit.

Sanctus Petrus à sua præsumptione ad viam humilitatis reducitur.

SECTIO XXII.

QVia plurimum intererat Sanctum Petrum, primum Ecclesiæ fundamentum, remotissimum esse ab huius detestabilis vitij pernicie, Christus ex eius præsumptione accepit occasionem eum humiliandi: dum eum impingere siuit in hunc secundum superbiæ gradum, vt sensibili disceret experientiâ, se, suamque constantiam non pluris æstimare, quam aliorum: nec illis præsumptuosè se anteferre. Litteris cõsignarunt Euangelistæ Christum pridie quàm Iudæis traderetur,
Matth. 26. 1. dixisse Apostolis: *Omnes scandalizabimini*
Marc. 14. 27. *in me in nocte ista.* quod est dicere: vos omnes dum me patientem ea, quæ pas-

surus

surus sum, videbitis, argumentum sumetis me derelinquendi, & à me fugiendi. Quo audito, Sanctus Petrus plus æquo suis viribus fidens, respondit: *etsi omnes in te scandalizati fuerint, non ego.* Matth. 26. 33. Verba hæc satis ostendunt S. Petrum constantiæ suæ virtutem longè supra suorum condiscipulorum collocasse: & hoc partim ex ignorantiâ propriæ infirmitatis (quod est quoddam specimen primi superbiæ gradûs) partim ex præsumptione virium profluebat: quas cum sociorum comparans, longè maiores esse in animo suo (quod secundum demonstrat gradum) credidit. Huic morbo cùm Christus medicinam facere vellet, & futuram edocere infirmitatem, prædictione imminentis lapsûs reprimit superbiam, dum ait: *Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam Gallus cantet, ter me negabis.* Matth. 26. 34. Quasi diceret: quia tu te præfers alijs, tu de te præsumis, mereris vt te diuina gratia (quæ capitalis superbiæ est inimica) ad tempus deserat, teque titubare, & in pœnam tuæ præsumptionis, in præcipitium penitus labi sinat. credis te alijs fortiorem, disces, sed tuo malo,

te infirmiorem esse, dum ad vocem vnius ancillæ ostiariæ me negabis, idq; non semel, sed ter, & quidem interposito iuramento. Bonus Petrus excœcatus fumo propriæ opinionis, Christi non cognoscens Prophetiam, arrogantiam suam adauxit dicens: *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Lapsus autem, qui tempore prædicto euenit, Petri fragilitatem edocuit, dum ter turpiter labens, Magistrum negauit, & lapsu suo definitionem superbiæ à veteribus datam veram esse demonstrauit: *superbia inquiebant est abnegatio Dei.* id est, inde accipitur occasio, vt blasphemetur & negetur Deus. Negatio autem hæc ideo prædicta est à Christo, quia iuxta Petri infirmitatem erat futura, & non quia præuisa & prædicta euenire enim debebat absque præiudicio liberi arbitrij Diui Petri: quia, esto, quod necessariò euenire debuerit, supposito quòd Christus euenturam præuiderat, respectu tamen Diui Petri liberè euênit, quia Christus præuiderat Petrum liberè casurum. Docet hoc exemplum quantopere Dei filius detestetur superbiam, dum à charissimo discipulorum

Clem. grad. 21. auersio Dei D. Thom. 2. 2. q. 162. a. 6.

De lapsu S. Petri.

Christus mauult negari à

scipulorum per triplicem negationem, offendi se potius sinit, quàm pati, vt in posterum hæc arrogantiæ labes Petrum commaculet. AMAT POTIVS VIDERE PECCATOREM CVM HVMILITATE PLORANTEM, QVAM IVSTVM CVM SVPERBIA SE IACTANTEM. Petrus erat lapis pretiosus, futurus fundamentum Ecclesiæ, quæ Magistra est Humilitatis, nulla in eo relinquenda erat palea. Quemadmodum autem Deus sinit aliquos, qui se extollũt supra alios, ruere in aliquas absurditates & peccata, vt eorum superbiam castiget, & sub aliorum pedes deijciat; ita complures in humilitate conseruat, in eaque in dies incrementa, dum se cum alijs conferunt, capere facit. siue id faciat dando occasionem considerandi & cognoscendi eos, qui virtute aliquâ ijs præcellunt (sicut quando Sanctum Antonium, qui leuiter cogitârat se primum Eremitarum esse, misit ad inuisendum Sanctum Paulum antiquiorem & magis versatum in hac palæstra gladiatorum, quàm ille esset) siue quempiam, ad aspectum contemptibilem, sed illis meliorem

Suo discipulo, quàm vt pergat in arrogantia.

S. Paulus Eremita, & S. Antonius.

Pallad. 41. in hist. Lausiaca.

liorem reuelando. Tale fuit quod Sancto Pitironi Anachoretæ, ætate & virtutibus in Thebaide multos alios post se relinquenti; & fœminis religiosis in monasterio proximo degentibus reuelauit. ex quandam sibi conuiuentem Religiosam multis virtutibus ornatam; quæ ob humilitatem se stultam fingebat, malè tractabant. volens Deus ex hoc multa bona elicere, quadam die ad dictum Sanctum Pitironem misit Angelum, qui illi dixit: Age, effare bone senex, quæ tuæ sunt in hac solitudine cogitationes, totus quantus ieiunijs, orationibus & laboribus deditus es, nonné tibi aliquid grande videris esse, & diues mercium spiritualium mercator? subindéne te plus alijs tuis contubernalibus Religiosis sapere existimas? Quid ageret, quid responderet ad Angeli dicta bonus senex, ignorans, mutus, vt piscis tacuit; angelus autem inchoatum prosequens sermonem, visné, inquit, simplicem, sed te longè meliorem, & magis religiosam, quæ nihil est ad aspectum, videre fœmellam? vade ad Religiosas fœminas

Religiosa

in monasterio Tabennensi habitantes, &

& ibi inter alias inuenies vnam, quæ capite suo gestat diadema, quæque omnibus alijs inseruit, & ab omnibus contemnitur: ipsa tamen inter labores & occupationes, & quascunque afflictiones semper arctissimè cum Deo est coniuncta. Bonus senex, qui nihil magis habebat in votis, quàm habere occasionem se humiliandi, statim absque vlla tergiuersatione, exurgens, rectà perrexit ad dictum monasterium, petijt ab ijs, qui earum curam gerebant, sibi licere transmittere flumen, & illas religiosas inuisere: cui euestigiò, cùm in magna apud omnes opinione esset sanctitatis, concessum. In cuius conspectum cùm omnes, exceptâ eâ, ob quam venerat, se dedissent, rogauit an omnes adessent: responderunt, ita; replicauit ille, eam abesse affirmans, quam Angelus ei reuelârat. Tunc illæ dixerunt, vnam quidem in culina remansisse, sed illam miserculam esse mente captam, rogo, inquit, senex fiat mihi copia eam videndi. statim ad eam è culina, vbi ollas extergebat, euocandam excurrunt aliquot; negat illa se venturam, quid agis stulta, actutùm nobiscum

humilis & pauem.

Non iudicandum secundum faciem.

nobiscum veni; Magnus Pitiro vult tè videre. Persistentem in suo labore vi adduxerunt totam denigratam, malè vestitam, & peius adhuc specie externâ dispositam; loco capucij & veli Monachalis capite gestantem vilissimum, & abiectissimum velamen, quod denotabat diadema, quod Angelus dixerat. simul atque senex cum illo suo diademate, & humili amictu illam intuitus est, ad eius se pedes abiecit, dicens: Eia anima Deo chara, tuam mihi elargire benedictionem. illa pudore suffusa, sapienter renuit: *ô me peccatricem, tuum est Pater, tuum est illam mihi elargiri:* ille flexis genibus perstat in sua petitione, tunc religiosæ totæ quantæ attonitæ, præsumunt monere senem his verbis. Caue, Reuerende Pater, ne decipiaris, illa est inops mentis: cauete, vos, inquit, charæ sorores, ne vos decipiamini, neúe mentis inopes omnes vos sitis: hæc omnium est sapientissima & deuotionis mater; tunc illæ adhuc magis attonitæ, & iam fidem dantes sancti senis testimonio, ad pedes vtriusque sese abiecerunt, petentes ab vtroque sibi remitti quàm plurimas

iniurias

iniurias & probra huic sanctæ illata, futurum vt seriam agant pœnitentiam, compensentque obseruantiâ, quæ hactenus, ludibrio eam habendo, peccauerunt. Pitiro hac occasione incredibili voluptate perfusus, congratulabatur Monachis, & Monialibus societatem tam humilis, tamq; sanctæ animæ, Deo autem gratias agebat propter oblatam se humiliandi ansam, simulque recognoscebat, quàm difficile sit iudicare secundum externam speciem, seq; alijs præferre, quantumcunq; videantur contemptibiles. Religiosæ autem illæ, hac suaui reprehensione edoctæ sunt nullam suarum sociarum quantumuis specie exteriori contemptibilem contemnere. Eâdem occasiône & pœnitentiam egêre, & profectum in humilitate fecêre quàm maximum. Postquam illa sancta aliquo temporis spatio cum illis mansisset, grauius longè ferens honorem, qui sibi à contubernalibus exhibebatur, quàm præteritum contemptum, impatiens tanti honoris, mota inspiratione diuinâ, ad aliud se monasterium contulit, vbi incognita aliquandiu demorata,

magnâ in humilitate & sanctitate vitam conclusit. Atqui hic est modus, quo Deus facit suos seruos crescere in humilitate, ijsque, dum illos humiliat, aperit oculos, vt videant eius iudicia longè diuersa esse à iudicijs hominum, dum eos, qui mundi opinione erant prorsus abiecti, reddit in hac vita honorabiles, & efficit in altera gloriosos.

Ad acquirendam humilit. tem vitanda sunt iudicia temeraria.

SECTIO XXIII.

CVm hic secundus gradus ex iam dictis satis innotuerit, satisque perpolitus videatur, restat iam, vt suo loco ponatur & primo gradui appositè iungatur. Quod vt fiat, adhibenda est quædam generalis exinanitio, quæ penitus penitusque tollat omnes causas & occasiones, quæ argumento esse possunt, vt alter se efferat supra alterum. inter eas primò omnium se offert iudicium temerarium de proximo, deque eius dictis ac factis, in quo sæpe sæpius erratur, occasioque

propriæ

propriæ ignorantiæ & vanæ laudis su-
mitur; ex quibus mirum quantas su-
perbia vires acquirat: vt iam allata
historia, pluresque similes nos edocent.
Quare ad hunc gradum solidè locan-
dum, plurimùm proderit supersedere
iudicio de proximis, quantumcunque
mali appareant, faciendo. quoniam vt
actus est humilitatis in suas animi pra-
uitates inquirere; ita superbæ curiosi-
tatis est conijcere oculos in mala pro-
ximorum, nisi tamen id incumbat ex
officio. Et licet conspexeris perpetrari
homicidium, sacrilego ore proferri bla-
sphemias; non ideo tamen permitti-
tur, vt vltra id, quod vidisti, progre-
diâre, iudicando & condemnando ho-
micidam & blasphemum tanquam ho-
mines perditos. Verùm apud temet-
ipsum eos excusare & compati, quan-
tùm possibile est, debes. inde enim ani-
mi quietem, inde custodiam tui; inde
meliorem de proximo, deteriorem de
te consequêris existimationem. Adde
quòd essentiam huius gradus (quæ est
alijs se minoris æstimare) & admiran-
dam eundem exercendi animæ tuæ im-
primet facilitatem; quemadmodum

Arist. l. 2. Ethic. c. 1. fabricando fabri fimus Prou. 30. ehil. 2. ecnt. 2. enim is, qui frequenter ludit in fidibus, aut alio quouis instrumento musico, scientiam & habilitatem ludendi secundum artem acquirit: ita prorsus vitium humilitati contrarium acquirit ille, qui assuescit sæpius temerè iudicare proximum. iteratis enim actibus superbiæ [quos illa tanquam mater genuit, & vicissim ab illis generatur in anima, ibidemque corroboratur] quotidie superbior efficitur. Sciendum enim est eum, qui iudicat proximum suum, superioris tenere locum, rursum in quantum eum iudicat, in tantum eum humiliare, & contemptui habere: & ex consequenti proximo se meliorem credere. Ita egit Pharisæus cum Magdalæna, qui dum eam in statu pœnitentis, ad Christi pedes abiectam & copiosissimè lacrymas fundentem videret, eam insigniter impudentem, & Christum, qui eam patiebatur, minimè Prophetam esse iudicauit. Et ita duplex temerarium & falsum commisit iudicium. vnum iudicando in corde suo Christum & Magdalænam; alterum vtrique se præferendo. Similiter barbari in Insula Mellita, qui cùm

Luc. 7. 39. Item 18. 11.

Act. 28. 4.

cùm vidiſſent viperam inuaſiſſe manum D. Pauli, eum homicidam iudicarunt. Quàm ſeuerè etiam lex diuina interdicat huiuſmodi iudicium, tanquam prolem arrogantiæ, & temeritatem periculoſam, audi Saluatorem his verbis illud caſtigantem: *Nolite iudicare, vt non iudicemini, in quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini.* Audi & Diuũ Paulum: *nolite ante tempus iudicare quoad vſq; veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium.* Idem alibi ſic ait: *Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum? Domino ſuo ſtat, aut cadit: ſtabit autem: potens enim eſt Deus ſtatuere illum.* quaſi diceret, quis es tu, qui tibi arrogas poteſtatem, vt ſuperior quiſpiam iudicandi eos, quos, cùm rerum ſpiritualium vix ieceris rudimenta, ne cognoſcis quidem, & tu effrons audebis ferre iudicium de vitijs, de virtutibus, fortuniſque illorum? His tamen nullus ponitur obex, quò minus Iudex quilibet, ſuperior quilibet poſſit ſuſpicari, atque ſuſpicionis ſuæ ſequi indagines quoadusq; veritatem facti pro bono publico, & etiam eorum, de quibus habetur ſuſpicio, de-

Prou. 71. cent. 7.

Matth. 7. 1. 6. 37. Rom. 2. 1. 1. Cor. 5.

Rom. 14. 4.

prehendat. Hoc enim non est temerè & superbè iudicare; sed in consilium vocare prudentiam & iustitiam, ad mala euitanda, vel si iam euenerunt, corrigenda.

De non conferendo se inepte alijs.

SECTIO XXIV.

VNa alia causa superiori vicina è medio tollenda est, ne secundo gradui locando sit impedimento. Ea autem est, ne quis temerè se alijs comparet: tales enim comparationes leuiter factæ & mentis cogitationibus agitatæ, ac veluti lapidibus molaribus attritæ, male sanam efficiunt farinam; hæc verò malam massam, & malum fermentum, quæ simul iuncta, comedentem miserandum in modum faciunt intumescere. Cum tribus autem hominum generibus contingit fieri comparationem, cum superioribus, cum æqualibus, & inferioribus. qui humilitate & sapientiâ præditus est, aut esse desiderat, iuxta hunc gradum cogitare debet quemlibet sibi esse superiorem,

Cum tribus hominum generibus fit comparatio.

riorem, nec vlli se comparare, nisi tamen illa comparatio ei vtilis esset ad maiorem humilitatem consequendam; qui autem superbiæ ac eius indiuiduæ comitis stultitiæ vitio laborat, nunquam non omnibus se superiorem, & neminem sibi æqualem arbitratur. Quòd si excellentia virtutis alicuius hominis, aliquo in genere tanta sit, vt de eius eminentia nullum possit moueri dubium, hac omissâ, conuertit se ad aliquid aliud, quo imaginatur se longè illi præstare. exemplo res magis illucescet; si aduertat illum prudentiæ dono præcellere, se magis strenuum militem, scribamque meliorem existimabit, si illum fortiorem, se acutiorem, & ita semper, & vbiq; omnibus se alijs excellentiorem opinabitur; sed ijs præcipuè, quos omni seposito dubio, sibi apud se aliqua in re constituit inferiores; vnde in sinu suo gaudet, se eorum humilitate fieri excelsiorem. Quare si hic superbus aliqua habeat dona, aut ingenij, aut iudicij, aut memoriæ, aut aliorum bonorum, quæcunq; tandem illa sint, bene cauebit, ne se conferat cum magnis illis ingenijs, Aristide,

Superbus se alijs comparat suo commodo.

Catone, Lycurgo, aut quocunque alio se excellentiore. Talis namque comparatio illi officeret plurimùm; sed bene cum inferioris gradûs hominibus, quorum respectu præsumpta eius magnitudo multùm videtur exaltata. Si vel mediocrem sibi comparauit doctrinam tacitus pertransibit eos, qui tali in scientia primas tulerunt, verbi gratia, Platonem, Aristotelem, S. Augustinum, S. Chrysostomum & similes; Catus enim timet ne ijs collatus nihil videatur; non similiter Doctores exiguæ notæ & leuioris armaturæ. Idem non facile in congressum & societatem doctorum virorum se dabit, vt aliquid addiscat; sed cum idiotis eius conuersatio, vt sapientissimus habeatur, vt regnet Luscus & strabo inter cæcos. Præeliget esse scriba vilissimi alicuius pagi, quàm ciuis Parisijs; primus Tiburi, quàm secundus Romæ. Si quod habeat corporis donũ, omnibus, qui eo destituti sunt, se præferet; si aliquantulum sit opulentus, aliquo honoris loco constitutus, omnes se inferiores eo in genere considerabit diligentissimè; superiores autem minimè.

Luscus Rex cæcorum. Prou. 26. Phil. 3. Sent. 4.

Et

Et ita tum consideratione suæ eminentiæ super eos, quos despicit, tum auersione & voluntariâ obliuione eorum, quos ob excellentiam metuit, cordis sui pascit vanitatem.

Documenta Sanctorum Doctorum aduersantia futilibus comparationibus.

SECTIO XXV.

NOn intermiserunt sancti Doctores monere Christianos, vt cauerent pedicas superbiæ, & ineptæ comparationis. Et in primis S. Chrysostomus quodam in loco de ea in hanc sententiam ita loquitur: *veram habemus humilitatem, quando ijs, qui nobis videntur inferiores, cedimus, eosq́ honore afficimus, qui eo minus digni apparent, quàm nos, & si sapientes esse volumus, neminem nobis inferiorem esse credere debemus, & dicere omnes nobis antecellere.* Audiuisti Chrisostomum, audi & Ambrosium: *primus, inquit, humilitatis apex situs est in vita communi, quando vnusquisq́ alterum prævenit honore, & cogitat omnes iuxta Apostolicam doctrinam*

Hom. 31.

Epist. 84. lib. 10.

Rom. 12. 10.

Etrinam sibi esse superiores; quando inferiora ex animo seruiunt, & inde non norunt superbire; quando pauper honorat diuitem, & diues gaudet eum sibi habere parem. Ad hos duos accedit tertius, D. Bernardus qui in Canticis his verbis rem ante oculos

S. Bern. ponit: *non est periculum quantumcunq; te humilies, quantumcunq; reputes minorem quam sis, hoc est, quam te veritas habeat. Est autem grande malum, horrendumq; periculum, si vel modicè plus vero te extollas, si vel uni videlicet in tua cogitatione te præferas, quem forte tibi parem veritas indicat, aut etiam superiorem. Quemadmodum enim si per ostium transeas, cuius superliminare nimium demissum sit, non nocet quantumcunque te inclinaueris, nocet autem, si vel transuersi digiti spatio plus, quam ostij patitur mensura, erexeris, ita vt impingas, & capite quassato colliaris: sic in anima non est planè timenda quantalibet humiliatio, horrenda autem, nimiumq; pauenda, vel minima temerè præsumpta euectio. Quamobrem noli te homo comparare maioribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli vni. Quid scis enim ô homo, si vnus ille quem forte omnium vilissimum, atq; miserrimum reputas, cuius vitam sceleratissimam ac singulariter fœdissimam*

fœdißmam horres, & propterea illum putas spernendum, non modo præ te (qui forte iam sobriè & iustè & piè viuere te confidis) sed etiam præ cæteris omnibus sceleratis, tanquam omnium sceleratißimum; quid scis inquam si melior & te & illis, mutatione dexteræ excelsi, in se quidem futurus sit, in Deo verò iam sit? Et propterea non mediocrem, vel non penultimum, non ipsum saltem inter nouißimos eligere locum voluit, sed recumbe, Luc. 14. 10.
inquit, in nouißimo loco. Hoc modo se habet humilitas erga alios; Verùm quia superbia incredibilem suis in comparationibus percipit voluptatem, & gustum, non erit abs re vnà cum cibis illum vel prorsus tollere, vel saltem obtusiorem reddere. quod conabimur discurrendo per contrarias comparationes circa omnia illa bona, quæ primo gradu retulimus.

Quatuor documenta generalia, ne quis se efferat super alios.

SECTIO XXVI.

DE bonis animæ, corporis, alijsque, quæ hominem inducunt vt 8. 1. sect. 35. 36. 37.

vt in seipso absque respectu ad alios superbiat, loquutus sum supra & ostendi, qualiter ob illa ipsa bona aliquis sub potenti Dei manu se humiliare debeat, nunc de ijsdem mihi discurrendum & disserendum est, quatenus eundem hominem, qui ea possidet inflectere possunt, ne conferendo se cum alijs, ijsdem sese præferat. Hoc vt rectè assequar in medium aliqua tum generalia, tum particularia documenta adferenda sunt. Generalium I. desumitur ex primo gradu, vbi ostensum est, neminem debere, nec posse in se gloriari de bonis, quæ Deus ei elargitus est. ex quo intelligitur quòd longè minus debeat, aut possit efferre se supra alios: multò enim maior arrogantia est extollere se supra alios, quàm solùm in seipso.

Gradu 1. sect. 33. 32.

II. in eodem gradu notatum [& sæpius repeti debet] est perpendere, quòd quò aliquis magis abundat bonis suprà dictis, eò etiam maior ei incumbat obligatio aduersus datorem Deum, ac proinde ratio maior se alijs submittendi. Nemo enim reperietur, nisi demens sit, qui, cùm intelligat se maiore

Quo quis plura se-

maiore cæteris ære alieno grauatum, supra illos se extollat, & non potius humiliter submittat, suum statum recognoscens. Is qui vnum debet millionem auri, nec possidet centum aureos ad soluendum, gloriabiturné & insolenter se extollet supra eum, qui centum solùm debet solidos? Hoc quisquis facit, quis dubitet eum à sua stultitia & superbia prorsus esse excæcatum?

cepit beneficia, eò magis debet se humiliare.

III. est mentis oculos conijcere in eos, qui æquè magnâ, ac fors etiam maiori bonorum omnium affluentiâ, ac nos, olim abundarunt, neque ob ea alijs se prætulerunt, sed intra suam stationem se continentes, sanctam humilitatem coluerũt. Tales fuêre Abraham, Moyses, Iosue, Dauid, & alij excellentes non pauci in lege veteri; qui cùm magni essent ingenio, magni opibus, magni scientiâ, magni fortitudine, magni denique dignitate, & alijs Dei donis; tamen nulli se præferebant. Conijce item oculos in funestum & deplorandum exitum nonnullorum, qui nobilissimis Dei donis abusi ad superbiam & contemptum aliorum, tandem

Magni & diuites, humiles.

Superborum mors.

bona memoria. multùm detrimenti, nihil emolumenti ad animam suam referunt; in illo enim dicta animi bona considerantes in se, de se magnos concipiunt spiritus; in hoc autem se super alios extollentes ijs abutuntur. quia primò non vt deberent perpendunt maximam debilitatem, quæ inest intellectui humano, sed tantum id, quod se habere præsumunt. Et per hoc præconceptam de se magnitudinem & excellentiam se supra alios attollere conantur. Deinde ad eos solùm se conuertunt, quos ingenium humile & vulgare habere existimant: quorum respectu magnos se credunt. in quo sat clarè socordiam & absurditatem suam patefaciunt. Quid enim laude dignum est habere plus ingenij, quàm multi stupidi? contrà, humiles & sapientes, vt in humilitatis virtute progressus faciant, duo perpendunt: PRIMÒ capacitatem talium donorum, quæ non magni sunt momenti, vt dictum est gradu primo; DEINDE eos, qui sunt nunc, aut fuerunt olim eximij in dictis donis. Hæc duo, si rectè perpendantur, efficacia duo exhibebunt media, vt quis se intra humilitatis

litatis limites contineat, omittatque comparationes, quæ hominiel atos pariunt spiritus. Et ideo vir prudens in primis, animo reuoluat accuratè, quæ dicta sunt gradu primo, sectione 40. illisque iungat, quod sapienter moralis Philosophus Seneca adnotauit: nempe NVLLVM MAGNVM INGENIVM EXISTERE ABSQVE MIXTVRA STVLTITIÆ. si hoc (quod est verissimum) is, qui plus æquo suo tribuit ingenio, sibi bene impresserit, mihi crede nimiùm expansa suarum cogitationum vela contrahet, & alijs se præferre desinet, sibique persuadebit, si præ illis abundet spiritu, consequens esse, vt, malo suo, etiam venis stultitiæ & qualitatibus terreis abundet. Et si id non aduertit, ex ingenij debilitate, quod supra modum æstimat, accidit.

Grad. 1. sect. 40.

Seneca lib. de tranq. animæ ad finem nullum bonum ingenium absque mixtura stultitiæ.

II. in memoriam reuocet eos, qui absque vlla contradictione, ingenij bonitate excellentiores fuerunt, quàm vel vnquam ipse sperare audeat. Videat an Iulij Cæsaris habeat acumen ingenij, quod ita viuax & capax fuit, teste Plinio, vt omnes omnino res, quæ cælorum aspectui subijciuntur, statim

Ingenium Iulij Cæsaris. Plin. l. 7. c. 26.

Catone, Lycurgo, aut quocunque alio se excellentiore. Talis namque comparatio illi officeret plurimùm; sed bene cum inferioris gradûs hominibus, quorum respectu præsumpta eius magnitudo multùm videtur exaltata. Si vel mediocrem sibi comparauit doctrinam tacitus pertransibit eos, qui tali in scientia primas tulerunt, verbi gratia, Platonem, Aristotelem, S. Augustinum, S. Chrysostomum & similes; Catus enim timet ne ijs collatus nihil videatur; non similiter Doctores exiguæ notæ & leuioris armaturæ. Idem non facile in congressum & societatem doctorum virorum se dabit, vt aliquid addiscat; sed cum idiotis eius conuersatio, vt sapientissimus habeatur, vt regnet Luscus & strabo inter cæcos. Præeliget esse scriba vilissimi alicuius pagi, quàm ciuis Parisijs; primus Tiburi, quàm secundus Romæ. Si quod habeat corporis donũ, omnibus, qui eo destituti sunt, se præferet; si aliquantulum sit opulentus, aliquo honoris loco constitutus, omnes se inferiores eo in genere considerabit diligentissimè; superiores autem minimè.

Luscus Rex cæcorum.
Prou. 26.
Phil. 3.
Sent. 4.

Et

Et ita tum consideratione suæ eminentiæ super eos, quos despicit, tum auersione & voluntariâ obliuione eorum, quos ob excellentiam metuit, cordis sui pascit vanitatem.

Documenta Sanctorum Doctorum aduersantia futilibus comparationibus.

SECTIO XXV.

NOn intermiserunt sancti Doctores monere Christianos, vt cauerent pedicas superbiæ, & ineptæ comparationis. Et in primis S. Chrysostomus quodam in loco de ea in hanc sententiam ita loquitur: *veram habemus humilitatem, quando ijs, qui nobis videntur inferiores, cedimus, eosq; honore afficimus, qui eo minus digni apparent, quam nos, & si sapientes esse volumus, neminem nobis inferiorem esse credere debemus, & dicere omnes nobis antecellere.* Audiuisti Chrisostomum, audi & Ambrosium: *primus, inquit, humilitatis apex situs est in vita communi, quando vnusquisq; alterum præuenit honore, & cogitat omnes iuxta Apostolicam do-*

Hom. 31.

Epist. 84. lib. 10.

Rom. 12, 10.

ctrinam sibi esse superiores; quando inferiores ex animo seruiunt, & inde non norunt superbire; quando pauper honorat diuitem, & diues gaudet eum sibi habere parem. Ad hos duos accedit tertius, D. Bernardus qui in Canticis his verbis rem ante oculos S. Bern. ponit: *non est periculum quantumcunq; te humilies, quantumcunq; reputes minorem quam sis, hoc est, quam te veritas habeat. Est autem grande malum, horrendumq; periculum, si vel modicè plus vero te extollas, si vel vni videlicet in tua cogitatione te præferas, quem forte tibi parem veritas indicat, aut etiam superiorem. Quemadmodum enim si per ostium transeas, cuius superliminare nimium demissum sit, non nocet quantumcunque te inclinaueris, nocet autem, si vel transuersi digiti spatio plus, quàm ostij patitur mensura, erexeris, ita vt impingas, & capite quassato colliaaris: sic in anima non est planè timenda quantalibet humiliatio, horrenda autem, nimiumq; pauenda, vel minima temerè præsumpta erectio. Quamobrem noli te homo comparare maioribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli vni. Quid scis enim ô homo, si vnus ille quem forte omnium vilissimum, atq; miserrimum reputas, cuius vitam sceleratissimam ac singulariter fœdissimam*

fœdissimam horres, & propterea illum putas spernendum, non modo præ te (qui forte iam sobriè & iustè & piè viuere te confidis) sed etiam præ cæteris omnibus sceleratis, tanquam omnium sceleratissimum; quid scis inquam si melior & te & illis, mutatione dexteræ excelsi, in se quidem futurus sit, in Deo verò iam sit? Et propterea non mediocrem, vel non penultimum, non ipsum saltem inter nouissimos eligere locum voluit, sed recumbe, inquit, in nouissimo loco. Hoc modo se habet humilitas erga alios; Verùm quia superbia incredibilem suis in comparationibus percipit voluptatem, & gustum, non erit abs re vnà cum cibis illum vel prorsus tollere, vel saltem obtusiorem reddere. quod conabimur, discurrendo per contrarias comparationes circa omnia illa bona, quæ primo gradu retulimus. Luc. 14. 10.

Quatuor documenta generalia, ne quis se efferat super alios.

SECTIO XXVI.

De bonis animæ, corporis, alijsque, quæ hominem inducunt vt 8. 1. sect. 35. 36. 37.

vt in seipso absque respectu ad alios superbiat, loquutus sum supra & ostendi, qualiter ob illa ipsa bona aliquis sub potenti Dei manu se humiliare debeat; nunc de ijsdem mihi discurrendum & differendum est, quatenus eundem hominem, qui ea possidet inflectere possunt, ne conferendo se cum alijs, ijsdem sese præferat. Hoc vt rectè assequar in medium aliqua tum generalia, tum particularia documenta adferenda sunt. Generalium I. desumitur ex primo gradu, vbi ostensum est, neminem debere, nec posse in se gloriari de bonis, quæ Deus ei elargitus est. ex quo intelligitur quòd longè minus debeat, aut possit efferre se supra alios:
Gradu 1. sect. 33. 32. multò enim maior arrogantia est extollere se supra alios, quàm solùm in seipso.

II. in eodem gradu notatum [& sæpius repeti debet] est perpendere, quòd quò aliquis magis abundat bonis suprà dictis, eò etiam maior ei incumbat obligatio aduersus datorem Deum, ac proinde ratio maior se alijs submittendi. Nemo enim reperietur,
Quo quis plura ac- nisi demens sit, qui, cùm intelligat se maiore

maiore cæteris ære alieno grauatum, supra illos se extollat, & non potius humiliter submittat, suum statum recognoscens. Is qui vnum debet millionem auri, nec possidet centum aureos ad soluendum, gloriabiturné & insolenter se extollet supra eum, qui centum solùm debet solidos? Hoc quisquis facit, quis dubitet eum à sua stultitia & superbia prorsus esse excœcatum?

cepit beneficia, eo magis debet se humiliare.

III. est mentis oculos conijcere in eos, qui æquè magnâ, ac fors etiam maiori bonorum omnium affluentiâ, ac nos, olim abundarunt, neque ob ea alijs se prætulerunt, sed intra suam stationem se continentes, sanctam humilitatem coluerũt. Tales fuêre Abraham, Moyses, Iosue, Dauid, & alij excellentes non pauci in lege veteri; qui cùm magni essent ingenio, magni opibus, magni scientiâ, magni fortitudine, magni denique dignitate, & alijs Dei donis; tamen nulli se præferebant. Conijce item oculos in funestum & deplorandum exitum nonnullorum, qui nobilissimis Dei donis abusi ad superbiam & contemptum aliorum, tandem

Magni & diuites, humiles.

Superborum mar[...]

lus exitus. tandem fine miserabili fœnus & capitale temeritatis suæ carè persoluerunt. Qualis Absolon, qualis Herodes, aliique similes fuerunt.

Bona huius mundi sine humilitate nihil sunt. IV. est, quòd omnia huius mundi bona, absque humilitate sint vel nihil, vel aliquid deterius quàm ipsum nihil. causa est, quia veræ lætitiæ, vero honori, veræque felicitati vitæ futuræ sunt impedimento. Quin imò & quieti, quæ haberi, aut sperari potest in hac mortalitate (in qua pleraq; omnia mille spinarum aculeis, mille solicitudinum cruciatibus ita sunt intercepta, vt neque mens satiari, neque vel ad breue temporis spatium pace frui possit) officiunt. Quæ res omni quidem consideratione digna est, sed ad eam stulti pertingere nequeunt, esto quotidie illam suo dolore experiantur.

Nullus contentus est rebus præsentis vitæ. Quis vnquàm in hac mortali vita, vel potius morte vitali vidit hominem suis possessionibus, suis diuitijs, suis honoribus alijsque Dei donis plenè acquiescentem? quî ergo, possidendo hæc animo inquieto, acquiri poterit perfectio? quî immortalitatis gloria? Côcludo hanc sectionem, & dico cum stultum

stultum esse, qui se alijs præfert, qui superbit ob res nullius momenti: nec qualemcunq; stultum, sed longè stultiorem pygmeo, qui supponens pedibus suis vnicum chartæ folium, se gigantem aliquem, & quouis etiam procero homine longiorem existimaret. Hæc de omnibus bonis in COMMVNI habeto Lector documenta; accipito nunc alia particularia de vnoquoque SINGILLATIM.

Prou. 71: chil. 7. cent. 6. Optat ephippia bos: optat arare caballus. Horat.

Cui, & quomodo, quis se compare debeat, vt illo, cui se comparat, minoris se faciat: in specie autem quoad ingenium.

SECTIO XXVII.

VT iuxta artem perpoliamus hunc secundum humilitatis gradum, & superbiæ destruamus, veniendum est ad singulares comparationes. ac I. omnium sumendum initium à bonis animæ, quæ diximus supra esse bonum intellectum, solers iudicium, & fidelem memoriam. Superbi ex his donis tam in secundo, quàm primo gradu multum

I. grad. sect. 40. 41. 42. De bono ingenio, bono iudicio, &

bona memoria. multùm detrimenti, nihil emolumenti ad animam suam referunt; in illo enim dicta animi bona considerantes in se, de se magnos concipiunt spiritus; in hoc autem se super alios extollentes ijs abutuntur. quia primò non vt deberent perpendunt maximam debilitatem, quæ inest intellectui humano, sed tantum id, quod se habere præsumunt. Et per hoc præconceptam de se magnitudinem & excellentiam se supra alios attollere conantur. Deinde ad eos solùm se conuertunt, quos ingenium humile & vulgare habere existimant: quorum respectu magnos se credunt. in quo sat clarè socordiam & absurditatem suam patefaciunt. Quid enim laude dignum est habere plus ingenij, quàm multi stupidi? contrà, humiles & sapientes, vt in humilitatis virtute progressus faciant, duo perpendunt: Primò capacitatem talium donorum, quæ non magni sunt momenti, vt dictum est gradu primo; Deinde eos, qui sunt nunc, aut fuerunt olim eximij in dictis donis. Hæc duo, si rectè perpendantur, efficacia duo exhibebunt media, vt quis se intra humilitatis

litatis limites contineat, omittatque comparationes, quæ hominiel atos pariunt spiritus. Et ideo vir prudens inprimis, animo reuoluat accuratè, quæ dicta sunt gradu primo, sectione 40. illisque iungat, quod sapienter moralis Philosophus Seneca adnotauit: nempe NVLLVM MAGNVM INGENIVM EXISTERE ABSQVE MIXTVRA STVLTITIÆ. si hoc (quod est verissimum) is, qui plus æquo suo tribuit ingenio, sibi bene impresserit, mihi crede nimiùm expansa suarum cogitationum vela contrahet, & alijs se præferre desinet, sibique persuadebit, si præ illis abundet spiritu, consequens esse, vt, malo suo, etiam venis stultitiæ & qualitatibus terreis abundet. Et si id non aduertit, ex ingenij debilitate, quod supra modum æstimat, accidit.

Grad. 1. sect. 40.

Seneca lib. de tranq. animæ ad finem nullum bonum ingenium absque mixtura stultitiæ.

II. in memoriam reuocet eos, qui absque vlla contradictione, ingenij bonitate excellentiores fuerunt, quàm vel vnquam ipse sperare audeat. Videat an Iulij Cæsaris habeat acumen ingenij, quod ita viuax & capax fuit, teste Plinio, vt omnes omnino res, quæ cælorum aspectui subijciuntur, statim

Ingenium Iulij Cæsaris. Plin. l. 7. c. 26.

intellectu consequeretur; ita promptum & actuosum vt ignis videretur. Cur illud solenne & ordinarium fuit, eodem temporis momento legere, scribere, dictare, & aduenientes legatos audire. Quod est res quatuor simul diuersas, imò propè inter se pugnantes facere. Quatuor secretarijs simul & semel diuersa dictabat, & hoc in negotijs suis, id est maximi momenti. Et quando alijs rebus minus distrahebatur, absque vlla confusione rerum, septem dictabat. Videat an similis sit Origeni, qui quatuordecim scribis diuersa dictabat, & quæcunque eius menti obijciebantur, statim ingenij sui acumine penetrabat. Hos quisquis supra alios se efferre nititur prius consideret; his se comparet, & videat an tam eminenti, atq; illi fuêre, præditus sit ingenio. Equidem sic statuo eum, si aliquid iudicij & conscientiæ habeat, se tali præditum esse, negaturum. Quòd si ergo ingenij sui vim vix se ad vnam Epistolam rectè concipiendam, aut dictandam extendere intelligit, tamné erit effrons, vt se, ob illud exiguum talentum, alijs præferre non vereatur? sed

Vide Baro. in eius vita.

demus

demus illum, vim & capacitatem Cæsaris ac Origenis simul habere, nonné si eorum consideràrit sortem, aduertet se à suo ingenio non conseruatum iri, quò minus omnis infortunij turbo eum abripiat, sicut & eos miserrimè abripuit? imò salutari timore concussus, si sapit, eò magis se humiliabit. maximè vbi perpenderit PRIMVM illorum suo cum excellenti ingenio sub inferni tormentis, ob malum quæ habuit vsum talentorum, in omnes æternitates ingemiscere, pœnitentiamque sine fructu agere; alterum verò ob altos nimis, occasione præstantis ingenij, aliarumque animi dotium assumptos spiritus, in nefandas hæreses incidisse, dubiumque posteris reliquisse, an eas retractàrit, an ita seriò se ad Deum conuerterit, vt salutem consequi potuerit. Ecquis ergo tantis pœnis ac periculis ob oculos mentis positis volet ingenium habere, quo se supra alios possit extollere? Vir sapiens prætet has considerationes iam allatas, consideret insuper eos, qui præstantiâ ingenij longè eum post se reliquerunt; Homerum verbi gratiâ, quem Rex Ale-

Infortunium damnatorum.

Aug. Epist. 9. ad Hieron. tom. 2. L 11. de ciuit. Dei c. 23.

strinam sibi esse superiores; quando inferiora ex animo seruiunt, & inde non norunt superbire; quando pauper honorat diuitem, & diues gaudet eum sibi habere parem. Ad hos duos accedit tertius, D. Bernardus qui in Canticis his verbis rem ante oculos

S. Bern. ponit: *non est periculum quantumcunq; te humilies, quantumcunq; reputes minorem quam sis, hoc est, quam te veritas habeat. Est autem grande malum, horrendumq; periculum, si vel modicè plus vero te extollas, si vel vni videlicet in tua cogitatione te praeferas, quem forte tibi parem veritas iudicat, aut etiam superiorem. Quemadmodum enim si per ostium transeas, cuius superliminare nimium demissum sit, non nocet quantumcunque te inclinaueris, nocet autem, si vel transuersi digiti spatio plus, quam ostij patitur mensura, erexeris, ita vt impingas, & capite quassato colliaris: sic in anima non est plane timenda quantalibet humiliatio, horrenda autem, nimiumq; pauenda, vel minima temerè praesumpta euectio. Quamobrem noli te homo comparare maioribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli vni. Quid scis enim ô homo, si vnus ille quem forte omnium vilissimum, atq; miserrimum reputas, cuius vitam sceleratissimam ac singulariter foedissimam*

fœdissimam horres, & propterea illum putas spernendum, non modo præ te (qui forte iam sobriè & iustè & piè viuere te confidis) sed etiam præ cæteris omnibus sceleratis, tanquam omnium sceleratissimum; quid scis inquam si melior & te & illis, mutatione dexteræ excelsi, in se quidem futurus sit, in Deo verò iam sit? Et propterea non mediocrem, vel non penultimum, non ipsum saltem inter nouissimos eligere locum voluit, sed recumbe, inquit, in nouissimo loco. Hoc modo se habet humilitas erga alios; Verùm quia superbia incredibilem suis in comparationibus percipit voluptatem, & gustum, non erit abs re vnà cum cibis illum vel prorsus tollere, vel saltem obtusiorem reddere. quod conabimur discurrendo per contrarias comparationes circa omnia illa bona, quæ primo gradu retulimus.

Luc. 14. 10.

Quatuor documenta generalia, ne quis se efferat super alios.

SECTIO XXVI.

DE bonis animæ, corporis, aliisque, quæ hominem inducunt vt

S. 1. sect. 35. 36. 37.

vt in seipso absque respectu ad alios superbiat, loquutus sum supra & ostendi, qualiter ob illa ipsa bona aliquis sub potenti Dei manu se humiliare debeat; nunc de ijsdem mihi discurrendum & differendum est, quatenus eundem hominem, qui ea possidet inflectere possunt, ne conferendo se cum alijs, ijsdem sese præferat. Hoc vt rectè assequar in medium aliqua tum generalia, tum particularia documenta adferenda sunt. Generalium I. desumitur ex primo gradu, vbi ostensum est, neminem debere, nec posse in se gloriari de bonis, quæ Deus ei elargitus est. ex quo intelligitur quòd longè minus debeat, aut possit efferre se supra alios:
Gradu 1. sect. 33. 32. multò enim maior arrogantia est extollere se supra alios, quàm solùm in seipso.

II. in eodem gradu notatum [& sæpius repeti debet] est perpendere, quòd quò aliquis magis abundat bonis suprà dictis, eò etiam maior ei incumbat obligatio aduersus datorem Deum, ac proinde ratio maior se alijs
Quo quis plura se- submittendi. Nemo enim reperietur, nisi demens sit, qui, cùm intelligat se maiore

maiore cæteris ære alieno grauatum, supra illos se extollat, & non potius humiliter submittat, suum statum recognoscens. Is qui vnum debet millionem auri, nec possidet centum aureos ad soluendum, gloriabiturne & insolenter se extollet supra eum, qui centum solùm debet solidos? Hoc quisquis facit, quis dubitet eum à sua stultitia & superbia prorsus esse excœcatum? cepit beneficia, eo magis debet se humiliare.

III. est mentis oculos conijcere in eos, qui æquè magnâ, ac fors etiam maiori bonorum omnium affluentiâ, ac nos, olim abundarunt, neque ob ea alijs se prætulerunt, sed intra suam stationem se continentes, sanctam humilitatem coluerũt. Tales fuêre Abraham, Moyses, Iosue, Dauid, & alij excellentes non pauci in lege veteri; qui cùm magni essent ingenio, magni opibus, magni scientiâ, magni fortitudine, magni denique dignitate, & alijs Dei donis; tamen nulli se præferebant. Conijce item oculos in funestum & deplorandum exitum nonnullorum, qui nobilissimis Dei donis abusi ad superbiam & contemptum aliorum, tandem Magni & diuites, humiles. Superborum mor-

tus exitus. tandem fine miserabili fœnus & capitale temeritatis suæ carè persoluerunt. Qualis Absolon, qualis Herodes, aliiq́ue similes fuerunt.

Bona huius mundi sine humilitate nihil sunt. IV. est, quòd omnia huius mundi bona, absque humilitate sint vel nihil, vel aliquid deterius quàm ipsum nihil. causa est, quia veræ lætitiæ, vero honori, veræque felicitati vitæ futuræ sunt impedimento. Quin imò & quieti, quæ haberi, aut sperari potest in hac mortalitate (in qua pleraq; omnia mille spinarum aculeis, mille solicitudinum cruciatibus ita sunt intercepta, vt neque mens satiari, neque vel ad breue temporis spatium pace frui possit) officiunt. Quæ res omni quidem consideratione digna est, sed ad eam stulti pertingere nequeunt, esto quotidie illam suo dolore experiantur. Nullus contentus est rebus præsentis vitæ. Quis vnquam in hac mortali vita, vel potius morte vitali vidit hominem suis possessionibus, suis diuitijs, suis honoribus alijsque Dei donis plenè acquiescentem? qui ergo, possidendo hæc animo inquieto, acquiri potest perfectio? qui immortalitatis gloria? Cóncludo hanc sectionem, & dico cum

stultum

stultum esse, qui se alijs præfert, qui superbit ob res nullius momenti: nec qualemcunq; stultum, sed longè stultiorem pygmeo, qui supponens pedibus suis vnicum chartæ folium, se gigantem aliquem, & quouis etiam procero homine longiorem existimaret. Hæc de omnibus bonis in COMMVNI habeto Lector documenta; accipito nunc alia particularia de vnoquoque SINGILLATIM. Prou. 71. chil. 7. cent. 6. Optat ephippia bos, optat arare caballus. Horat.

Cui, & quomodo, quis se compare debeat, vt illo, cui se comparat, minoris se faciat: in specie autem quoad ingenium.

SECTIO XXVII.

VT iuxta artem perpoliamus hunc secundum humilitatis gradum, & superbiæ destruamus, veniendum est ad singulares comparationes. ac I. omnium sumendum initium à bonis animæ, quæ diximus supra esse bonum intellectum, solers iudicium, & fidelem memoriam. Superbi ex his donis tam in secundo, quàm primo gradu multùm I. grad. sect. 40. 41. 42. De bono ingenio, bono iudicio, &

bona me- multùm detrimenti, nihil emolumenti
moria. ad animam suam referunt; in illo enim dicta animi bona considerantes in se, de se magnos concipiunt spiritus; in hoc autem se super alios extollentes ijs abutuntur. quia primò non vt deberent perpendunt maximam debilitatem, quæ inest intellectui humano, sed tantum id, quod se habere præsumunt. Et per hoc præconceptam de se magnitudinem & excellentiam se supra alios attollere conantur. Deinde ad eos solùm se conuertunt, quos ingenium humile & vulgare habere existimant: quorum respectu magnos se credunt. in quo sat clarè socordiam & absurditatem suam patefaciunt. Quid enim laude dignum est habere plus ingenij, quàm multi stupidi? contrà, humiles & sapientes, vt in humilitatis virtute progressus faciant, duo perpendunt: Primò capacitatem talium donorum, quæ non magni sunt momenti, vt dictum est gradu primo; Deinde eos, qui sunt nunc, aut fuerunt olim eximij in dictis donis. Hæc duo, si rectè perpendantur, efficacia duo exhibebunt media, vt quis se intra humilitatis

litatis limites contineat, omittatque comparationes, quæ hominielatos pariunt spiritus. Et ideo vir prudens inprimis, animo reuoluat accuratè, quæ dicta sunt gradu primo, sectione 40. illisque iungat, quod sapienter moralis Philosophus Seneca adnotauit: nempe NVLLVM MAGNVM INGENIVM EXISTERE ABSQVE MIXTVRA STVLTITIÆ. si hoc (quod est verissimum) is, qui plus æquo suo tribuit ingenio, sibi bene impresserit, mihi crede nimiùm expansa suarum cogitationum vela contrahet, & alijs se præferre desinet, sibique persuadebit, si præ illis abundet spiritu, consequens esse, vt, malo suo, etiam venis stultitiæ & qualitatibus terreis abundet. Et si id non aduertit, ex ingenij debilitate, quod supra modum æstimat, accidit.

Grad. 1. sect. 40.

Seneca lib. de tranq. animæ ad finem nullum bonum ingenium absque mixtura stultitiæ.

II. in memoriam reuocet eos, qui absque vlla contradictione, ingenij bonitate excellentiores fuerunt, quàm vel vnquam ipse sperare audeat. Videat an Iulij Cæsaris habeat acumen ingenij, quod ita viuax & capax fuit, teste Plinio, vt omnes omnino res, quæ cælorum aspectui subijciuntur, statim

Ingenium Iulij Cæsaris. Plin. l. 7. c. 26.

intellectu consequeretur; ita promptum & actuosum vt ignis videretur. Cur illud solenne & ordinarium fuit, eodem temporis momento legere, scribere, dictare, & aduenientes legatos audire. Quod est res quatuor simul diuersas, imò propè inter se pugnantes facere. Quatuor secretarijs simul & semel diuersa dictabat, & hoc in negotijs suis, id est maximi momenti. Et quando alijs rebus minus distrahebatur, absque vlla confusione rerum, septem dictabat. Videat an similis sit Origeni, qui quatuordecim scribis diuersa dictabat, & quæcunque eius menti obijciebantur, statim ingenij sui acumine penetrabat. Hos quisquis supra alios se efferre nititur prius consideret; his se comparet, & videat an tam eminenti, atq; illi fuêre, præditus sit ingenio. Equidem sic statuo eum, si aliquid iudicij & conscientiæ habeat, se tali præditum esse, negaturum. Quòd si ergo ingenij sui vim vix se ad vnam Epistolam rectè concipiendam, aut dictandam extendere intelligit, tamné erit effrons, vt se, ob illud exiguum talentum, alijs præferre non vereatur? sed demus

Vide Baro. in eius vita.

demus illum, vim & capacitatem Cæsaris ac Origenis simul habere, nonnè si eorum considerârit sortem, aduertet se à suo ingenio non conseruatum iri, quò minus omnis infortunij turbo eum abripiat, sicut & eos miserrimè abripuit? imò salutari timore concussus, si sapit, eò magis se humiliabit. maximè vbi perpenderit PRIMVM illorum suo cum excellenti ingenio sub inferni tormentis, ob malum quæ habuit vsum talentorum, in omnes æternitates ingemiscere, pœnitentiamque sine fructu agere; alterum verò ob altos nimis, occasione præstantis ingenij, aliarumque animi dotium assumptos spiritus, in nefandas hæreses incidisse, dubiumque posteris reliquisse, an eas retractârit, an ita seriò se ad Deum conuerterit, vt salutem consequi potuerit. Ecquis ergo tantis pœnis ac periculis ob oculos mentis positis volet ingenium habere, quo se supra alios possit extollere? Vir sapiens præter has considerationes iam allatas, consideret insuper eos, qui præstantiâ ingenij longè eum post se reliquerunt; Homerum verbi gratiâ, quem Rex Alexander

Infortunium damnatorum. Aug. Epist. 9. ad Hieron. tom. 2. L. 11. de ciuit. Dei c. 23.

Excellentia ingenii. xander propter ingenij acumen pluris faciebat, quàm vnum Regnum; Archilocum, Aristotelem, Euclidem, Archimedem: quorum in pulcherrimis operibus admirandum sese ostentat ingenium. Consideret propè innumeros artium ac scientiarum inuentores; & si pollet ingenio, aduertet quòd non solùm non habeat argumentum superbiendi, & alijs se præferendi; sed contrà, coram illis humiliandi, & vix minimum ex illis se numerandi. consideret, quod ante dictum est, nempe vim & energiam ingenij dæmonum, qui, quia toti quanti sunt, constant spiritu & ingenio, spiritus nuncupantur. quorum minimi ingenij præstantia, non tantum mentis tuæ acumine, sed etiam omnium humanarum mentium simul sumptarum longè est excellentior. qui nihilominus ob suam superbiam dæmones sunt detestabiles, & æternùm tales manebunt.

Grad. I. sect. 49. Ingenia Dæmonum acuta.

Velim etiam illi veniant in mentem boni Angeli, qui cùm longè nobiliores & excellentiores sint ingenij viuacitate, quàm dæmones (& hoc propter diuinæ gratiæ assistentiam in qua sunt

ſunt confirmati) nihilominus ſunt humillimi; nec illorum cuipiam, vel ex eodem, vel ex diuerſo ordine venit in mentem, vt ſuper alium ſe extollat: ſed ne ſuper hominem quidem, naturâ & conditione toto cælo diſtantem ſe vllus extollit. His ſalutaribus comparationibus addiſcet homo ad ſuperbiam procliuis ſe humiliare, & nunquam per alias quaſcunque ineptas & nociuas comparationes mortalium alicui ſe anteferre.

Acutiora tamen Angelorum.

Nemo debet alteri ſe præferre propter iudicium & prudentiam naturalem.

SECTIO XXVIII.

SI quis ſecundum animæ ornamentum, quod gradu primo BONVM IVDICIVM, prudentiam, ſapientiamúe naturalem nuncupauimus, à Deo ſit conſequutus, vtatur documentis quæ eodem gradu (cauentes ei ne, in ſe ipſo inflaretur) attulimus: & diſcat non pluris ſe facere ſuo proximo multò minus ſe inter alios primum & princi-

Grad. 1. ſect. 41.

principem existimare: sed se infra omnes, qui eum isto Dei dono superârunt, & nunc etiam plurimùm superant, humiliare, omniumq; minimum se credere. Perpendat etiam quod eodem gradu annotauimus, nimirum facta facile, vt capax & magnum illius iudicium in magnam conuertatur insaniam, interueniente aliquo inopinato casu. Quo dato, domicilium aliud ei non assignabitur quàm hospitale eorum, qui è loco motum habent cerebrum, quique Romæ per plateas incedentes viridem gestant pileolum. Quod si adhuc leues & inflati spiritus eum supra alios eleuare pergant, sapientibus se comparet, videatque an aliquando futurum sit, vt prudentiâ Catonibus, Scipionibus, Æmilijs, Fabricijs, alijsque olim in Imperio Romano oraculis æqualis iudicetur; anq; ijs qui Respublicas instituerunt, easdemque sanctissimis legibus ad benè beateq; viuendum stabiliuerunt; quales fuêre Plato, Solon, Lycurgus, alijq; similes dono iudicij ac prudentiæ prorsus singulares, comparandus sit. Videat insuper quanti Reges & Principes

Pazzarelli Romani cum viridi pileo.

in

in omni humana politia pulcherrimorum, numeroque plurimorum operum extiterunt auctores, siue saluberrimas leges condendo, siue Magistratûs & gubernacula sapientissime instituendo. Quorum Maiestatem aut varietatem, qui æmulari audebit, cum sibi conscius sit, quòd ne ordinem quidem & varietatem ferculorum alicuius lautioris conuiuij constituere valeat? Tamné reconditâ sapientiâ & profundâ prudentiâ erit, vt vocari possit octauus Græciæ sapientum? tamné subtilis Philosophus erit atque fuêre illi, qui in cogitationibus suis euanuerunt, quique *putabant se sapientes, & stulti facti sunt*? Accedetné vnquam vel à longè ad iudicium & prudentiam Salomonis, in cuius anima omnes omnium legum tam naturalium, quàm humanarum ad bene iusteque gubernandum, bonumque discernendum à malo, indices repositi erant? Nonné fluenta sapientiæ eius fœminæ exsiccarunt? & clarum instar solis intellectum peccati tenebris perfuderunt? statumque mentis eius euerterunt? vt dictum est suprà tum de eo, tum de alijs, qui diuersis acci-

Septem sapientes Græciæ.

Rom. 1. 22.

Salomon admirandæ fuit prudentiæ 3. Reg. 3. 24. 28. G. 1. s. 41. G. 6. s. 14.

dentibus dementes facti sunt. Hoc vnicum Salomonis exemplum sufficiens esse deberet frenum ad continendum hominem sapientem in timore & modestia, & ad ei persuadendum, quòd si Salomon occasione mulierum ad mentis insaniam redactus est, & vilior eo in genere redditus omnibus suis subditis, procliuius sit vt ille per superbiam (quæ mater & origo est omnis stultitiæ) ad eandem dementiam deueniat: quæ eum dubio procul ex alto mentis, quem sibi fabricat, statu deturbabit, & infra omnes eos, quibus se superiorem existimat, tumulabit.

Stultitia eorum, qui ob præstantem memoriam alijs se præferunt.

SECTIO XXIX.

NE quis ob præstantiorem memoriam alijs se præferat, eosdemq; contemnat, adhibeat remedia, quæ annotata sunt gradu primo ad inijciendum ijs frenum, qui postpositis alijs, primos se constituunt; adhibeat insuper comparationes eorum,

G. 1. sect. 42.

 qui

qui absque controuersia illum dono memoriæ infinitis passibus præeunt. Consideret an sua memoria tam bona & fidelis sit, atque fuit Regis Mithridatis, qui viginti duas linguas, proprias viginti duarum nationum exactè callebat, perorabat coram suis subditis, & eisdem in proprijs & naturalibus eorum linguis iura dabat. Arguit hæc cognitio diuersarum linguarum, memoriam extraordinariam, nec minus firmam & capacem atque fuit Cyri Regis, qui vnumquemque militum sui exercitûs, constantis centum hominum millibus, singillatim nominabat. Fuit & præclara Cyneæ Thessalonitæ memoria, qui cùm Romam à Pyrrho ablegatus venisset, secundo die, quo Romæ senatum intrauit, vniuscuiusq; Senatorum & equitum, qui vltra bis mille numerabantur, nomen & cognomen iuxta cuiusque ordinem & dignitatem pronunciabat. Ad horum memoriam proximè accedebat Neronis, qui omnes Romanos nominatim salutabat; nec inferior fuit Senecæ Philosophi, qui duo nominum millia, eodem ordine, quo erant recitata, è vestigio

Mitridates Rex Ponti. Plin. lib. 7. c. 24. l. 25. c. 1. Plut. in Lucul. Solon. c. 7. Gell. lib. 17. c. 17. Val. Max. l. 8. c. 7. G. 1. sect. 54.

Cyrus Rex Persarum Plin. l. 7. c. 24. Val. l. 8. c. 7.

Cyneas Plut. in Pyrrho. Plin. ibid. Cic. 1. Tuscul. vbi de Simonidis & Theodori memoria fit mentio.

stigio

stigio reddebat, & ducentos versus per ducentos scholares pronunciatos recessim protinus referebat. Has omnes memorias superasse videtur Theodori Metochitæ, qui in cellulis suæ memoriæ, tanquam in firmissimis custodijs quæcunque aut legisset, aut audisset, clausa tenebat. Et, vt dicit Gregoras fecerat viuam bibliothecam in suo capite & pectore. Age quisquis de tua triumphas memoria, si ea horum, quos nominaui & nominare possem, es infirmior, quid de ea gloriaris, quid ob eam alios contemnis? sed præter allata exempla audi ratiocinationem non absque ratione tibi propositam, quæ tuam superbiam, modo eam penetrare valeas, fors non ineptè dedolabit: *tua memoria vel vacua & inanis est, aut plena; si vacua, ideóne dominium in alios tibi deberi contendis, quia amplam habes cellam vinariam, sed absq; vino: aut granarium capacissimum quidem, sed nudum ab omni frumenti genere; aut demum maximam tabernam seu officinam sed forsitan mercibus nudam? si tamen plena est, vel bonis rebus, vel malis plena est, si bonis, vt praclaris documentis, salutaribus legibus, probatis exemplis,*

βιβλιοθήκη ἔμψυχος καὶ περιπατοῦν μουσεῖον.

exemplis, pulchris sententiis &c. laudem meretur talis memoria, non propter suam capacitatem, sed propter res quas sinu suo complectitur, sicut cadus æstimatur, quia bonum continet vinum, granarium propter frumentum in eo repositum, officina propter pretiosas merces. Cur ergo insolescens contemnis alios ob memoriæ capacitatem, quæ ex se aliud non est, quam domus quædam quatuor parietibus circumdata? quod si malis rebus sit repleta, occasionem exhibet, vt te humilies & submittas omnibus, simulq́; vt discas artem earum rerum obliniscendi (vt diximus supra de Themistocle) atq́; exonerandi te pondere tuarum sordium. Grad. 1. sect. 41. *Si gloriaris de tali memoria, taliq́; onere, & in tuo cerebro ratione vacuo sinis vagari opinionem, qua te effers super alios, vt illis sublimior, nonné similis es hydropico iactanti se ob corpus turgidum, & crepans propter pessimos, &, vt medici loquuntur, peccantes humores, quibus caret proximus tuus, quem despicis.* Viden' ergo, amice, quod ex nulla omnino causa rationi consentaneâ, possis te vlli præferre? præsertim si memoriâ retines, quæ superius diximus, nempe exiguâ infirmitate, aut alio leui casu memoriam perdi posse?

Nullus

Nullus alteri se debet praeferre propter suam scientiam.

SECTIO XXX.

G. 1. f. 43. 44. 45. 46. 47. 49. QVi meminerit eorum, quæ gradu primo de exiguitate, vanitate, & nullitate scientiarum huius vitæ allata sunt, ne homo in se ipso de ijs sibi blandiretur, facile ex ijsdem addiscet, se super alios non exaltare, neque ex sua concha exitum maturare ad ostendenda ijs sua cornua, cùm in se nihil habeat, quo se præferat nisi suum nihil, seu stylibaten minimæ altitudinis, quâ se exaltet & ostentet, & cùm domum suam nôrit esse domicilium egestatis, quomodo, si aliquali præditus est sapientiâ, præsumet ex ea prodire, vt comparatione cuiuscunque, etiam pauperrimi, diuitem se arbitretur. Didicerit etiam eodem gradu mortalium scientiam iustâ rationis bilance ponderatam, & ad lydium, vt aiunt, lapidem examinatam, nihil aliud esse, quàm saccum dubitationibus, disputationibus, atq; ignorantijs plenum,

aum, verissimumque esse, quod dixit sapiens: *mundum tradidit*, Deus, *disputa-tioni ipsorum, vt non inueniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio vsque in finem. Di-sputationi*, inquit, *non scientiæ tradidit*, vt dubitetur quidem, & disputetur, non autem vt sciatur. Vt quid ergo homo sciolus se vult alijs præferre propter suam scientiam, vel propter rem nihili? reiteret sæpe sæpius hanc consideratio-nem, & attentè voluat & reuoluat in animo suo, ad deprehendendam ma-teriam huic gradui propriam. Videat quomodo non pauci homines, qui ab alijs docti & habentur & nuncupantur, inter se tum conferendo coram, tum libros scribendo, inter se disputent & digladientur. Philosophi aduersus Philosophos, Medici aduersus Medicos, Mathematici aduersus Mathematicos, Iureconsulti aduersus Iureconsultos. & quod ij doctissimi iudicentur, qui profundiùs ratiocinando in tenebris ignorantiæ acumina ingeniorum suorum demergunt, & partem aduersam dispu-tando grauius premunt. Quin & Theologi nostri in rebus adiaphoris, & non determinatis de fide, sua habent stadia

Hanc occupationem pessimam dedit Deus filijs hominum. Eccl. 1. 13. & c. 3. vidi afflictionem quam dedit Deus.

Disputationes Theologorum.

& curricula, sua latibula & labyrinthos, faciunt suos assultus & congressus non secus atque alij: Quin Paradisus, Infernus, Purgatorium extent, quin sit Ecclesia vna, in eaque septem sint Sacramenta, & aliæ veritates auctoritate diuina determinatæ, quæ fidelibus Christianis sunt certissimæ, nullo modo in dubium reuocantur, sed his non obstantibus de subiecto, de partibus, de œconomia suæ scientiæ disputationes & dissensiones habent inter se absque charitatis & fidei læsione. Thomistæ sua præsidia & tormenta habent in vna schola; Scotistæ in alia, & quilibet existimat se fortius munitum, melioribusque niti argumentis, quàm partem aduersam. Et Deus, qui homini optima quæq; optat, sinit vt disceptent inter se, & disceptando ac dubitando atque ignorando discant humilitatem. Interfui persæpe disputationibus, in ijsque diuersas quæstiones inter se subtiliter conferri audiui, & cùm inter cæteras, cum magno disputationis feruore audirem de Angelorum natura, deque eorum actionibus disceptari, bonos Angelos ad-

Thomistæ. Scotistæ,

Boni Angeli mise-

esse

esse præsentes mihi imaginatus sum, qui fortassis suo ridebant modo, & comiseratione mouebantur erga eos, qui de eorum essentia, de modo quo intelligunt, quo loquuntur, & quo agunt, fors aliter longè statuebant, quàm rei veritas postulabat? imaginabar & dæmones contemptibiliter & fastuosè ridentes, dum viderent disputantes, magno feruore in sua ignorantia congredientes, maximè si quos in illa ipsa ignorantia sua aduertebant vento superbiæ inflari. Demus superbum aliquem & naris emunctioris è disputantibus aliquo dilemmate & cornuto, vt vocant, syllogismo, eos qui maximè acutos se reputabant, cogere ad herbam porrigendam, ad victas manus dandas, ideone ex aliorum sorte se eximens, aliquid se æstimabit, seq; ijs anteponet? in quo obsecro eos præit nisi in subtilitate, vel potius in tenebrarum densitate? in quo, nisi in alterius, qui ei respondere nequit, triumphat ignorantiâ, & vanâ opinione propriæ scientiæ, quæ in veritate rei non est, nisi quædam mixtura aggregatarum ignorantiarum?

[Margin: ...tentur nostri dum disputamus de rebus quas non intelligimus.]

[Margin: Dæmones autem nos irrident.]

Magna

Magna vanitas aliis se anteferre propter eloquentiam.

SECTIO XXXI.

G. 1. s. 52. 53. 54. 55. 56.

IIi, de quorum eloquentia apud homines magna habetur opinio, dum prodeunt in publicum magnâ Auditorum catervâ stipati, sua eos functio ad prælationem, & in alios dominium videtur inuitare: quandoquidem ex exedris & altioribus pulpitis, vt superiores ad eos verba faciunt. Qui si habeant cerebrum perforatum, omnibus omnino sensibus hauriunt ventum, & absq; vllâ mensurâ aquam vanitatis, in eamque eousque se immergunt, vt desperatâ emergendi spe, naufragium & honoris & salutis faciant. Ij autem, quibus cordi est salus, vt humilitatem acquirant, & acquisitam retineant, augeantque, reuoluant oportet considerationes primo gradu hac de re fusè deductas; meminerintq; linguam homini, membrum nobilissimum, ideo datam, vt eâ Deus laudetur, proximoq; in necessitate posito subueniatur.

Lingua data homini ad laudandum Deum. G. 1. s. 41.

subueniatur. Perpendant insuper hominem eloquentem & superbum esse velut mancipium alicuius communitatis, hominem ignauum ac vecordem; similem denique ei, quem expressit Turnus apud Virgilium: *Ei lingua melior, sed frigida dextera bello.* Lib. 11. Æneidos.

Quam multi corporis & animæ iacturam fecerunt propter suam eloquentiam, vel, vt verius dicam, propter suam superbiam & amentiam, à qua induci se siuerunt ad abutendum, causâ vanitatis tam pretioso dono, quo vti debuerant ad Deum laudandum. Abrepti enim aurâ populari, & tracti cornibus suæ arrogantiæ, in omnem proiecti audaciam, insensati, indiserti quicquid in os venit, effutiunt; agunt contra omnes; aggrediuntur omnes ex recto pariter & obliquo. Magnatum æquè ac plebeiorum, vt auditorum auribus deseruiant, famam venalem habent, sibique, nullo delectu habito, inimicitias, quibus postea resistere non valent, consciscunt. Sunt in manibus inuectiuæ Demosthenis in Philippum Macedonum Regem, sui temporis Principum omnium modera- Prou. 47. Chil. 2. cent. 10. Lingua bellare. G. 1. f. 66. Demosthenes & Cicero ob linguam amiserunt

Aa tissimum,

Vitam. Plut. in vitis illorum.

tissimum, virtutisque studiosissimum; sunt & Ciceronis in Antonium, quæ vtrique caro constiterunt: illi quidem, quia cùm iussus esset è templo, ad quod in exilio existens tanquam ad vltimum & sacrum Asylum confugerat, se foras dare, sumpto toxico desperatus seipsum interemit; huic autem, quia deprehensus ab Antonio pœnam imminutionis capitis ferre coactus est. In multis, iuxta rationis dictamen egerunt, in multis etiam passi sunt se vento & vanitate suarum passionum, ac peruersæ, in hoc, eloquentiæ transuersim agi. Vterque fortis & strenuus sermone, sed resistendis persequutionibus impotens. Demosthenes timidus, & impatiens in tolerandis aduersarijs, vt eius exilium, & mors patefecit; mancipium etiam erat auaritiæ, & munerum, quibus accipiendis non minus Rempublicam prodebat, quàm linguâ. Quod ostendit, quando per Harpalum permisit se pecunijs corrumpi, Cicero supramodum erat ambitiosus, leuis, inconstans, nec non pusillanimis in sustinendis & repellendis reflantis fortunæ telis. Nihilominus quia pro Repub. laborantes

Demosthenes auarus.

Cicero ambitiosus.

laborantes (esto magis id fuerit ad acquirendam nominis claritatem amplitudinemque super alios) multa pro communi bono, de virtutibus præclarè dixerunt; quod quærebant, nempè gloriam apud mortales, & excellentiam, ac magni nominis existimationem, ante, & post mortem compensationis & mercedis loco Deus illis elargitus est. Siquidem apud complures populos, & nationes celeberrimi fuerunt, & adhuc hodie sunt. dum eorum nomen ex Cathedris passim detonatur, & per vniuersum orbem vt celeberrimum circumfertur. Si pro honore Dei labores suos suscepissent, cæli gloriam, & non terræ, adepti fuissent, neque in inferno arderent, sed in beatorum domicilio gauderent. Ideoque quicunque Christiano gaudes nomine, siue Prædicator sis, siue Doctor, siue Aduocatus vel cuiuscunque alterius dignitatis sis, atque conditionis, vtere linguâ ad honorem illius, qui tibi illam dedit pro tuo & aliorum bono. caue autem ne ob eam te extollas, aliisque insolenter præferas. Quod si pro maiori tua eloquentiâ, vt Ethnicis, tibi

Gloriam humanam quæsiexrunt, & eam inuenerunt.

Finis Oratoris Christiani in dicendo debet esse Dei gloria.

sat est, in hac vita maior laus humana, nec cures, si in oculis diuinæ Maiestatis, eiusque Angelorum sis miserrimus, & abiectissimus, agnosces aliquando miser, sed prô dolor! nimium serò, te à superbia omni ratione fuisse exutum, qui infeliciter malum pro bono, falsam gloriam pro immortali honore, & præteriens tempus pro æternitate delegeris.

Alia documenta ne quis se alteri præferat ob suam eloquentiam, silentiumq́ esse quandam diuinitatis notam.

SECTIO XXXII.

QVo obsecro argumento, & motiuo in tua cogitatione assumis animos eleuandi te super alios; fors quia promptior es linguâ, quàm semimuti? at tacendi ars, & silentium suis locis & temporibus æquè, vel etiam magis laude digna est, atque loquendi. Adde quod illud minus habeat periculi, plus vtilitatis: nam iuxta prouerbium *est silentij tutum præmium.*

Silentii tutum præmium. Prou. 3. Chil. 3. cent. 5.

experientia

experientia hoc ipsum docet. accedit quòd hominem sapientem sæpe magis deceat tacere, quàm loqui secundum Zenonem Cyprium, Philosophum sui temporis celeberrimum, sapientiæ nomine & probitatis Atheniensibus charissimum. Is, cùm silens conuiuio interfuisset, cui & Legati Regis Persarum, dum à mensa surgitur rogatus à dictis legatis quid Regi vellet suo nomine significatum, Respondit: *dicetis Vestro Regi, vidisse vos Athenis senem, qui scit tacere.* indicabat ergo laudabilius esse scire bene tacere, quàm loqui; quandoquidem bene tacere non cadit nisi in eum, qui semper est sapiens, at verò stultus sæpè loquitur bene. Alius Philosophus eiusdem nominis & patriæ, veritus ne incauto tormentorum acerbitate aliquid in præiudicium sociorum sibi excideret, truncatam dentibus linguam in faciem Tyranni patriæ suæ Demyli expuit. O æterne Deus, quot in Inferno sunt oratores, & eloquentissimi Aduocati, quibus millies magis expediuisset abscissam fuisse linguam, quàm tot mendacia, tot calumnias, tot hæreses & alia nefanda con-

Zenonis silentium. Plutarch. in Symp.

Alius Zenon ne socios cogeretur prodere linguam truncatam expuit. Plut. g. 3. sect. 25.

Taciturnitas Pythagorica.

tra Deum & homines blasphemo ore protulisse, ob quæ flammis inextinguibilibus addicti sunt. Nemini Pythagoreorum licebat in scholis loqui, nisi quinquennali silentio se exercuisset, quasi indicare voluissent neminem ex eloquentiæ fontibus ad sufficientiam bibiturum, nisi silentium pro Magistro & Pædagogo dicti temporis spatio habuerit. Vnde postquàm Homerus Vlyssem vt rarum sapientiæ cultorem ac patronum, sicut & eloquentiæ principem descripsisset, ait eum fuisse TACITVRNVM, innuens neque sapientiam, neq; eloquentiam ad perfectionis apicem vnquam peruenturas fuisse, nisi eas præijsset, silentium. Plus aliquid dico, nempè silentium nescio quid diuinum in se continere, quod edocemur tum
V. Prou. veteri prouerbio quod sic habet: *homo*
3. Chil.3. *à Deo discit tacere, & ab homine loqui*; tum
cent. 5. cæremonijs in sacris & altissimis mysterijs in Domo Dei adhiberi solitis. Hinc
3. Æneid. est illud Virgilianum: *fida silentia sacris.* vt plurimum enim sacrificia summo peragebantur silentio, quasi Deus ipse, qui huiusmodi honores ab hominibus exigebat, eosdem edocere voluisset

sibi tales honores minimè placituros, nisi exhibeantur in silentio. Idem ipse Deus creās vniuersum, & infinitas propemodum è tenebris, & nihilo educens ad lumen nobilissimas creaturas, operaque pulcherrima, paucissima protulit verba: & ea non qualiacunque, sed operosa, & efficientia id, quod sonabant. sed & mundi Saluator, Vnigenitus Dei, verbum Patris, & verbum consubstantiale cùm dignatus fuisset humanos induere artus, ante annum suæ ætatis trigesimum vix aliquid, imò nihil ad patefacienda, & aperienda mortalibus doctrinæ suæ fluenta est loquutus: cùm tamen ipsa esset eloquentia infinitis modis perfectior, quàm vnquam, non dico inter homines, sed vel inter Angelos reperiri possit. In historia totius noui testamenti, excepto cantico (quod ex abundantia consolationis diuinæ protulit) vltra quinque vel sex verba, Virgo gloriosissima, Materque eius dulcissima non legitur protulisse. Ioseph Virginis sponsus, & Christi Pater nutritius, ne vnum quidem. Si quando tibi in mentem venerit te aliquid præ alijs esse, quia præ illis

linguam habes volubilem, & tuo iudicio etiam disertam, cogita quæ dicta sunt supra; cogita quòd si scias loqui, illos scire tacere, & melius operari, quam tu opereris, & quod loquendo operentur bene, tu autem fors male operaris, esto bene loqui videaris: co-
Ad Nepotia. gita insuper melius esse habere *sanctam rusticitatem, quàm eloquentiam peccatricem* vt dixit S. Hieronymus. & si in illa tua insolenti eloquentia perrexeris insolescere, longè miserabiliorem futurum te, quàm sint muti Palatij (vocant Serrail) Imperatoris Turcarum: quia cùm linguâ careant, habent signa oculorum & manuum quibus loquuntur, tu autem neque signa linguæ, neque linguam habebis; ea siquidem, te moriente, pabulum efficietur ignis sempiterni; non secus atque Epulonis Euangelici, qui alium in finem non videba-
Luc. 16. 30. tur viuere, quàm *vt quotidie epularetur splendidè*, loqueretur male, & peius ageret. ideoque peculiari modò in inferno positus, linguâ tanquam instrumento suæ gulæ, sicut & peruersi sermonis, punitur.

De

De Humilitate eorum qui bene scribunt.

SECTIO XXXIII.

QVod gradu primo allatum est de eloquentia eorum qui fœtus suos in lucem edunt calamo, vt quis se apud se conseruet in humilitate, facilè ad humilitatem secundi gradus (quæ est, ne quis ob talentum bene & doctè scribendi, alios, se ijs præferendo, contemnat) applicari potest. Ideóque quisquis sapiet, scriba doctus cautelas ibi allatas ob oculos sibi ponet: Considerabitque ex parte vna sapientiam, & felicitatem eorum qui de virtutibus, & contra vitia ad Dei gloriam, & proximi ædificationem scripserunt; ex altera stultitiam, & miseriam superborum, qui ad celebritatem sui nominis, & non creatoris, scripserunt; & quod longè deterius est de rebus inutilibus, & quod malum auget, perniciosis: proinde qui nunc in inferno, nisi salutaribus lacrymis turpitudinem istam in vita abluerint, cruciantur.

Grad. 1. sect. 55. 56. 57.

Incertitudo iudicij humani. Prou. 10. Chil. 1. cent. 1. Nihil ad Permenonis suem.

Consideret etiam varietatem, & diuersitatem iudicij humani, quod iuxta flantem auram, aut proprij palati gustum animique affectionem & passionem, sæpe quod bonum est, damnat, & quod malum, approbat: item quod ignari, munus scribendi sibi non raro vsurpant, quodque eorum ignorantia litteris consignata maiorē sæpe habeat applausum, quam sapientum & doctorum volumina. Quòd item innumeri scriptores, inepti, impudici, lasciui, hæretici nunc sunt ignis infernalis pabulum, propter sua opera; item quod plurima pulcherrimaq; opera ob edacis temporis conditionem, vel ob incendia, vel inundationes aquarum, aut denique ob alios casus perierunt. Consideret etiam quòd omnes omnino libri, sicut & alia omnia opera interitui obnoxia in supremo iudicij die peribunt; auctores autem eorum pro labore in ijs conficiendis suscepto, aliud non consequentur præmium, quàm bonæ aut malæ voluntatis fructum; Qui enim bene & bona scripserunt ad maiorem Dei gloriam, Reipub. decus & vtilitatem, pro remuneratione sine

Impudici scriptores extorres. Plato l. 3. & 10. de Repub. Cic. l. 2. Tuscul. qq. Ouid. 1. l. de tristibus eleg. 1.

termino

termino felicitatem; qui verò male & malos libros conscripserunt, pro pœna habebunt mortem sempiternam. Qui seriò & attentè hæc perpenderit, habebit argumenta non solum in seipso (non obstante dono bene scribendi) parui se faciendi, sed etiam se neq; meliorem, neque maiorem vllo mortalium existimandi. Ne ergo, ô homo Christiane, decipiaris vanitate tuarum cogitationum, quæ innituntur pulchritudine ac varietate elegantium tuorum operum, tanquam prole formosâ & copiosâ. Possunt enim mori & perire, vt perierunt plurima Salomonis opera, vt mortui vno die septuaginta filij Achab, quibus nihil patrocinata est regalis progenitorum potentia. Conscribito igitur libros Deo gratos, dignos, qui ab eo approbentur, legantur, dignos denique, qui in eius Bibliotheca asseruandi reponantur. Quæ neque vi ignis, neque aquarum exorbitatione absumi, abripiue poterit; in qua indelebilibus, & immortalibus litteris tuum nomen erit consignatum. Ne perditè libros tuos adamaueris, vti simiæ suos fœtus, quos omnium

4. Reg. 10. 1.

Libri vt infantes pereunt.

omnium sub sole creaturarum putant pulcherrimos. Vnde vt plurimùm, nimiùm fouendo, & constringendo suffocant. Ne vnquam opera tua præferas aliorum, neque tuos partus laudes, qui fortè aliud non sunt quàm simioli, creaturæ turpissimæ. Quòd si tu ea iudices pulcherrima, scito id inde prouenire, quòd superbia infascinârit tuum iudicium adinstar simiæ.

Nemo debet alteri se præferre propter suam sanctitatem.

SECTIO XXXIV.

S. Aug. Epist. 56. ad Crescen. & Psal. 58. cant. 2.

PRimi gradûs sectione 59. ex Sancto Augustino, & alijs Doctoribus retulimus vitia alia in malefactis, superbiam autem etiam in benefactis timendam esse. Quod malum habet originem ex natura corrupta, quæ cùm aduertit opus aliquod bonum se fecisse, procliue admodum illi est, vt bonam de se concipiat opinionem, & in cordis secreto superbiat. & vlterius progrediens, eâdem naturâ corruptâ incitante se extollat super alios. Et quia

quia eos suis similia opera efficere posse non putat, contemnit: vt clarum est in Pharisæo, qui orans, se, suaque præ aliorum iactabat opera. Comprimis autem huic vitio subiecti sunt ij, qui prima Christianis virtutibus acquirendis ponunt rudimenta. Quare vt humilitas conseruetur, & tumidè oculi super alios non attollantur, in memoriam reuocanda sunt remedia eodem capite de sanctitate allata: nimirum nullum opus existere bonum nisi in principio sui, in progressu & fine comitem indiuiduam habeat humilitatem, contrà in omnibus formidandam esse superbiam, quia licet videatur exigua, quosquos tamen attingit, destruit, inficit, non secus atque alia metalla admixtum stannum corrumpit: est ea venenum virtutum, & bonorum operum. Et quemadmodum ad deprauandos multos cibos sufficit exigua veneni particula; ita ad peruertenda magno numero bona opera, minima sufficit superbia. Et quamprimùm quis præsumendo de sua sanctitate alijs se præfert, ad hoc inductus à superbia, omni exuitur sanctitate. Age mira in omni bonorum

Luc. 18. 11.

Superbia omnia opera corrumpit, velut stannum alia metalla.

bonorum genere, ieiuna, vigila, ora, abstine, labora, corpus castiga, si in omnibus istis non sis humilis, in omnibus es hypocrita, in omnibus absque sensu, absque intelligentia, & ex consequenti in omnibus & per omnia, omnibus es inferior; quia cùm toxico superbiæ sis infectus, in vanum agis quæcunque agis. Tales erant mali illi Iudæi, qui inflati operibus legis se sanctos æstimabant, & superbissimè pauperculos gentiles contemnebant. Hinc
C. 65. 5. illud Isaiæ, *recede à me, non appropinques mihi, quia immundus es.* De illorum hominum genere, inquit S. Augustinus
Lib. 50. hom. 23. tom. 10. erat Simon Pharisæus, qui Magdalænam despiciebat. Quin & Christum ipsum: dicebatque, in corde suo inflatus contra afflictissimam peccatricem,
Lucæ 7. 39. *recede longè à me, quia sanctus sum.* Tales ob suam superbiam meruerunt iusto Dei iudicio humiliari, & derelinqui à
Iacob. 4. 6. 1. Petri 5. 3. Deo, *qui superbis resistit*; & ex infinita sua misericordia miseros & humiliatos gentiles exaltauit super omnes super-
Lucæ 1. 52. bos Iudæos, eos legis suæ splendore illuminans. Sit ergo generalis conclu-
Ibid. 5. 25. sio neminem alteri vnquam se præferre debere,

debere, vt supra S. Bernardus docuit, *& in neminem insolescere, quamuis peccatorem, vt inquit S. Basilius*; quin & semper casum Luciferi meminisse: qui cùm super omnes Angelos superbissimè vellet ascendere, & eorum caput se constituere, cadens ignominiosissimè, homini subiectus est. Homil. 23. Isaiæ 14. 12.

De bonis corporis, primò de sanitate, quòd nemo ob eam se super alios debeat eleuare.

SECTIO XXXV.

SI neque bona naturalia, neque supernaturalia communi sorte hominibus, & Angelis collata, nemini argumento esse debent, vt vel superbiâ apud se ipsum intumescat, vel è statu rectæ rationis, vt ostium è cardinibus, exiliat, alijsque, vt dictum supra, se præferat; multò minus *corporis dona, vt sanitas, fortitudo, pulchritudo*, quæ nobis cum bestijs sunt communia, longéque inferiora bonis animæ, hominem extollere debent. quis enim eò quòd habeat bonum stomachum, ventrem amplum, Grad. 1. sect. 61. 62.

plum, & sanum ad potenter bibendum, & largiter comedendum, atque ad eas quæ inijciuntur, siue potus, siue cibus sit, celeriter & perfectè digerenda, inque sani corporis substantiam, ac pinguedinem conuertenda, præsumet gloriari? maximè si meminerit ab Epaminonda Duce, ab exercitu remotum militem, eò quòd nimis sanus, & pinguis esset. quis non irriserit Gordienses, qui, vt fertur, in more positum habebant, vt qui pinguissimo & crassissimo inter eos esset corpore, in Regem eligeretur? Nonne is qui tali de causa gloriatur se inter socios primas tenere, sat ostendit se intellectum perdidisse, aut nunquam habuisse? tum quia arripit ansam arrogantiæ ex re minima, & mille fortunæ ac interitus telis exposita; tum quia plurimis eo in genere longè est inferior bestijs, quæ sanitatem non amittunt, nisi ex aliquo casu fortuito & raro, nunquam autem ob nimium cibum, & potum, aut aliquem alium corporis excessum; homo autem ordinariè tot modis, quot exercet opera, & quot eius corpus constat membris; amittit comedẽdo, bibendo, dormiendo,

Plutar. in eius vita.

Alex. ab Alex. Genial. dierum lib. 4. c. 21. V. Tyraquellum in eiusd. locum.

dormiendo, quiescendo, alijsque delicijs vacando; amittit ex aliquo accidenti oculorum, aurium & aliorum sensuum; amittit occasione caloris, frigoris, solis, lunæ, ignis, aquæ, aliorumque elementorum, & innumerabilium creaturarum, quæ innumeris modis eum spoliant bonâ corporis valetudine, à quibus fere bruta animalia eximuntur. Præterea maior animalium pars continuâ fruitur sanitate, vt pisces; vnde prouerbium, *sanior es pisce*; vt plurimæ volatilium, corui, cornices, Phœnix, aues quas Galli vocant Paradisiacas, quæ ordinariè carent omni infirmitate, & in plurima sæcula vitam producunt. In quo ergo superbus homo se alijs præferet hominibus, qui in dono sanitatis multùm cedit brutis animantibus? in quo fortunam suam, contempto proximo, meliorem æstimabit? quandoquidem infirmitas magis potest conducere proximo, quàm illi secundissima corporis valetudo, & longè forsan expedientius esset, aduersâ laborare valetudine, quàm frui secundâ: ex qua sumens occasionem superbiendi de bona sanitate corporis, infirma-

Infirmitatum genera 3000. numerantur.

Plin lib. 23. c. 1.

Prou. 93. Chil. 4. cent. 4.

Arist. l. 8. de animal.

Cornicibus viuacior. Prou. 64. Chil. 1. cent. 6.

plum, & sanum ad potenter bibendum, & largiter comedendum, atque ad eas quæ inijciuntur, siue potus, siue cibus sit, celeriter & perfectè digerenda, inque sani corporis substantiam, ac pinguedinem conuertenda, præsumet gloriari? maximè si meminerit ab Epaminonda Duce, ab exercitu remotum militem, eò quòd nimis sanus, & pinguis esset. quis non irriserit Gordienses, qui, vt fertur, in more positum habebant, vt qui pinguissimo & crassissimo inter eos esset corpore, in Regem eligeretur? Nonne is qui tali de causa gloriatur se inter socios primas tenere, sat ostendit se intellectum perdidisse, aut nunquam habuisse? tum quia arripit ansam arrogantiæ ex re minima, & mille fortunæ ac interitûs telis exposita; tum quia plurimis eo in genere longè est inferior bestijs; quæ sanitatem non amittunt, nisi ex aliquo casu fortuito & raro, nunquam autem ob nimium cibum, & potum, aut aliquem alium corporis excessum; homo autem ordinariè tot modis, quot exercet opera, & quot eius corpus constat membris, amittit comedēdo, bibendo, dormiendo,

Plutar. in eius vita.

Alex. ab Alex. Genial. dierum lib. 4. c. 21. V. Tyraquellum in eiusd. locum.

dormiendo, quiescendo, alijsque deli-
cijs vacando; amittit ex aliquo acci-
denti oculorum, aurium & aliorum
sensuum; amittit occasione caloris,
frigoris, solis, lunæ, ignis, aquæ, alio-
rumque elementorum, & innumerabi-
lium creaturarum, quæ innumeris mo-
dis eum spoliant bonâ corporis valetu-
dine, à quibus fere bruta animalia exi-
muntur. Præterea maior animalium
pars continuâ fruitur sanitate, vt pi-
sces; vnde prouerbium, *sanior es pisce*;
vt plurimæ volatilium, corui, corni-
ces, Phœnix, aues quas Galli vocant
Paradisiacas, quæ ordinariè carent
omni infirmitate, & in plurima sæcula
vitam producunt. In quo ergo super-
bus homo se alijs præferet hominibus,
qui in dono sanitatis multùm cedit
brutis animantibus? in quo fortunam
suam, contempto proximo, meliorem
æstimabit? quandoquidem infirmitas
magis potest conducere proximo,
quàm illi secundissima corporis valetu-
do, & longè forsan expedientius esset,
aduersâ laborare valetudine, quàm frui
secundâ: ex qua sumens occasionem
superbiendi de bona sanitate corporis,

Infirmitatum genera 3000. numerantur.

Plin lib. 23. c. 1.

Prou. 23. Chil. 4. cent. 4. Arist. l. 8. de animal.

Cornicibus viuacior. Prou. 64. Chil. 1. cent. 6.

infirmatur spiritu. Laus ergo sapientiæ, & commendatio sanitatis, est bonâ valetudine bene vti. bene autem eâ vtitur, qui ad Dei gloriam & proximi bonum vtitur: sicuti insanissima est stultitia sanitate abuti, deque ea sibi blandiri, & gloriari, & magnum nescio quid se putare esse, factâ comparatione cum laborantibus aduersâ valetudine.

Ob corporis fortitudinem nemo se alijs debet præferre.

SECTIO XXXVI.

Grad. 1. sect. 64. 65.

GRadûs primi sectione de fortitudine ostensum est hominem ob eam nullo modo superbire debere. in quàm plurimis siquidem animantibus, vt vrsis, elephantibus, bobus, & similibus maior reperitur, quàm in vllo mortali; in operis autem diurnis, & baiulis longè magis necessaria est, quàm in hominibus alicuius notæ, aut nobilitatis. Eædem rationes docent eum ob vires corporis & robur, super alios, qui forsan ijs carent, minime se exaltare

Bestiarum fortitudo maior hominum fortitudine.

exaltare debere. D. Chrysostomus de eadem re agens, eodem visus est argumento: *fortis es & altum sapis, nonne ideo amplius te humiliare deberes? cur te attollis in re tam exigui momenti, quæ cùm tibi cum bestia communis sit, illa tamen partem potiorem sibi vindicat? neruosior enim est leo, quàm tu sis, & aper robustior, & fortasis complures grassatores, & latrones, quin & propria tua mancipia robore corporis te longè antecellunt.* Audisti D. Chrysostomum Christianum Episcopum, ac Ecclesiæ Doctorem, audi nunc quid ante eum scripserit Plutarchus gentilis: *optanda, non negârim, corporis fortitudo, sed amissu facilis est, interueniente vel infirmitate, vel senectute. quare si quis se de viribus iactet, vehementer errat. Quid enim sunt vires humanæ, si conferantur viribus animalium, verbi gratiâ Elephantorum Taurorum & Leonum? Vnde si tu te aliis preferas, quia nimirùm es robustior, tibi possunt illi respondere, quòd si in hoc tibi subsumus, tu in eodem subes bestiis, latronibus, gladiatoribus, & abiectißima conditionis hominibus, etiam vitiis omnis generis coopertis.* Inter homines olim gigantes fuêre nominatissimi, & famosissimi in corpulentiâ, & mon-

Hom. 35 ad pop. Antio.

strosâ fortitudine, quos tamen nullæ res fortiter gestæ commendabant, imò tum sacræ, tum prophanæ historiæ eos arguunt de impietate: quippè qui Deo bellum inferre attentârint: sed eius potentiam sentientes malo suo edocti, ab incepto cessare coacti sunt.

More gigantum contra Deum pugnare. Prou. 93. Chil. 3. cent. 10. seu gigantisare.

Veræ fortitudinis semper comes est humilitas.

SECTIO XXXVII.

Grad. 1. sect. 66. 67.

FOrtitudo, vt supra dictum est, non solùm corporis vires denotat, sed vel maximè excelsitatem animi, quæ est veluti anima virium corporalium. multos siquidem est reperire fortes, & animo excelso viros, qui magnis simul non polleant corporis viribus, qualis fertur fuisse Iulius Cæsar, & alij complures famosi Duces. Hæc qualitas si consortem habeat indiuiduam humilitatem, est eximia, omnique laude dignissima; tum quia index est nobilissimæ animæ, tum etiam quia in maximis Reip. negotijs vtilissima; ad magna aggredienda, ad rem domi militiæque.

De Ænea Virg. 1. Æneid. Nec pietate fuit nec bello maior & armis.

sitiæque pro Ecclesia Catholica, pro Regibus, pro communi bono præclarè fortiterque gerendam aptissima; ad expugnandas hæreses, omnemque impietatem eradicandam, ad sua recuperanda, ad fines suæ patriæ in exteris regionibus & prouincijs producendos, nec non ad alia maturo iudicio suscepta ac designata, exequutioni mandanda, apprimè est apposita. Tales antiquitus inter Iudæos fuère Iosuæ, Gedeones, Machabæi, magni præpotentis Dei amici & administri, fideles diuinæ legis & patriæ defensores; in bellis fortissimi, in victorijs humillimi. Fuêre & in lege gratiæ non pauci strenui duces & Imperatores, de quibus gradu primo, in quibus difficile dictu est, an strenuitas humilitatem, an humilitas strenuitatem vicerit. Gentiles autem cùm destituti essent vero lumine fidei, humilitatem cum fortitudine non agnoscebant, multò minus coniungebant, aliquod tamen humilitatis simulacrum nonnulli attigerunt, à quo non humiles, sed modesti dicebantur. Talis fuit inter Romanos Fabius Maximus, dignus tanto nomine,

Grad. 1. sect. 66. 67.

FabijMaximi modestia.

Vnde de eo Ouidius: *Maxime, qui tanti mensuram nominis imples.* Maximus vocatus est tum quia & moderatissimè & prudentissimè exercitum sibi commissum gubernauit, duxit, & conseruauit, nominatim autem erga consulem Minutium quando è ruina, in quam se & Rempub., ab eius recedens consilio præcipitârat, extraxit; tum quia cunctando rem restituit, & Hannibalem superauit. Quod si hæc fortitudo exuta modestiâ per arrogantiam in alios cæperit dominari, paulatimque in stultitiam & furorem conuerti, tandem suum possessorem in maximum dedecus inducet in hac vita, & in altera in interitum sempiternum. Achilles vigilantissimus Græcorum erat Imperator, sed insolentiâ intolerabilis; Pompeius inter Romanos clarissimus Dux extitit, sed sua eum perdidit præsumptio: inflatus enim præconceptâ strenuitatis suæ opinione, & præ alijs omnibus, qui cum præcesserant, partâ præteritis bellis auctoritate, contemnebat Cæsarem, & alios, qui eâdem secum viuebant ætate, suamque in re militari scientiam & peritiam, nescio quâ

12. Aenei.

quâ insolentiâ eousque iactabat, vt dum ab amicis moneretur ad faciendos tempestiuè delectus militum, diceret se pede pulsando terram, effecturum vt agmina militum, instar formicarum, contra Cæsarem in momento coalescerent. qui tamen in fine absque milite turpissimè se victum, & vniuersum suum exercitum internecioni datum, abeo, quem contempserat, vidit. pridie autem quàm hoc contingeret, milites eâdem ducti præsumptione, quâ Dux Pompeius, vesperi contexerant ex floribus coronas ad triumphãdum sequenti die de victoria, quam certò certius de Cæsareanis sibi promittebant. Quare strenui milites Christiani sibi velim persuadeant suam fortitudinem absque humilitatis armatura nudam esse, omnibusque aduersariorum ictibus apertam, vel vt verius dicam, non esse fortitudinem, sed temeritatem & præcipitationem abundè sufficientem, vt victi in fine, tandem gladijs hostium occumbant. Deus enim superbis potenter resistit, validaque manu ac irretortis telis eorum impetus retundit, frangit, ac in nihi- Iacobi 4. 6. 1. Petri 5. 5.

lum redigit: neque vnquam sinit superbiam esse superiorem, nisi vt tantò magis postea humilietur, quantò antè permiserit exaltari.

Victoriæ multis fuerunt occasio superbiæ & insolentiæ, & remedia contra eam.

SECTIO XXXVIII.

VIctoriæ sunt à Deo, sed superbia, quæ despicit omnes, & se solam respicit, eas sibi attribuit, eaque opinione mortalium animos imbuit, vt sibi persuadeant illas ex sua industria & fortibus ausis prouenire, dicantque cum peruersis illis: *Manus nostra excelsa, & non Dominus, fecit hæc omnia.* (Deut. 32. 27.) Vnde contempto Deo, facile contemnunt homines, & in omnibus suis dictis & factis ijs fiunt odibiles, & intolerabiles. Quas Pompeius obtinuit victorias, & præsertim in iuuentute (de Africa enim triumphauit anno ætatis suæ vigesimo quarto) maiores iusto animos ei pepererunt, sicut & Cæsari. Legimus in sacris historijs Regem Sennacherib (Is. 37. 7. 15.)

nacherib successu bellorum à se gestorum eò insolentiæ deuenisse, vt blasphemo ore ipsi Deo exprobraret, quasi in eius non esset potestate, eruere Hierusalem de manu sua. Alexander postquam omnes, se excepto, deuicisset, & vniuersum penè orbem suo Imperio subiugasset, incredibili fastu super omnes homines se extollens, Iouis & Dei filius voluit haberi. Viden' genium arrogantiæ ipsos cælos transcendentem? Maximianus & Domitianus Imperatores ob res in bello prosperè gestas, simili prorsus genio fuère infascinati: nec multum dissimiles fuère Maximus & Diocletianus: ille enim Herculeus, quasi Hercule genitus patre, voluit cognominari; hic verò Iouius, acsi Iouem haberet patrem: Iulianus Apostata post expugnatam à se Aquileam ita sui opinione intumuit, vt omnes ei essent ludibrio, & præcipuè Christiani, quos per contemptum passim vocabat GALILÆOS.

Sigon. l. 6. Imperij occidentalis.

Primum remedium contra superbiam, quæ nasci solet ex obtenta victoria, est considerare, quod quicquid honestum, quicquid iucundum, quic-

quid vtile in victoria est, id esse de manu Dei præpotentis, qui vincentibus dat robur, vt vincant, quando illi placet, & quandoque etiam in infirmitate facit virtutem, concedens infirmis victoriam. Et hoc modo Gedeoni cum trecentis viris pugnanti contra triginta millia contulit victoriam: ita etiam Dauidi iuueni,& tenero opilioni, nudo ab armis contra Goliat maximum gigantem, Ducem celebrem, & optimè armis instructum dedit notissimam victoriam. Superbia subinde ingeniosa, nunquam ingenua,excogitauit(quamvis frustrà) effugium quoddam falsum, ad confusionem suam cooperiendam: tribuendo nimirum omnis victoriæ laudem & decus nescio cui fortunæ (vocant illi dignitatem quandam imaginariam) loco Dei, qui præter hominum expectationem humiliat superbos, & exaltat humiles.

Iudit. 6. 15. &c. 1. Reg. 17. 49.

Secundum remedium est, sibi ob oculos mentis ponere miserabilem eorum finem, qui ob acceptas diuinitus victorias in auctorem ingrati extiterunt. Pompeius MAGNVS cognomentum adeptus per suas victorias, humi-

Plut. in eius vita.

liatus est vsque ad miseriarum abyssum, ludibrio habitus ab hominibus infimæ conditionis, percussus, transfossus, occisus absque vllo respectu & commiseratione, in regione extera, quæ aliquando vel solo eius nomine audito tota contremiscebat. Cæsar cùm omnes alios vicisset, ipse victus est, & Romæ in pleno senatu, in quo vt Deus honoratus fuerat, viginti tribus vulneribus confossus, corruit mortuus. Sennacherib post obsessam Hierosolymam cum centum octuaginta quinq; millibus militum, postquam maledixisset cælo & terræ, post nefandas in Deum viuentem blasphemias, dicto exercitu vniuersim deleto, ignominiosissimè fugit, & paulò pòst à proprijs filijs in fano suorum Deorum è medio sublatus est. Alexander autem in flore ætatis, toxico est extinctus, & pluribus diebus caruit sepulturâ, priuatus honore etiam hominibus vulgaribus exhiberi solito, qui expetiuerat honores vni & soli Deo debitos. Maximianus & Diocletianus etiam miserabili modo occisi sunt. Et Iulianus Apostata in medio sui exercitûs, sagittâ de cælo missâ

4. Reg. 19. 37. Isaie 37. 37.

Plut. in eius vita & Curti-us.

&

& admirando volatu directâ transuerberatus, insaniens mortuus est. si superbi experientiâ & pœnâ alijs inflictâ fieri volunt sapientes, hæc exempla lectionis & Magistri loco esse poterunt.

Pulchritudo corporalis admodum humile est argumentum, alijs se praferendi.

SECTIO XXXIX.

Grad. 1. sect. 68. 69. hom. 39. ad pop. Antioch. tom. 5.

TV es pulcher, ait S. Chrysostomus, viro & fœminæ vanitati deditis, tu pulcher es, & aptâ compositione membrorum effictus à natura, oculos te spectantium delectas, & de hoc te iactas & gloriaris, alios despiciendo, tua te superbia reddit insensibilem. Equidem istam tuam iactationem cornicibus dignam censeo, & non creaturâ ratione præditâ, tamnè es pulcher atq; pauo, atq; cygnus, & nonnullæ aliæ volucres? nonnè ante te extiterunt, & nunc adhuc extant quam plurimæ meretrices, ac fœminæ publicæ, quæ te corporis formâ longe antecedunt? Hoc modo Sanctus Orator obiurgat effœminatam superbiam, & pulchritudinem superbam; is ergo cui non lubet ob suorum oculorum

oculorum atque pellis pulchritudinem cum aliorum contemptu gloriari, tum hoc pulcherrimo, tum assignatis primo gradu vtatur documentis. Consideret item corporis venustatem esse quandam exteriorem subiectam oculis apparentiam, quæ vt flos campi citò deperit, quòd ea tum hominum plurimorum, tum Prouinciarum sit mors & exterminium: adiungat exemplis & rationibus illis fusè deductis, quòd Sampsonem omnium, qui hactenus fuerunt hominum fortissimum, debilem reddiderit; Dauidem omnium Regum terræ sanctissimum, adulterij labe coinquinârit, quòd Salomonem mortalium sapientissimû dementârit; quòd muliebris pulchritudo fœminis sit loco armorum, ad prosternendos etiam gigantes, & in plurima incommoda, etiam in mortem ipsam non rarò inducendos; virorum autem pulchritudo, eorum retundit arma, eneruat vires, reddit timidos & ignauos timore quodam fœmineo. Quemadmodum scimus euenisse exercitui Pompeij, in quo equitatus Romanus eam ob causam fuit perterritus, ac ita perturbatus, vt ti-

Grad. 1. sect. 68. & 69.

Remedia contra superbiam.

Sampson Iudic. 16. 4. 17. 21.

Dauid 2. Reg. 11. 4.

Salomon 3. Reg. 11. 1. 11.

G 4. s. 34.

mens amittere pulchritudinem, amiserit & honorem & vitam. Cùm enim ea constaret pulcherrimâ, electissimaq; nobilitate, & iuuentute Romanâ, & viderent iuuenes illi nobilissimi se à Cæsareanis à fronte (sic enim de industria ordinârat Cæsar) sagittis, iaculis, ac gladijs totis viribus impeti, fugâ ictus aliquos euitare conati, deturparunt pulchritudinem, ignauiæ notam incurrerunt, & animos suos interiori decôre spoliarunt, dum timentes corporalis venustatis iacturam facere, sempiterno dedecore se commacularunt, & patriam suam ignominiâ & ruinâ nullis futuris sæculis reparandâ, affecerunt. Consideret item pulchritudinem corporalem nil aliud esse, quàm pellem læuigatam & extensam supra certam carnis massam, colore tinctam, quæ interitui obnoxia est, non solùm propter exiguã temporis durationem, sed etiam ob falsum & cæcum amoris humani iudicium, quod eam sæpe vituperat, & eius loco eligit deformitatem, eique mordicus adhæret, creditq; pulcherrimam. Ea est amoris cæcitas! Accedit quòd homines sæpius ex effi-

Suum cuique pulchrum.

ctis à sua imaginatione lineamentis & coloribus, quàm ex vera naturæ regula de pulchritudine, aut deformitate humani corporis iudicium ferant. Antiquis oculi nigri erant omnium pulcherrimi; Africanis ij placebant, qui referrent oculos Falconum, & essent scintillantes; contrà, Æthiopes delectabantur nasis simis, & deductis labris. Certi quidam Indi adhuc hoc nostro tempore pulchritudinem sitam putant in paruitate, non oris quidem, sed pedum: eximiæ enim pulchritudinis eum existimant, qui paruos habeat pedes. Ex qua imaginatione nascitur, vt quibusdam artificijs pedes suos paruos efficiant, reddantque ad ambulandum inutiles, minus soliciti ne hoc facto efficiantur claudi, quàm ne mente apprehensâ priuentur pulchritudine. Iidem, quos diximus Æthiopes, & in eodem climate omnes populi, præferunt nigrum colorem albo; ita vt quo quisque inter eos est nigrior, & magis simo naso, ac labris maioribus, eò habeatur formosior. Si quis autem vel minimâ polleat sapientiâ, quomodo supra bonum tam vile tam exiguum,

Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur. Virg. Ecl. 2.
Alex. ab Alex. l. 2. c. 19. Ge-

nial. dicerum & Tyraquel.

um, & quod solùm esse habet ex mortalium iudicio, in veritate autem suæ naturæ prorsus incertum, locabit arrogantiæ suæ fundamentum? Et cùm nemo vllo iure de eo intra seipsum possit gloriari, ex quo consequenti poterit se alijs præferre? Etsi tot nominibus tenetur se humiliter & modestè apud semetipsum habere, quomodo foris ostentare audebit suam paupertatem, conferendo, imò & præferendo se ijs, quos solò imaginario intellectûs acumine se superare existimat?

Præstantia sensuum non debet esse causa, vt quis se extollat super alios.

SECTIO XL.

PRæstantia quidem sensuum, subtilitas visûs, auditûs, odoratûs, vocis & similium donorum, quæ cùm referantur ad bona corporis, & valde affinia sint pulchritudini (de qua hactenus actum) occasionem præbere possunt infirmioribus ingenijs, vt in quandam superbam ferocitatem degenerent,

generent, seque alijs, iuxta regulam secundi gradus superbiæ, præferant: sed ne id faciant, salutari, quæ sequitur, doctrina eos in humilitate instruens S. Chrysostomus cauet: *acutè cernis, ne ob hoc te extollas, quia damæ & Aquila te acutius cernunt; polles equidem auditu, sed longè magis, cùm maiores aures habeat, pollet asinus; præstas odoratu, at infinitis modis magis præstant canes; expeditus es pedibus & celeri gressu vales incedere, sed lepores & cerui velocitate cursus multùm te superant. sed forte ideo attollis supercilia, quia suaui & iucunda cantas voce, sed num suauius, atq; Cygnus aut Luscinia?* His D. Chrysostomus vult indicare, si alios anteire te existimas, quia in hisce videris tibi ijs superior, confestim errorem tuum & arrogantiam corrigito, considerans te in his ipsis à bestijs longè superari; & hoc tantò magis, quòd à superbiæ crimine, in quo delinquis, bestiæ sint immunes. Hic modus præstantissimus est ad continendum hominem intra suos limites, & ad cohibendum à contemptu proximi. Similis etiam alius adduci potest ijs, quos superius in alio argumento expendimus, qui est inter

Hom. 39. ad pop. Antioch. tom. 5.

Animalia sensibus superant homines.

mortales seligere aliquot, qui in eo, quod nos turgescere facit superbiâ, atque attollere nos in præiudicium proximi, excelluerunt. Quibus si nos comparemus, omnibus penè bonis destitutos, & confusione plenos deprehendemus. Verbi gratiâ in subtilitate & præstantia visûs, si te ei conferas, qui spatio quadraginta quinque Leucarum Gallicarum corpus poterat videre & discernere; Is autem fuit, qui Marco Varrone auctore cognominatus est strabo; qui ex Lelybæo Siciliæ Promontorio, exeunte classe Carthaginis portu, etiam nauium numerum dicere poterat. Age, vlterius assimila te ijs, qui existentes in Græcia, in monte Olympio audierunt tumultum depopulationis ciuitatis Sybarti, in Calabria vi captæ. Qui præstant odoratu, gustu, pedum velocitate, si vel parum sapiunt, haud vanè se efferent, sed seipsos irridendi sument occasionem ex innumeris cocis, ex ijs qui esse solent à pedibus: qui omnes potentiâ odorandi, gustandi, ambulandi, plurimùm eos superant. Ad suauitatem cantandi quod attinet multi pueri discantistæ

Sensûs & visus præstantia.

Plin. lib. 7. c. 21.

Auditus. Plin. l. 7. c. 27.

Odoratus & pedum excellentia.

Vocis. Argutat

scantistæ & cantatrices inuenientur, quorum comparatione vix eris coruus aut Ardea collata Lusciniæ & maiori alaudæ. Quod si quispiam surdus & insensibilis pertranseat has rationes, adhucque persistat in suæ arrogantiæ sententiâ, manifeste ostendit se (si tamen aliquando habuit) intellectum amisisse, ac ab insipientia originem ducere eius superbiam, à fatuitate autem eius morbum comitialem, quorum alterum rationis, alterum remedij est incapax.

inter strepere anser olores. Eccl. 9. 16.

Nemo ob diuitias debet se alijs præferre.

SECTIO XLI.

INter fortunæ bona, quæ tertium bonorum genus efficiunt, vt dictum est supra, primas tenent diuitiæ, quæ quemadmodum aptæ natæ sunt ad pariendos altos spiritus in ijs, qui eas possident; ita etiam ad ingenerandum in ijsdem aliorum contemptum, & affectum eminentiæ, quâ se supra se, & supra eos constituant, eosdemque, vt

G. 1. sect. 76. &c. Arist. l. 7. Polit. c. 1.

Plato in Eutydemo tom. 2.

longè inferioris conditionis, dedignentur. Quod absque alia deductione sat quotidiana docet experientia. & ita, solùm inuenienda sunt remedia, quibus è medio tollatur superbia. Primo gradu aliqua inuestigauimus, ostendentes *esse vana mercimonia, dona ludibrio fortunæ exposita, deceptionis & fallaciæ plena, spinas & cruciamenta spiritus, incentiua mille malorum in hac vita, & tandem, nisi bonus ijs vtendi modus accuratè adhibeatur, causam damnationis sempiternæ.* Quæ de causa non solùm non deberent diuitem inducere ad fastum, sed vel maximè ad humilitatem. Eædem rationes seruiunt ad præcauendum ne se alijs quis præferat. quomodo enim ex eo se exaltabit super alios, ex quo debet se demittere? quid enim habet diues, dum opes habet, quàm fragilem materiam vanitatum, dolorum, fraudium, spinarum, & innumerabilium animæ afflictionum? inflabitúrne, plurisné eo nomine alijs se faciet, quòd vndique occasionibus peccandi, instar formicarum in suis cauernis & foraminibus, coopertus sit, & ita constitutus, vt iam iam in infernales abyssos præcipitetur?

Grad. 1. sect. 60, 71. &c.

Omnes

Omnes hæ considerationes non superbiæ, sed maximæ humilitatis suppeditant argumenta ijs, qui oculos mentis apertos habent ad naturam rerum cognoscendam. Quare si quis adhuc insolescat, alia ne requiras eius ignorantiæ & stultitiæ indicia. Adhuc aliud S. Chrysostomus adfert remedium: *tu diues es, vnde proueniunt, quas possides, diuitiæ? aurum, argentum, lapides pretiosi, quæ iactas, nonnè sunt gloria prædonum, latronum, & eorum qui è fodinis eruunt metalla?* vult dicere diuitias & opes ex alterius liberalitate prouenire, nempe Dei datoris omnium, vel fors etiam ex latrocinio, prædâ iniustâ, vsurâ, rapinâ, & similibus iniquis titulis. Quòd si secundum Deum iusto possides titulo, te hoc nomine coram eo humiliare, ei gratias agere, ex ijsque pauperibus subuenire debes; sin autem vel vereris, vel scis te malo possidere titulo, Dei implora misericordiam, restitue ijs, quorum sunt. nî hoc fiat, quisquis hoc modo diues est, similis est prædonibus & latronibus, ita diues in iniquitate, quemadmodum in possessionibus; deceptus & deceptor in bonis, quæ titulo proprietatis tenere se iactat.

S. Chrysostomus hom. 19. ad pop. Antioch. tom. 5.

Reges, Potentes, Magistratus procliues ex suo statu sunt ad se præferendum alijs.

SECTIO XLII.

Regia potestas omnium præstantissima. grad. 1. sect. 7.

OMnium huius vitæ honorum & dignitatum regia creditur potissima, vt dictum fuit suprà. est enim quædam diuinitatis in terra similitudo; præsertim si Reges regnent, vt decet Reges, suaque sapientiâ, clementiâ, ac supremâ diuinitus ijs collatâ potestate, Deum optimum, sapientissimum ac potentissimum vt oportet, repræsentent. Et, si ADMINISTRI IVSTITIÆ, DII, per quandam similitudinem vocantur, longè excellentiori titulo Reges, qui sunt Iudicum & Iustitiæ principes, ac patroni, in suis regnis vocabuntur. Verumenimuero quemadmodum hæc suprema in terris præcellentia minus sapientibus præbere potest occasionem, vt inflentur in seipsis, iuxta primum superbiæ gradum, ita causa esse potest, vt se alijs præferant. qui secundus est superbiæ gradus.

Exod. 7. 1. Iudices in scriptura vocati Dij. Psal. 81. 1. Deus stetit &c.

gradus. Procliue enim admodum est, vt qui ab omnibus honorantur, & veluti Dij quidam præ omnibus suspiciuntur, & coluntur, se pluris alijs omnibus æstiment, sibique persuadeant, eos se esse, quos alij credunt, aut credere se simulant, vt faciunt adulatores, genus hominum coruis simile, qui magno semper numero in aulis principum inueniuntur. Et quemadmodum is, qui supra tectum altissimæ turris ambulat, si inferiora despiciat, facilè turbatur mente, & nisi integro & firmo constet capite, cadit, maximè si insuper irati flent venti; ita homo in supremo dignitatis & iurisdictionis gradu collocatus, suos contemplans subiectos, impulsus adulatorum flatu tanquam aggregato ex pluribus ventis suauiter quidem, sed fortiter flantibus summo versatur in discrimine, ne illa adulatorum aurâ exaltatus, in superbiæ Abyssos præcipitetur. Quod dictum est de Regibus in throno regni sui sedentibus, de omnibus, qui ad Reipublicæ clauum sedent, & subordinatis dignitatum muneribus funguntur, dictum volumus; siue ij sint Cardina-

les, siue Patriarchæ, siue Archiepiscopi, siue Episcopi, siue Religionum generales Magistri, & Præpositi in regimine spirituali sub sanctissimo Domino nostro Papa constituti; sicut & de superioribus in politia temporali, vt sunt Cancellarij, Præfecti equitum, siue Comites stabuli, præsides, Tribunj militum, vulgò Mareschalci, duces, & Magistratus sæculares sub Regibus, & principibus alijs supremis substituti. Omnes hi in magno sunt periculo se super eos extollendi, quorum se vident iudices constitutos: sed si solido vtantur capite, & intellectu, de hac suâ se humiliabunt superioritate, iuxta hunc secundum gradum, cuius nota & symbolum est MINORIS OMNIBVS SE ÆSTIMARE: ad quod assequendum iuuabunt sequentes considerationes.

Considerationes ad hoc seruientes, vt qui in dignitate sunt super alios constituti, ijs minoris se æstiment.

SECTIO XLIII.

Vltra

Vltra allata superius communia omnibus documenta, ad æstimandum se minorem inter inferiores, & peiorem inter magnos peccatores, hæc particularia, potissimum in Regum ac Magnatum gratiam adferuntur. I. est, quòd Reges, & qui in altissimis dignitatum gradibus super alios mortales collocati sunt, sint eleuati instar astrorum super terram, & imitari ea debeant, quæ lucem dispergunt super faciem vniuersæ terræ, influuntque, vt loquuntur Philosophi, in omnem hunc inferiorem mundum. Quæ astra quantò altius assurgunt, tantò oculis aspicientium minora apparent. Sol exempli causa centies sua magnitudine lunam superat, & tamen propter situs sui altitudinem videtur minor. Quod propter necessitatem, situm & cursum naturalem euenit luminaribus & corporibus fixis in cælorum orbibus, hoc idem propter virtutem euenire conuenit astris terrestribus. quæ sunt Reges, & ij, qui dignitate proximè ad eos accedunt. Et hoc maximè facere debent ad imitationem filij Dei, veri solis super omnes cælos

Hic supra sect. 10, 11, 12.

Reges sunt quasi astra.

Cic. Academic. 2. Macrob. l. 1. c. 20. in somn.

exaltati, qui tamen non est dedignatus infra omnes homines se demittere. Rex ergo debet diffundere lumen, & per suas virtutes & merita influere in sibi subiectos; & tantò minor in oculis suis, comparatione omnium, sibi videri, quantò sublimius in cælo politico, vt sol quidam terrestris super alios fertur & giratur. Hæc si Reges obseruare debent (si veri Reges esse volunt) quantò maiorem Principes, Magistratus, & domini alij (qui longè inferioris sunt ordinis, quàm sint Reges & Monarchæ) habent occasionem se humiliandi? II. est, quia HVMILITAS EST VIRTVS propria REGVM ET MAGNATVM. Etsi enim omnes ei acquirendæ impensè studere teneantur, si aliàs cælum beatorum domicilium indipisci volunt, ea tamen magis necessaria est & conueniens Regibus & Magnatibus. MAGIS NECESSARIA quidem propter munus, quod sustinent, quod nunquam, vt oportet, nisi prudentiâ, patientiâ, & magnanimitate præditi sint, administrabunt; ijs autem nunquam præditi erunt, nisi sint humiles, quin in dies maiora & maiora

Humilitas virtus Magnorum.

Maximè necessaria Regibus.

ra incurrent pericula [impellentibus eos stultitiâ & furore superbiæ] incidendi in altissimum ruinæ præcipitium; MAGIS AVTEM CONVENIENS quòd Regum Maiestatem exornet, & omnibus admirandos & charos efficiat. est enim quiddam diuinum, *esse cum laude magnum, & simul paruum, iunctam esse magnam modestiam magnæ Maiestati, & habere duplex decus in corona, nempe laudem humilitatis cum magnitudine Maiestatis.* Et quod bene notandum est: *apud Deum & homines longe honorificentius est, esse paruum & humilem in oculis suis, quàm esse magnum, & super alios homines exaltatum.* Hæ rationes inducere, imò cogere suauiter debent Magnates, vt se in animis suis æstimēt minoris suis subditis, esto, iuxta dispositionem diuinæ prouidentiæ, exterius eorum sint superiores.

Pulchra & rara coniunctio. G. 1. S. 76.

Aliæ considerationes de eodem argumento spectantes Reges & Magnates.

SECTIO XLIV.

RESTANT & aliæ considerationes, aptæ ad persuadendum id, quod iam

iam ostendi. PRIMA est perpendere, quod dicit scriptura nempe *Vnum esse Magistrum, Vnum Regem Regum, Vnum dominum dominantium*, æquè ac subditorum, & infimæ sortis hominum; cumq; omnipotentem, dominum dominorum æquali auctoritate ac seruorum: qui super omnes regnat in cælo, & in terra, qui & in cælo humiliauit ac depressit superbiam principum suæ aulæ, qui etiam potens est in terris *humiliare superbos, & humiles exaltare*, efficereq; vt is, qui cum potentia præest, subsit humiliatus, contrà, qui subest cum humilitate, præsit cum auctoritate. Nabuchodonosor Babyloniorum Regum omnium potentissimus, è throno regni sui deiectus, *& ab hominibus eiectus*, non solùm gloriâ, quam habuerat, priuatus est, & quouis suorum subditorum vilior effectus, sed etiam ad conditionem bestiarum redactus, *fœnum vt bos comedit*. Dauid ex humili opilione ad regiam dignitatem assumptus est: Saul primus Hebræorum Rex, infra omnes suos subditos est humiliatus. Crœsus Lydiorum Rex, qui vnquam fuerunt, ditissimus, & opinione hominum felicissimus,

Vnus est Rex Regum.

Daniel 4. 28. 30.

2. Reg. 2. 4.

Plut. in eius vita & Herodot. l. 1.

cissimus, per Cyrum Regem Persarum eò infelicitatis & angustiarum redactus est, vt comburendus super struem lignorum positus fuerit. Et verò fuisset, nisi innata benignitas, Regem perpendentem humanarum rerum instabilitatem ad misericordiam commouisset. Baiazet Turcarum Rex mirum in modum insolens, & superbus extitit, maximè in Christianos, quonis suo subdito & mancipio factus est miserabilior: siquidem aureâ inclusus caueâ, per exercitum omnibus ludibrio, instar alicuius stulti circumducebatur, suoque victori equum ascensuro suppedanei loco erat. Rex qui in animum inducet suum, fieri posse, vt & ipse eò deueniat infortunij, vt totius mundi hominibus tali cum ignominia subijciatur, profectò, si sapiat, etiam atque etiam considerabit antequam vel minimo regni sui se præferat. SECVNDA est vt Reges & ij omnes, qui cum potestate alijs præpositi sunt, considerent non solùm pro se Deo reddendam rationem, sed pro ijs omnibus, quorum cura ijs commissa fuit in hac vita. ideóque *non solùm interrogandos & examinandos*

Baiazet mancipium factus G. 4. C. 42.

Intelligite Reges.

Regibus reddenda erit ratio supremo Regi.

dos eos à Deo ex libris propriarum actionum, verùm etiam suorum subditorum; iudicandosq; non iuxta faciem externam, sed iuxta eorum facta, dicta, & exempla, quorum occasione vel subditi, vel æquales illorum salutis iacturam fecerunt. TERTIA consideratio est, quod quò altius inflati superbiæ vento, se in hoc mundo supra suos subiectos exaltauerint, eò profundius in altero sub omnium pedes detrudentur. *Ibi erit videre innumeros pauperes exaltatos super diuites; innumeros seruos super Dominos; innumeros clientes super Reges & Principes.* Et non ex eo solùm, quòd plurimi huiusmodi superiorum erunt damnati, cumque dæmonibus vsque ad centrum abyssi humiliati; inferiores autem & subditi saluati, & cum beatis Angelis super cælos exaltati; sed etiam quòd maiores inter damnatos, qui suâ magnitudine & auctoritate abusi sunt in terris, maximè omnium humiliabuntur, & inter saluatos, qui maximè fuêre humiles, maximo afficientur honore. *Audiant ergo Reges, Principes, & qui iudicant terram, & tantò magis studeant humilitati, quantò eminentiori super alios in vita hac throno residerunt, & quantò magis obligatos*

Quo quisque magis se extulerit in hac vita, eò magis deprimetur in altera.

obligatos se aduertunt iuxta exactam diuinæ iustitiæ stateram ad rationem reddendam eorum, quæ gesserunt.

Quo quis maiorem claritatem nominis inter mortales consequutus est, eò magis se debet humiliare.

SECTIO XLV.

OStendi suprà neminem ob magni nominis celebritatem & famam se extollere debere, sed illum, qui eam consequutus est, humiliare; tum quia famæ bonum est in sua origine & progressu valde incertum, quippe fundatum super mortalium opinionem, qui falluntur non rarò, fallunt autem sæpissime; tum quia angustis admodum terrarum spatijs, & adhuc angustioribus temporum terminatur. Quod lumine naturali etiam ipsi Ethnici cognouêre, dum scriptis monent, eam solum æstimandam, quando seruit Reipub. vt gradu primo me dixisse memini. Hæc eadem argumenta suppeditant materiam, & formam secundi gradûs. Vt enim nullus propter amplitudinem sui

G. 1. C 77. 78.

Fama oppidò fragilis.

G. 1. C 78. 79. & 80.

longè inferioris conditionis, dedignentur. Quod absque alia deductione sat quotidiana docet experientia. & ita, solùm inuenienda sunt remedia, quibus è medio tollatur superbia. Primo gradu aliqua inuestigauimus, ostendentes *esse vana mercimonia, dona ludibrio fortunæ exposita, deceptionis & fallaciæ plena, spinas & cruciamenta spiritûs, incentiua mille malorum in hac vita, & tandem, nisi bonus ijs vtendi modus accuratè adhibeatur, causam damnationis sempiternæ.* Quæ de causa non solùm non deberent diuitem inducere ad fastum, sed vel maximè ad humilitatem. Eædem rationes seruiunt ad præcauendum ne se alijs quis præferat. quomodo enim ex eo se exaltabit super alios, ex quo debet se demittere? quid enim habet diues, dum opes habet, quàm fragilem materiam vanitatum, dolorum, fraudium, spinarum, & innumerabilium animæ afflictionum? inflabitúrne, plurisné eo nomine alijs se faciet, quòd vndique occasionibus peccandi, instar formicarum in suis cauernis & foraminibus, coopertus sit, & ita constitutus, vt iam iam in infernales abyssos præcipitetur?

Grad. 1. sect. 60. 71. &c.

Omnes

Omnes hæ considerationes non superbiæ, sed maximæ humilitatis suppeditant argumenta ijs, qui oculos mentis apertos habent ad naturam rerum cognoscendam. Quare si quis adhuc insolescat, alia ne requiras eius ignorantiæ & stultitiæ indicia. Adhuc aliud S. Chrysostomus adfert remedium: *tu diues es, vnde proueniunt, quas possides, diuitiæ? aurum, argentum, lapides pretiosi, quæ iactas, nonne sunt gloria prædonum, latronum, & eorum qui è fodinis eruunt metalla?* vult dicere diuitias & opes ex alterius liberalitate prouenire, nempe Dei datoris omnium, vel fors etiam ex latrocinio, prædâ iniustâ, vsurâ, rapinâ, & similibus iniquis titulis. Quòd si secundum Deum iusto possides titulo, te hoc nomine coram eo humiliare, ei gratias agere, ex ijsque pauperibus subuenire debes; sin autem vel vereris, vel scis te malo possidere titulo, Dei implora misericordiam, restitue ijs, quorum sunt: nî hoc fiat, quisquis hoc modo diues est, similis est prædonibus & latronibus, ita diues in iniquitate, quemadmodum in possessionibus; deceptus & deceptor in bonis, quæ titulo proprietatis tenere se iactat.

S. Chrysostomus hom. 19. ad pop. Antioch. tom. 5.

 Re-

Reges, Potentes, Magistratus procliues ex suo statu sunt ad se præferendum alijs.

SECTIO XLII.

Regia potestas omnium præstantissima. grad. 1. sect. 7.

Omnium huius vitæ honorum & dignitatum regia creditur potissima, vt dictum fuit suprà. est enim quædam diuinitatis in terra similitudo; præsertim si Reges regnent, vt decet Reges, suaque sapientiâ, clementiâ, ac supremâ diuinitus ijs collatâ potestate, Deum optimum, sapientissimum ac potentissimum vt oportet, repræsentent. Et, si ADMINISTRI IVSTITIÆ, DII, per quandam similitudinem vocantur, longè excellentiori titulo Reges, qui sunt Iudicum & Iustitiæ principes, ac patroni, in suis regnis vocabuntur. Verumenimuero quemadmodum hæc suprema in terris præcellentia minus sapientibus præbere potest occasionem, vt inflentur in seipsis, iuxta primum superbiæ gradum, ita causa esse potest, vt se alijs præferant. qui secundus est superbiæ gradus.

Exod. 7. 1. Iudices in scriptura vocati Dij. Psal. 81. 1. Deus stetit &c.

gradus. Procliue enim admodum est, vt qui ab omnibus honorantur, & veluti Dij quidam præ omnibus suspiciuntur, & coluntur, se pluris alijs omnibus æstiment, sibique persuadeant, eos se esse, quos alij credunt, aut credere se simulant, vt faciunt adulatores, genus hominum coruis simile, qui magno semper numero in aulis principum inueniuntur. Et quemadmodum is, qui supra tectum altissimæ turris ambulat, si inferiora despiciat, facilè turbatur mente, & nisi integro & firmo constet capite, cadit, maximè si insuper irati flent venti; ita homo in supremo dignitatis & iurisdictionis gradu collocatus, suos contemplans subiectos, impulsus adulatorum flatu tanquam aggregato ex pluribus ventis suauiter quidem, sed fortiter flantibus summo versatur in discrimine, ne illa adulatorum aurâ exaltatus, in superbiæ Abyssos præcipitetur. Quod dictum est de Regibus in throno regni sui sedentibus, de omnibus, qui ad Reipublicæ clauum sedent, & subordinatis dignitatum muneribus funguntur, dictum volumus; siue ij sint Cardina-

les, siue Patriarchæ, siue Archiepiscopi, siue Episcopi, siue Religionum generales Magistri, & Præpositi in regimine spirituali sub sanctissimo Domino nostro Papa constituti; sicut & de superioribus in politia temporali, vt sunt Cancellarij, Præfecti equitum, siue Comites stabuli, præsides, Tribunj militum, vulgò Mareschalci, duces, & Magistratus sæculares sub Regibus, & principibus alijs supremis substituti, Omnes hi in magno sunt periculo se super eos extollendi, quorum se vident iudices constitutos: sed si solido vtantur capite, & intellectu, de hac suâ se humiliabunt superioritate, iuxta hunc secundum gradum, cuius nota & symbolum est MINORIS OMNIBVS SE ÆSTIMARE: ad quod assequendum iuuabunt sequentes considerationes.

Considerationes ad hoc seruientes, vt qui in dignitate sunt super alios constituti, ijs minoris se æstiment.

SECTIO XLIII.

Vltra

VLtra allata superius communia omnibus documenta, ad æstimandum se minorem inter inferiores, & peiorem inter magnos peccatores, hæc particularia, potissimum in Regum ac Magnatum gratiam adferuntur. I. est, quòd Reges, & qui in altissimis dignitatum gradibus super alios mortales collocati sunt, sint eleuati instar astrorum super terram, & imitari ea debeant, quæ lucem dispergunt super faciem vniuersæ terræ, influuntque, vt loquuntur Philosophi, in omnem hunc inferiorem mundum. Quæ astra quantò altius assurgunt, tantò oculis aspicientium minora apparent. Sol exempli causa centies suâ magnitudine lunam superat, & tamen propter situs sui altitudinem videtur minor. Quod propter necessitatem, situm & cursum naturalem euenit luminaribus & corporibus fixis in cælorum orbibus, hoc idem propter virtutem euenire conuenit astris terrestribus. quæ sunt Reges, & ij, qui dignitate proximè ad eos accedunt. Et hoc maximè facere debent ad imitationem filij Dei, veri solis super omnes cælos

Hic supra sect. 10, 11, 12.

Reges sunt quasi astra.

Cic. Academic. 2. Macrob. l. 1. c. 20, in somn.

exaltati, qui tamen non est dedignatus infra omnes homines se demittere. Rex ergo debet diffundere lumen, & per suas virtutes & merita influere in sibi subiectos; & tantò minor in oculis suis, comparatione omnium, sibi videri, quantò sublimius in cælo politico, vt sol quidam terrestris super alios fertur & giratur. Hæc si Reges obseruare debent (si veri Reges esse volunt) quantò maiorem Principes, Magistratus, & domini alij (qui longè inferioris sunt ordinis, quàm sint Reges & Monarchæ) habent occasionem se humiliandi? II. est, quia HVMILITAS EST VIRTVS propria REGVM ET MAGNATVM. Etsi enim omnes ei acquirendæ impensè studere teneantur, si aliàs cælum beatorum domicilium indipisci volunt, ea tamen magis necessaria est & conueniens Regibus & Magnatibus. MAGIS NECESSARIA quidem propter munus, quod sustinent, quod nunquam, vt oportet, nisi prudentiâ, patientiâ, & magnanimitate præditi sint, administrabunt; ijs autem nunquam præditi erunt, nisi sint humiles, quin in dies maiora & maiora

Humilitas virtus Magnorum.

Maximè necessaria Regibus.

ra incurrent pericula [impellentibus eos stultitiâ & furore superbiæ] incidendi in altissimum ruinæ præcipitium; MAGIS AVTEM CONVENIENS quòd Regum Maiestatem exornet, & omnibus admirandos & charos efficiat, est enim quiddam diuinum, *esse cum laude magnum, & simul paruum, iunctam esse magnam modestiam magna Maiestati, & habere duplex decus in corona, nempe laudem humilitatis cum magnitudine Maiestatis.* Et quod bene notandum est: *apud Deum & homines longè honorificentius est, esse paruum & humilem in oculis suis, quàm esse magnum, & super alios homines exaltatum.* Hæ rationes inducere, imò cogere suauiter debent Magnates, vt se in animis suis æstiment minoris suis subditis, esto, iuxta dispositionem diuinæ prouidentiæ, exterius eorum sint superiores.

Pulchra & rara coniunctio. G. I. c. 76.

Aliæ considerationes de eodem argumento spectantes Reges & Magnates.

SECTIO XLIV.

RESTANT & aliæ considerationes, aptæ ad persuadendum id, quod iam

iam ostendi. PRIMA est perpendere, quod dicit scriptura nempe *Vnum esse Magistrum, Vnum Regem Regum, Vnum dominum dominantium*, æquè ac subditorum, & infimæ sortis hominum; eumq; omnipotentem, dominum dominorum æquali auctoritate ac seruorum: qui super omnes regnat in cælo, & in terra, qui & in cælo humiliauit ac depressit superbiam principum suæ aulæ, qui etiam potens est in terris *humiliare superbos, & humiles exaltare*, efficereq; vt is, qui cum potentia præest, subsit humiliatus. contrà, qui subest cum humilitate, præsit cum auctoritate. Nabuchodonosor Babyloniorum Regum omnium potentissimus, è throno regni sui deiectus, *& ab hominibus eiectus*, non solùm gloriâ, quam habuerat, priuatus est, & quouis suorum subditorum vilior effectus, sed etiam ad conditionem bestiarum redactus, *fœnum vt bos comedit.* Dauid ex humili opilione ad regiam dignitatem assumptus est: Saul primus Hebræorum Rex, infra omnes suos subditos est humiliatus. Crœsus Lydiorum Rex, qui vnquam fuerunt, ditissimus, & opinione hominum felicissimus,

Vnus est Rex Regum.

Daniel 4. 28. 30. 2. Reg. 2. 4.

Plut. in eius vita & Herodot. l. 1.

cissimus, per Cyrum Regem Persarum eò infelicitatis & angustiarum redactus est, vt comburendus super struem lignorum positus fuerit. Et verò fuisset, nisi innata benignitas, Regem perpendentem humanarum rerum instabilitatem ad misericordiam commouisset. Baiazet Turcarum Rex mirum in modum insolens, & superbus extitit, maximè in Christianos, quorum suo subdito & mancipio factus est miserabilior: siquidem aureâ inclusus caueâ, per exercitum omnibus ludibrio, instar alicuius stulti circumducebatur, suoque victori equum ascensuro suppedanei loco erat. REX qui in animum inducet suum, fieri posse, vt & ipse eò deueniat infortunij, vt totius mundi hominibus tali cum ignominia subijciatur, profectò, si sapiat, etiam atque etiam considerabit antequam vel minimo regni sui se præferat. SECVNDA est vt Reges & ij omnes, qui cum potestate alijs præpositi sunt, considerent non solùm pro se Deo reddendam rationem, sed pro ijs omnibus, quorum cura ijs commissa fuit in hac vita. ideóque *non solùm interrogandos & examinandos*

Baiazet mancipium factus G. 4. f. 42.

Intelligite Reges.

Regibus reddenda erit ratio supremo Regi.

obligatos se aduertunt iuxta exactam diuinæ iustitiæ stateram ad rationem reddendam eorum, quæ gesserunt.

Quo quis maiorem claritatem nominis inter mortales consequutus est, eò magis se debet humiliare.

SECTIO XLV.

OStendi suprà neminem ob magni nominis celebritatem & famam se extollere debere, sed illum, qui eam consequutus est, humiliare; tum quia famæ bonum est in sua origine & progressu valde incertum, quippe fundatum super mortalium opinionem, qui falluntur non rarò, fallunt autem sæpissime; tum quia angustis admodum terrarum spatijs, & adhuc angustioribus temporum terminatur. Quod lumine naturali etiam ipsi Ethnici cognouêre, dum scriptis monent, eam solùm æstimandam, quando seruit Reipub. vt gradu primo me dixisse memini. Hæc eadem argumenta suppeditant materiam, & formam secundi gradûs. Vt enim nullus propter amplitudinem sui

G. 1. C 77. 78.

Fama oppidò fragilis.

G. 1. C 78. 79. & 80.

Tertium Fulcimentum ACADEMIÆ HONORIS SVPER TERTIVM HVMILITATIS GRADVM.

QVI EST VELLE HVMILIARI.

Voluntas est sedes Humilitatis.

SECTIO I.

DIvis bene fauentibus ad tertium Academiæ honoris fulcimentum, & tertium item humilitatis gradum peruenimus: qui tertius gradus duos priores complectitur, & in hoc consistit, vt velis nihili æstimari, videri minimus inter omnes, & mordicus tenere ea, quibus ab illis duobus

imbutus iam est intellectus. Habet hic tertius gradus sedem suam in voluntate; estque basis ac fundamentum essentiæ veræ humilitatis. *ille humilis est, inquit Sanctus Augustinus, qui eligit abiectus esse in domo Dei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Electio ista est quædam prolusio voluntatis: dicit enim: *ille est humilis, qui cupit parui fieri; & qui hoc non cupit, nequit esse humilis*: vnde cõprehendit & supponit duos priores. Qui enim paruum se & omnium minimum non cognoscit, vt gradûs illi duo docent, non potest exequi, quod hic requirit, neque desiderare, vt æstimetur talis contra iudicium intellectûs. Illos igitur comprehendit & transcendit, quia illi fundati sunt in intellectu, & imbuti sui cognitione; hic autem in voluntate: quæ est facultas altioris ordinis, quæ nihilominus, instar sapientis Reginæ, non recedit à dictamine & decreto intellectûs; quia absque illis minimè potest subsistere, falso enim, imò quasi pendens in aëre, nulli inniteretur fundamento: illi autem, id est primus & secundus absque hoc subsistere possunt. quãquam tunc, propriè

Lib. de poen. c. 3. tom. 9. ex Psal. 83. v. 11.

Nemo desiderat parui se æstimari, nisi paruum se credat.

propriè loquendo, non essent humilitas, neque formales gradus illius, sed solùm materiales. Fit enim vt aliquis paruum, abiectum, ac ex omnibus minimum se agnoscat, qui tamen destituatur voluntate, vt habeatur & humilietur vt talis. ideoque ad veram humilitatis formam nondum ascendit, neque ascendet, antequam ad hunc tertium gradum, qui corde gerit humilitatis essentiam, pertigerit. nulla enim virtus est sine conuenientia voluntatis: in illis intellectus præfert facem & exhibet regulam, ad lucendum, & monstrandam viam voluntati, docetque hominem suum NIHIL, & VERITATEM, quam iuxta rectam rationem sequi debet. In hoc voluntas iam instructa, & luce tali irradiata sese excitat ad amorem humilitatis, sumitque animum ac vires ad dandum exequutioni, & in praxin reducendum, quod ratio primis duobus gradibus præscripsit, & designauit. Ideo porrigit clauem huius spiritualis ascensûs, & inchoat essentiam propriæ dictæ humilitatis. Et hoc est quod dicunt Theologi, eam in appetitu consistere, & non in-

Bern. in Cantic. serm. 42.

S. Thom. 2. 2. q. 161. a. 2.

in intellectu; primosque duos gradus in intellectu residentes nihil aliud esse, quàm sui ipsius cognitionem, directiuam appetitûs, ne se extollat ad ea, quæ sunt supra se: sed inter modestiæ limites se continens, erga magnos, paruos, primos mediocresque, vt decet, se habeat. Ad hunc gradum reducitur decimus SANCTI BENEDICTI, *qui est submittere se & obedire maiori*: item vndecimus, *qui est nolle facere propriam voluntatem*: quæ iuxta corruptæ naturæ inclinationem refugit humiliari & contemni. Reuocatur etiam huc quartus S. Anselmi, *qui est velle æstimari vilis & contemptibilis*: item septimus eiusdem Doctoris, qui est *sincerè amare talem de se conceptam ab aliis opinionem, & optare vt ea permaneat in cordibus eorum*: item tres Glossæ: *qui sunt se submittere maiori, & non se præferre æquali; se subijcere æquali, & non se præferre minori; submittere se minori, qui est fastigium perfectæ humilitatis.*

c. 1. f. 10.

De humilitate veritatis vel iudicij, item de humilitate cordis & affectionis iuxta Diuum Bernardum.

SE-

SECTIO II.

SAnctus Bernardus comparans humilitatem NARDO, arbusculæ quidem minimæ, sed suauissimi odoris, comprehendit duabus humilitatis speciebus seu partibus tres supra dictos gradus. earum partium alteram vocat humilitatem, quam VERITAS SEV IVDICIVM PARIT, alteram humilitatem CORDIS SEV AFFECTIONIS. Eum audiamus: *Est humilitas, inquit, quam nobis veritas parit, & non habet colorem, & est humilitas, quam Charitas format & inflammat. Atque hæc quidem in affectu, illa in cognitione consistit: Etenim, tu si temetipsum ad lumen veritatis, & sine dissimulatione inspicias, & sine palpatione diiudices, non dubito quin humilieris, & tu in oculis tuis factus vilior, tibi ex hac vera cognitione tui displiceas, quamuis fortasse necdum patiaris id esse in oculis aliorum.* & paulò post: *Vides igitur non esse idipsum, hominem de seipso non altum iam sapere, veritatis lumine redargutum, & humilibus sponte consentire, munere charitatis adiutum.* Audisti S. Bernardum asserentem suiipsius

In Cant. serm. 42.

Idem ibidem.

suæ exiguitatis, suorum peccatorum, vitiorumque cognitionem, per accuratum examen, per lumen veritatis in duobus primis gradibus acquisitam, exhibere materiam, & primam humilitatis partem; voluntatem autem & affectionem vt talis habearis (quo tertius gradus constituitur) dare formam, cor & veritatem humilitatis: ita vt humilitas tribus istis gradibus tanquam
G. 1. §. 5. materiâ & formâ constet. Iuxta hanc doctrinam, vt supra dictum est, definiuit S. Bernardus humilitatem hoc mo-
D. Bern. 12. grad. humil. do. *Humilitas est virtus, quâ homo verissimâ sui cognitione sibi ipsi vilescit.* Et alibi: *humilitas est contemptus propriæ excellentiæ: superbia* contrà, est *appetitus inordinatus propriæ excellentiæ.* Quocirca, si cognitio suiipsius non sit animata voluntate,
Aug. l. 1. retract. c. 13. non meretur nomen humilitatis; quia nulla virtus, est virtus, nisi sit voluntaria, neque vitium, vllum est vitium, nisi accedat voluntas. Ex his habetur quod diximus, nempe hoc tertio gradu constitui essentiam virtutis humilitatis. Quod etiam dictum volo non solùm de duobus prioribus, sed etiam de tribus sequentibus, qui omnes à voluntate

luntate formam & valorem accipiunt. Ferre enim patienter vt HVMILIER, est quartus gradus: qui venit à voluntate, VT EGO HVMILIER: eodem modo quærere occasiones, vt ego HVMILIER, ex eodem fonte profluit; sextus item, cuius est efficere, vt homo GAVDEAT DVM HVMILIATVR, voluntati innititur. Breuiter absque voluntate, nulla in vllo opere est animi oblectatio. omne siquidem quod fit contra voluntatem, ingratum est.

Sanctus Bernardus iam expositus dicit, quòd sola cordis humilitas, & non iudicij inueniebatur in Christo.

SECTIO III.

QVod S. Bernardus præallegato sermone dicit: *Saluatorem se exinaniuisse & humiliasse non necessitate iudicij, sed nostri charitate, quia poterat nimirum vilem se & contemptibilem demonstrare, sed non reputare, quia sciebat seipsum;* intelligi non debet ab eo ita dictum, quasi Christus in anima sua paruum se In Cant. serm. 42.

non æstimârit secundum humanitatem, quam comparatione diuinitatis exiguam admodum & quasi nihil agnoscebat; & tantò in hac vera scientia se ipsum humiliabat, quantò perfectius Maiestatem diuinæ essentiæ penetrabat, modisque infinitis esse maiorem vlla qualicunque creatura cognoscebat; sed vult præallegatus Sanctus significare, Saluatorem interius non se humiliasse & exinaniuisse more hominum, considerando sua peccata, infirmitates, imperfectiones, quia nullas, vt subdit idem sequentibus verbis, habebat: *non enim, inquit, quomodo ego vel tu inuenimus nos in veritate dignos dedecore & contemptu, dignos omni extremitate & infirmitate, dignos etiam suppliciis, dignos plagis: non inquam ita & ille. quæ tamen omnia expertus est, quia voluit, tanquam humilis corde. Humilis videlicet illa humilitate, quam cordis suasit affectio, non quam extorsit discussio veritatis.* Hæc D. Bernardus.

Quomodo Christus se humiliauit quà homo.

Humiliauit ergo se quà homo, non perpendendo suas infirmitates, quæ nullæ erant, quia erat SPECVLVM SINE MACVLA, SPECVLVM OMNIS PERFECTIONIS; sed in vera cognitione

tione exiguitatis naturæ humanæ collatæ diuinæ; in vera cognitione plenitudinis multiplicium gratiarum, innumerabilium priuilegiorum eidem naturæ collatorum, nominatim autem in vera cognitione ineffabilis coniunctionis hypostaticæ cum diuinitate; in vera cognitione infinitæ obligationis, ob quam se in dies, in momenta semper magis ac magis se humiliabat, ne tantorum beneficiorum vnquam inueniri posset ingratus. ita vt etiam in quantum Deus, se humiliârit, non vilem quidem se æstimando aut nihil, vt faciunt humiles sancti, sed dignando diuinam suam naturam coniungere humanæ, vt declaratum est supra in expositione verborum Sancti Pauli, vbi dicit *Filium Dei exinaniuisse seipsum, & factum esse hominem*; quæ exinanitio maior est, quàm vt vlla lingua valeat exprimere, aut vlla cogitatio comprehendere.

Et quomodo qua Deus.

Grad. 1. sect. 13. 14. Philipp. 2. 8. Heb. 2. 9.

Expositio tertij gradus, & quomodo quis desiderare debeat humiliari, & parui æstimari.

SECTIO IV.

LIquet ex ijs, quæ attuli, essentiam huius gradus esse, desiderare, & velle talem ab alijs haberi, qualem se quisque iuxta interiorem veritatem cognoscit, nimirum haberi, vt nihil, cùm reuerà sit nihil. Haberi inter omnes vilissimum, quia talem se iudicat. In summa tractari vt rem nullius valoris, vt abiectissimum, quia in secreto cônscientiæ suæ talem se inuenit. Absque hoc desiderio opinio interior se humiliandi, neq; est humilitas cordis, neque perfectionis vllius momenti, est quidem index, sed germen est flaccidum: quia vt dicit S. Bernardus: *si veritatis ipsius, quæ tibi veraciter atq; salubriter demonstrauit, sicut splendore illuminatus, ita affectus amore fuisses, voluisses proculdubio, quod in te est, eandem de te omnes tenere sententiam, quam ipsam apud te veritatem habere cognoscis.* Hæc D. Bernardus. Et ne quis de se ipso aliquid detegat, quod obesse possit proximo, addit hæc: *sanè quod in te est dixerim, quoniam plerumq; non expedit innotescere omnibus*

Qui non cupit humiliari, humilis non est.

In Cant. serm. 42.

bus omnia, quæ scimus de nobis, atq; ipsa veritatis charitate, & charitatis veritate vetamur palam fieri velle, quod noceat cognoscenti. Docet igitur hic mellifluus Doctor hominem, qui verè iuxta hunc gradum flagret desiderio humilitatis, debere quidem desiderare vt habeatur talis, qualem se sentit in veritate, sed tamen caueri vult omni studio, ne vel faciat, vel dicat aliquid, quo aut scandali aut sermonis alicuius sinistri det occasionem, quod vel in suæ existimationis aut boni publici vergat præiudicium: hoc enim non esset humilitatis, sed imprudentiæ & iniustitiæ opus; sed desiderare humiliari & vilipendi, quando fit absque Dei offensa, absque proximi malo & scandalo, ista est humilitas quam docemus.

Homo debet velle humiliari sine offensa alterius.

Quomodo saluator habuerit tertium humilitatis gradum eminenter.

SECTIO V.

NOn debet dubitari, quin Christus huius gradus vt aliorum omnium humilitatem in summa habuerit

habuerit perfectione, idque modis infinitis supra omnes sanctos, qui vel maximè exculti fuêre humilitatis virtute: sanctis enim inerat desiderium, vt parui ab hominibus æstimarentur & humiliarentur, eo in primis nomine, quod suum nihil, suas infirmitates spirituales, & peccata seriò perpendebant: ob quæ reuerà omni honore se indignissimos, contrà, contemptu & ludibrio dignissimos arbitrabantur; Christus autem quòd in hac vita inter mortales conuersans, abijci & despici voluit, merè id ex charitate, ad maiorem diuinæ Maiestati honorem deferendum, ad implendam Patris voluntatem, ad consummandum opus salutis humanæ fecit: quia non solùm, quà Deus præpotens, omni gloriâ, sed etiam quà homo, (tum propter ineffabilem vnionem personæ suæ cum diuinitate; tum etiam propter singulares gratias à Deo, interueniente dicta vnione, acceptas) erat dignissimus. *Dixi merè ex charitate*, quia eius voluntas patiendi opprobria, irrisiones & alia quæcunq; hominum maliciâ illi inferenda erant, non ex necessitate, aut casu aliquo.

Qualiter sancti se humiliarint.

Christus humilis corde.

Discite à me Matth. 11. 29.

Christus omni honore dignus, quà homo.

quo, vt sæpe euenit alijs mortalibus, sed ex plena deliberatione ea omnia sustinendi, prouenieb at. Iustorum equidem complures in multis inopinatis & improuisis casibus, vt Iob, Iosephus, Tobias, Dauid, & alij non pauci (esto parati mente ad eos excipiendos de manu Dei fuerint) humiliati sunt; alijs prorsus imparatis & inuitis acciderunt, sed quia modus non erat eos declinandi, fecêre ex necessitate virtutem: qualiter accidit Manassæ Regi Iuda, boni parentis malo filio; & malo principi tempore prosperitatis suæ, qui cùm per durissimam & ignominiosissimam captiuitatem humiliatus esset, manum Dei sentiens, diuinæ prouidentiæ & iustitiæ sese submittens, tandem se volens & lubens humiliauit, & ad salutarem pœnitentiam de peccatis agendam totum se conuertit: at verò Christus longè aliter, quia omnia perpetienda præuiderat & elegerat. Et quemadmodum pridie Passionis suæ, sciens & volens voluntati paternæ totum se obtulit, ita & primo vitæ suæ instanti ad omnia perferenda, quæ vsque ad mortem crucis pertulit, obtulerat; fuit-

Complures iusti humiliati sunt præter intentionem.

4. Reg. 21. 2. Paralip. 33. 11. 13.

Matth. 26. 42. Pater si non potest.

verè

verè humilis corde, & affectu, neque vnquam vllus sanctorum tantam opprobriorum molem sustinuit, neque tam ardenti, tam generosâ ac sincerâ voluntate passus est, atque ille. Ideo fuit hoc perfectissima idea & exemplar huius tertij gradus, qui est perfectio & fulcimentum aliorum. Quod vt rectè cognoscamus & prudenter imitemur, audiamus documenta, quæ de eo tradidit expressa viuis exemplis.

Abnegatio sui ipsius.

SECTIO VI.

PRimum & principale præceptum, quod Christus ad hunc tertium gradum suo loco rectè ponendum dedit, est ABNEGARE SEMETIPSUM, quod fit non solùm æstimatione sui nihili, & cognitione suæ inferioritatis (vt docent duo primi gradûs) sed vel maximè voluntate & affectu; quæ renunciatio omnino est necessaria ad viriliter contemnendas omnes vanitates, quæ impedimento esse possunt acquirendæ humilitati, & ad omne humiliationis

miliationis genus pro gloria Dei amplectendum. quod est esse humilem sincero cordis affectu, & non cogitatione tantùm & speculatione. Et hoc est, quod dicit Christus, *qui vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me.* Id est, si clarius explicari lubet, ei qui scholæ meæ discipulus esse desiderat, & addiscere lectionem, quæ non solùm verbis, sed vel maximè exemplis opere expressis prælego, quæ est *discite à me quia mitis sum & humilis corde*, opus est maturo consilio, animo masculo, & expeditâ atque deliberatâ voluntate, vt neque se, neque dona, quæ possidet, aut possidere potest, magni faciat, multò minus ob ea alijs se præferat, sed gerat oportet pectus imperterritum ad excipiendas humiliationes, irruptiones, & ad crucis vexillum in medias, quocunq; steterint loco, hostium acies inferendum. Et alibi ostendit, quòd, qui cogitat ædificare turrim, id est extruere in terris opus aliquod Christiano dignum, cuius fastigium ad cælos pertingat, conuehenda primo ei sint materialia, congregandi necessarij nummi; qui

Matth. 10. 38. 16. 24.

Luc. 14. 28. ibid. v. 31.

item

item suscipere bellum aliquod magni momenti magnam & sufficientem militum manum habeat oportet, idem agendum est ei, qui ædificium spirituale quodpiam erigendũ, aut bellum item spirituale gerendum aggreditur, & qui discipulus in eius Academia esse, ac miles sub eius vexillo regio (cui est propositum expugnare cælum opus quidem difficile, sed summi momenti) stipendia facere desiderat, renunciare debet omnibus quæ expectari possunt ab anima, à corpore, à mundo: ita enim suum Christus claudit decretum:

Luc. 14. 33. QVI NON RENVNCIAT OMNIBVS QVÆ POSSIDET, NON POTEST MEVS ESSE DISCIPVLVS.

Oportet ergo abnegare se ipsum, & omnia quæ ab anima, & quæ à corpore profluunt bona, quæque beneficio fortunæ possidentur. Iste est apparatus humilitatis, & ex consequenti vitæ perfectæ, & modus violenter cælum ipsum expugnandi & rapiendi. Apparatus magnorum ædificiorum materialium, & bellorum temporalium, est magnã vim auri & argenti congregare, multitudinem & varietatem lapidum

ac lignorum conuehere; magnos delectus militum facere, arma comparare; at verò apparatus humilitatis ad ducendam vitam, quæ aspiret ad perfectionem Christianam, ad gerendum bellum spirituale, quod assiduè instet victoriæ, & æternitatis coronæ acquirendæ. Quæ res in arduo est posita, & acquisitu omnium difficillima. Est enim ABNEGARE SE, & quæ intra & extra se sunt, ex animo; est velle humiliari in seipso, & in omnibus quæ possidet; est omnia contemnere, & in hoc contemptu & deliberata semel voluntate firmum & constantem instar Marpesiæ cautis permanere. Et ideo quidam sanctorum dicebat, neruos & vias humilitatis non esse manifestationem magnorum signorum, & miraculorum, sed expropriationem & nuditatem omnium rerum. Isthæc expropriatio & exspoliatio est, quam gradu primo diximus esse necessariam ad tollenda omnia impedimenta gratiæ Dei accipiendæ, & ad præparandam animam ad receptionem omnis generis donorum cælestium. Hic primò apparet praxis & exercitium istius expro-

Apparatus perfectionis Christianæ, & de bello spirituali.

Climach. grad. 25.

G. 1. § 28.

Ee priationis,

priationis, hic enim tertius gradus imprimit & sculpsit in voluntate, quod primus & secundus in intellectu, illi versantur circa cognitionem, hic vlterius progrediens, amat & exercet quod illi cognouere.

De eadem sui abnegatione, & eorum quæ possidentur.

SECTIO VII.

Abnegare seipsum, est lubens & volens renunciare omnibus animæ bonis, quæ propriè possidentur, & verè vocantur nostra: abnegare autem, seu renunciare ei omni, quod per modum possessionis habetur, est renunciare bonis corporis, bonis mundi vel fortunæ, quæ etiam ab homine possideri dicuntur, licet ea possessio remotior sit, quàm sit bonorum animæ & corporis. Christus vtramque hanc abnegationem in suas redegit classes, PRIMAM tetigit quando dixit: *qui vult venire post me, abneget semetipsum.* SECVNDAM quando dixit: *omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*, vtraque autem simul accepta

Duplex genus abnegationis.

Matth. 16. 24.
Luc. 14. 33.
Matth. 10. 38.

accepta docet nullam suiipsius rationem habendam, fortissimè apud se statuendum de abnegando iudicio, de relinquenda propria voluntate, de profundenda vita, de omnibus bonis, siue ea intra, siue extra sint, negligendis; contrà, de arripiendis ambabus manibus omnis omnino generis humiliationibus opprobrijs, ludibrijs (vt fecit Iob) quando in quæstionem vocatur Dei honor, salus propria, & proximi. Et ad hanc voluntatem præstandam paratus debet esse omnis Christianus, sub pœna exclusionis à schola & regno Christi. non quod necesse sit re ipsâ relinquere bona, contemnere honores, prodigere vitam absque causa, sed vt paratus sit id facere potius, quàm peccare, quàm Dei honorem negligere, quàm salutem propriam, aut aliorum in discrimen adducere. Multi in possessione rerum suarum, vt Abraham, Isaac, Iacob permanserunt; & multi Reges, tum in veteri, tum in noua lege dignitates, diuitiasque retinuerunt, & simul Dei amici, diuinæque Maiestatis fidelissimi serui perstiterunt; sed semper promptam & paratam habuêre

Omnes boni serui Dei parati esse debent omnia perdere propter Dei seruitium.

voluntatem pro Dei gloria quolibet momento bona ac dignitates relinquendi. Sufficit ergo si non datur vltrà, habere deliberatam voluntatem exponendi vitam, & alia, quando exigeret occasio, vt habuêre olim, & etiam hodie habent Christiani, Martyres, Confessores, Virgines. Et vt summatim dicam, ista est renunciatio, quam habere debent quotquot nomine discipulorum recipi volunt ad Academiam honoris Christi, ad scholam humilitatis, & quotquot exsurgere cupiunt muros turris Euangelicæ, & scalas gloriæ diuinæ in quibus, & ex quibus prosternendi, & præcipitandi sunt iurati hostes nostræ salutis, ad reportandam gloriosam victoriam, obtentam contra mundum, contra carnem, contra Diabolum.

De abnegatione & subiectione intellectûs.

SECTIO VIII.

Grad. 1. c. 36. 1. & 2. de

QVæ protuli breuiter in genere de sui abnegatione, comprehendendo

hendendo abnegationem omnium rerum, quæ quocunque modo possidentur; eadem nunc in suas species, & quasi membra partiens, fusius explicabo. Enumeraui primo gradu tria genera bonorum, quæ ab homine possidentur, vel possideri possunt. *bona animæ dixi esse bonum intellectum, prudens iudicium, & viuacem memoriam: bona autem corporis esse sanitatem, fortitudinem, & pulchritudinem, ac demum mundana, quæ & externa ac fortunæ nuncupantur, dixi esse opes, honores, & his similia.* In eodem gradu per modum cognitionis docui neminem in seipso superbire debere; in secundo ne occasionem quidem inde sumere alios contemnendi, aut se ijs præferendi; hîc autem re ipsa iuxta naturam & exigentiam huius tertij gradûs mihi demonstrandum est, oportere hominem ea omnia submittere legi & voluntati diuinæ, & ijs vti solummodo secundum diuina eius præcepta, eademque adhibere ad locanda solidè humilitatis fundamenta. Sumamus igitur initium ab ijs, quæ primum bonorum genus constituunt nempe animæ: Is qui habet intellectum subtilem,

immen. de Orat. in topic. in part. Plato in Eutydemo tom. 1. Arist. lib. 7. Polit. c. 1. Laert. lib. 3. de vita Philosophorum in Platone post medium.

Humilitas intellectus. & capacem aut habere se putat ad facile comprehendendam Theoriam seu speculationem rerum omnium, etiam difficillimarum, sibi ipsi voluntate prorsus generosâ imperet, ne istius sui ingenij viuacitatem vllo modo æstimet, neúe applicet ad res alias, quàm ad eas, quæ prosint, iuxta diuinæ sapientiæ ordinationem, animæ suæ: ideóque ab eo remouenda est omnis curiosa vanarum scientiarum indagatio; omnia autem, quæ ad cælum pandunt iter, quæ methodum inuestigant ad solidas virtutes acquirendas, quæque cauent, ne intellectûs nostri volatus nimiùm alta petat, seque inter nubila suæ imaginationis perdat, toto pectore amplectenda sunt. Ne si secus fecerimus, nobis eueniat quod Philosopho Thaleti euenisse narrat Laërtius: Lib. 1. de vita Philosophorum. is cùm quadam die considerando cælorum reuolutiones, nimia raptus esset ecstasi, incidit in altam foueam, non sine præsenti vitæ periculo. Voluntatem insuper imbuat præceptis, quibus moderetur excessus sui appetitûs: eadem voluntas tanquam regina in throno imperet intellectui, quatenus sibi argu-

argumenta & rationes suppeditet ad amandam humilitatem intellectûs, ne volatum suum altius instituat, quàm oportet; Sed Sancti Pauli ad Romanos scribentis doctrinæ sese conformet. *Noli*, inquit, *altum sapere, sed time*. item, *gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus, non alta sapientes, sed humilibus consentientes. nolite esse prudentes apud vosmetipsos.* Hoc est frenum quod humilis voluntas, & bene instructa in saluatoris Academia inijcere debet intellectui; vt in perfecta subiectione eum tenens, nunquam sinat exorbitare, sed contineat plena cum resignatione intra limites modestiæ.

Prima felicitatis pars sapientia. Prou. 87. Chil. 5. cent. 1. Rom. 11. 20. Rom. 12. 16.

De abnegatione & subiectione iudicij.

SECTIO IX.

POstulat hic gradus, vt homo studiosus & amans humilitatis iudicium suum legi diuinæ subijciat, efficiatque vt illud intra sphæram suæ capacitatis se contineat: neque ad ea aspiret, quæ suâ altitudine illud excedunt; neque res diuinas, aut etiam hu-

manas intellectûs sui exiguitate, & quasi pede suo metiri præsumat. amet autem quod Deus amat, decernatque credere id, quod credendum proponit, & præcipit suæ Ecclesiæ: esto id captum suum multùm superet. Et vbi mysterium aliquod ei fuerit propositum, quod iudicij sui acumine nequiuerit penetrare, vt sunt articuli nostræ fidei, meminerit continuò humiliter se submittere Dei verbo, firmissimè tenens id esse verissimum, quod suprema asserit veritas, licet clara eius notitia, causæque eum fugiant. Vbi taliter formârit & obfirmârit voluntatem, nullo negotio fide tenebit, quod in Baptismo aqua agat in animam, eamque virtute supernaturali (non obstante quòd suggerat natura corpus in spiritum non habere vim agendi) purificet: Credet corpus Christi in Eucharistiæ Sacramento cum omnibus suis dimensionibus esse realiter præsens, quia Deus, qui id dixit, non alligatur naturæ legibus, quas ipse constituit; Credet humana mortuorum corpora in supremo iudicij die resurrectura, licet natura assequi nequeat, quomodo is, qui

Iudicium submittendum mysterijs fidei. G. 3. s. 16.

qui in puluerem & cinerem redactus est, qui deuoratus est à leonibus, comestus à piscibus, absumptus ab auibus, mutatus in corpus prorsus diuersum ab eo, quod erat, vitam resumat, & in substantiam humanam, post tot mutationes, post tot annorum interualla redeat: conetur, voluntate magistrâ, edocere suum iudicium submittere se fidei plurimorum miraculorum, quæ Deus in ipsa produxit natura, audiatq; lectionem humilitatis, quâ Deus Iobum instruit circa sua opera: *Accinge, inquit, sicut vir lumbos tuos: interrogabo te, responde mihi, vbi eras quando ponebam fundamenta terræ? indica mihi si habes intelligentiam. Quis posuit mensuras eius, si nosti? aut quis tetendit super eam lineam? super quo bases eius solidatæ sunt? aut quis demisit lapidem angularem eius?* Eò hæc à Deo dicuntur, vt homo ingenij sui intelligat imbecillitatem ad penetranda ea, quæ ipse produxit in natura. & in specie, ad penetrandam rem, non absconditam, non abstrusam, sed quæ sensu percipitur, & experientiâ tangitur: neque tamen rectum de eo formari potest iudicium. Cernit quilibet terram non tam fundatam esse, quàm

Iob. 38. 3.

suspensam in medio totius vniuersi, absque vllis omnino fundamentis, & semper inferiora occupare; cælum autem, à quo ea omni ex parte cingitur, superiora; cernit item eam inhabitari & calcari ab hominibus pariter & bestijs, pedem pedi, & vestigia vestigijs opponi, erecto tamen versus cælum semper hominem incedere capite; Antipodas habere plantas nostris prorsus oppositas. Adde quòd eos nos imaginamur, quasi propendeant versus cælum, & illi ijdem de nobis idem formant iudicium, & tamen eodem modo, quo nos erecti supra se aspiciunt cælum. Omnes hæc vident, sed quis ea assequitur? quis eorum reddit rationem? quis causas in medium profert? Equidem si quispiam Philosophorum id arroganter profiteri audeat, Dei conuincetur testimonio, qui ipsi Iob seruo suo, viro sapientissimo hanc difficultatem proponit & exaggerat, tanquam iudicio humano impenetrabilem.

Antipodes
Cic. 2. Acad. & in somn. Scipionis.

37. 16.
38. 5.

Infirmitas

Infirmitas iudicij humani circa considerationem plurium effectuum humanorum.

SECTIO X.

VT homo voluntatem suam promptam & celerem reddat ad consentiendum ijs omnibus, quæ Deus illi modo supernaturali, & ingenij humani captum excedenti circa mysteria cælestia, absque aliqua eorum euidentia, proposuit credenda; illi aliqua rerum naturalium exempla (quibus intelligendis, postquam multum operæ frustrà impenderit, ijs iudicium suum, victus difficultate, submittere debebit) ob oculos ponet; in genere quidem, productionem animalium, quæ è sinu quatuor elementorum, aquæ, terræ, aëris & ignis progenerantur. vrgebitque an eorum qualitates, modos operandi, rationem educandæ prolis, & durationis tempora intelligat; proponet admiranda quædam, quæ in nonnullis piscibus inueniuntur; magnitudinem V. G. balenarum,

G. 1. f. 41.

Mira quædam in piscib. Arist. l. 9. de hist. animal. c. 2.

De agilitate Delphinorum c. 48.

rum, quæ adæquant montes; agilitatem Delphinorum, qui volatum Aquilæ, Regis volucrum exsuperant; fortitudinem remoræ, quæ cùm non excedat humani pedis longitudinem, tamen maximæ nauis, validissimisq; ventis impulsæ cursum sistere consueuit:

Idem l. 9. c. 8. 9. 10.

Interrogabit item an volatilium, incolarum aëris, naturam, figuram, alarum remigia, rostrorum & plumarum varietatem, ac colorem norit? an Alcyonum minimarum auicularum in ipso Oceano nidificandi, & in eodem pullos excludendi modum habeat perspectum, an & qualiter inducias, & quasi fœdus tantisper cum furiosis elementis inierint, ne se opponant, neúe vim suam exerant, donec serenitate temporis fauente, pullos feliciter excludant, & è nidis educant; Quin & vrgendo petet, an pauonis generationem penetrârit, an varietatem plumarum velut encausto pulcherrimorum colorum depictarum intelligentiâ assequutus sit? an æquè intelligere, ac admirari possit pulchritudinem auis dictæ Cardinalis Brasiliæ, quæ sua magnitudine fere æquat auem, quam alij Albiculam,

Alcyones.

Prou. 84. Chil. 4. cent. 1. pauonem vt pueri laudant.

Auis dicta Cardinalis.

alij Albardeolam vocant. ea est rostro & collo oblongo ac falcato, cruribus item dictis partibus proportionatis etiam oblongis, tegiturque plumis velut pallio quodam coccinei coloris, ita viuidi, ita fulgentis, vt parem in arte non sit reperire; pallij huius extremitates terminant pennæ quatuor crassiores reliquis, tinctæ colore violaceo, parem cum superiore viuacitatem spirante; masculus caput, & partem colli duos vel tres pollices latam, quæ proximè iungitur capiti, habet coloris cinerici, reliquam partem rubram, vt corpus. Et poteritne is, qui supernaturalia humanâ ratione consequi vellet, acumine sui intellectûs & iudicij penetrare causas illius naturalis purpurei, cinericei & in extremitatibus violacei coloris, quasi manu & arte adiecti? Vlterius interrogetur an auis, quam PARADISIACAM vocant, & alio nomine MONOCODIATAM quæ partim flaui, partim viridis, partim etiam in alis castanei, accedentis ad purpuram, coloris est, & fertur esse absq; pedibus, viuens in aëre, nunquam attingens terram, nisi mortua, naturam

Lopes in hist. Indic. Occident. c. 96.

at

& qualitates explicare valeat? Quæ, missis apibus (quæ volatu suo longius ab oculis nostris recedunt) sunt viciniora, contemplemur, nostiné naturam canum, & admirandam venandi, quam naso gerunt, scientiam; nostiné fortitudinem, atque arma, quæ ad bellum suum gerendum ore ferunt per idonea? Dic quomodo ignis, qui vi suâ omnia consumit, omnia in cineres redigit, è gremio suo educat muscas quasdam, easdemque eductas nutriat? quomodo aquæ frigidissimæ calci affusæ producant ignem. Et vbi voluntas induxerit iudicium, vt fateatur se neque modos, neque causas harum rerum naturalium, quas oculis coram præsens cernit, posse comprehendere, ei imperabit, vt in omnibus quidem se humiliet, sed præcipuè in ijs, quæ longè altioris sunt ordinis, & modis infinitis ab istis naturalibus distant, suntq; de manu ipsius creatoris factæ & constitutæ in ædificationem œconomiæ mysteriorum Ecclesiæ, iudicium verò edoctum iam se humiliare consideratione suæ infirmitatis, & tot difficultatum rerum naturalium percipiendarum

Canis præstat odoratu.

Ignis generat muscas.

Aqua ignem.

rum

rum suadebit vicissim voluntati vt immobiliter permaneat in facta & stabilita semel deliberatione, de omnibus animæ facultatibus legi diuinæ subijciendis, deque nunquam permittendo, vt aliqua ex ijs se extollat per superbiam, aut per rebellionem se opponat, detrahatué fidei rerum diuinarum, vel eas metiatur iuxta captum sui ingenij, vt faciunt infideles, & superbi, sed se humiliet & subijciat Maiestati diuinorum mysteriorum, ac verbo Dei iuxta directionem sanctissimæ eius Ecclesiæ.

De abnegatione & subiectione memoria.

SECTIO XI.

VOluntatis etiam officium est, in omni abnegatione & subiectione continere memoriam. quod officium in hoc potissimùm consistit, vt nihil vel admittat, vel retineat, quod animæ saluti quacunque ratione officere possit: contrà, vt ea omnia admittat, & conseruet, quæ eidem conducunt ad felicitatem sempiternam. Illius Grad. 1. sect. 42.

est,

est, tanquam Heræ domus, illi imperare, vt patentes habeat portas ad introducenda ea, quæ animæ prosunt; contrà, vt easdem clausas teneat non tantùm ad arcendum aditum erroneæ doctrinæ, nequitiæ hæreseos, & similium; sed etiam rerum curiosarum, quæ in anima ingenerare possunt noxios humores spirituales. Et, vt prudens & accuratus medicus, cauere debet, ne in animæ stomachum ingrediatur, aut si iam ingressus est, ne ibi hæreat aliquis insalubris cibus spiritualis, qui vel peccatum, vel mortem ipsam inibi procreare valeat. Isthæc est abnegatio & subiectio intellectûs, iudicij, & memoriæ, trium nobilissimarum animæ facultatum.

De excellentia voluntatis. item de bona & mala voluntate.

SECTIO XII.

c.3. s. 6. 7. de voluntatis abneg. 8. 3. 6. 21.

QVia abnegatio voluntatis est fundamẽtum abnegationis suiipsius, de qua suprà, ideo vt ea bene cognoscatur, rudioribus quibusdam

busdam delineamentis depingenda est eius excellentia. Ea verò tanta est, vt eâ in homine nihil diuinius reperiatur. Ea cor & vitam tribuit animæ; alijs autem facultatibus motum & vigorem omnem. ea intellectui, iudicio, memoriæ, sensibus tum interioribus, tum exterioribus, vt domina ancillis imperat; ea libero arbitrio dotata cùm sit, suarum actionum, & deliberationum domina est absoluta: vnde in eius est potestate eligere quod lubet, & respuere quod displicet: in quo ea veram Dei portat imaginem; tali enim homo ditatus libertate, gerit similitudinem omnipotentiæ, quâ fretus à nemine potest cogi, gerit bonitatis infinitæ, quâ absque vlla mensura & termino (nisi morte interueniente) virtutum incrementa semper maiora & maiora potest capere; gerit infinitæ sapientiæ, cùm in eius sit situm arbitrio, vt edi-scens semper bona, ea sectetur; mala verò auersetur. Hæc facultas tanquam Regina manu sceptrum tenens totum animæ regnum administrat; intellectus & iudicium ei ab intimis sunt consilijs; memoria thesaurorum eius gerens cla-

Tertul. l. 2. de Deo iusto contra Marcionem c. 5.

 ues,

ues. depromit abundè suis temporibus. quæ necessaria sunt; sed illa, & huic & illis imperat, regitque omnes hominis potentias, ac eius actiones titulo boni, vel mali insignit. Quæ vel humanæ sint, eius sigillo insignitæ sint oportet; omniaque nostra opera ab ea valorem suum & formam, non secus ac moneta ab eo, qui eam cudi mandat, accipiunt. Postquam enim actum quempiam bonum vel malum voluntas suo obsignauit consensu, is humanus vocatur, & non aliter. neque absq; eius commercio quicquam vel laude vel vituperio dignum est. Intellectus suadet; illa quod placet exequutioni mandari iubet; memoria illi repræsentat bona, penes illam est vel acceptare vel recusare: sicut & suggestum ab intellectu bonum consilium, in eius potestate est accipere, vel respuere: esto cum Medæa dicat, *meliora probo, deteriora sequor.* Tantum potest illa Domina, tantæque potentiæ & liberalitatis est ille dominus, qui ei elargitus est illam potestatem, per quam in homine imaginem ac formam suæ magnitudinis, suæ sapientiæ, bonitatisque diuinitus impressit.

Tertul. vbi supra c. 6.

impressit. Porrò vt intelligatur qualiter abneganda sit voluntas, notandum est, eam posse esse bonam, & similiter malam: vt colligi potest ex dictis: bona est quando diuinæ est conformis, & ea eligit, quæ eius legibus sunt consentanea; mala autem quando ab ea recedit, eiusque mandata negligit, & appetere incipit res mundanas, & sequi inordinatos & sensuales affectus suos. Hanc voluntatem sancti vocant propriam, quia non communicat cum diuina, sed propria & peculiaris est homini, vel angelo: de cuius voluntatis abnegatione nunc sermo est instituendus.

Bona voluntas conformis est diuino. Mala autem à sanctis vocatur propria.

De bona voluntate, & de abnegatione, & subiectione propria.

SECTIO XIII.

Bona voluntas, est angelica aut humana voluntas ad diuinam conformata, quæ vult ea, quæ Deus vult, & odit vicissim, quæ Deus odit. Hæc est primum semen & princeps omnium omnino virtutum, ac bonarum actionum; *propria autem voluntas,*

quam superiori sectione descripsi, contraria est diuina, proprium superbiæ germen, radix omnium vitiorum, & flagitiorum mater. ideoque necesse est, vt eam efficiamus bonam, & conformem voluntati diuinæ, ab omnibus eam vitijs expurgare. Et hoc est, quod in oratione à filio Dei, verâ & incarnatâ sapientiâ, præscriptâ quotidie petimus dum dicimus: *fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra.* quod est dicere: vt angeli, & spiritûs beatorum in cælis vniti sunt, & subiecti diuinæ voluntati, perfectam ei præstantes obedientiam, ita desiderare nos, licet longè remissius & imperfectius [quæ est vitæ huius conditio] nostras mentes conformes fieri diuinæ, eiq; per omnia obedientes subiectasque esse sanctissimis eius legibus & mandatis. Atqui hoc est principale sui ipsius & abnegationis & abrenunciationis punctum, cui anima generosa inhærere debet, vt Christi insistat vestigijs. Quicunque enim forti & constanti animo decreuit suam voluntatem integrè Dei voluntati subijcere, nulla in vita Christiana tam ardua ei occurret difficultas, quam non superet; quia cùm eius voluntas

Matth. 6. 10.

luntas per vnionem cum diuina effecta sit quasi omnipotens, quasi sapientissima, & quasi optima, nulla ita in arduo posita est virtus, quam indipisci non possit, nullumque opus tam difficile, quod ad constitutum finem non possit perducere. Hier. 181

De abnegatione propriæ voluntatis ad exemplum Christi.

SECTIO XIV.

QVandoquidem Christianus quisquis Christi debet esse discipulus, nulloque pacto ab eius doctrina & vestigijs recedere, cùm sit *Via, Veritas & Vita*: ab eodem virtutum omnium exercitationem, præsertim verò abnegationis, reliquarum fundamenti, quam cùm verbis, tum exemplis excellentissimè idem Christus optimus Magister docuit, ediscat oportet. *Veni*, inquit, *non vt facerem voluntatem meam, sed eius qui misit me Patris*: Et alibi, *non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.* item, *descendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, sed eius qui misit me.* Ioannis 14. 6. Ioannis 5. 30. Ioanuis 6. 38.

suspensam in medio totius vniuersi, absque vllis omnino fundamentis, & semper inferiora occupare; cælum autem, à quo ea omni ex parte cingitur, superiora; cernit item eam inhabitari & calcari ab hominibus pariter & bestijs, pedem pedi, & vestigia vestigijs opponi, erecto tamen versus cælum semper hominem incedere capite; Antipodas habere plantas nostris prorsus oppositas. Adde quòd eos nos imaginamur, quasi propendeant versus cælum, & illi ijdem de nobis idem formant iudicium, & tamen eodem modo, quo nos erecti supra se aspiciunt cælum. Omnes hæc vident, sed quis ea assequitur? quis eorum reddit rationem? quis causas in medium profert? Equidem si quispiam Philosophorum id arroganter profiteri audeat, Dei conuincetur testimonio, qui ipsi Iob seruo suo, viro sapientissimo hanc difficultatem proponit & exaggerat, tanquam iudicio humano impenetrabilem.

Antipodes. Cic. 2. Acad. & in somn. Scipionis.

37. 16. 38. 5.

Infirmitas

Infirmitas iudicij humani circa considerationem plurium effectuum humanorum.

SECTIO X.

VT homo voluntatem suam promptam & celerem reddat ad consentiendum ijs omnibus, quæ Deus illi modo supernaturali, & ingenij humani captum excedenti circa mysteria cælestia, absque aliqua eorum euidentia, proposuit credenda; illi aliqua rerum naturalium exempla (quibus intelligendis, postquam multum operæ frustrà impenderit, ijs iudicium suum, victus difficultate, submittere debebit) ob oculos ponet; in genere quidem, productionem animalium, quæ è sinu quatuor elementorum, aquæ, terræ, aëris & ignis progenerantur. vrgebitque an eorum qualitates, modos operandi, rationem educandæ prolis, & durationis tempora intelligat; proponet admiranda quædam, quæ in nonnullis piscibus inueniuntur; magnitudinem V. G. balenarum,

G. 1. f. 41.

Mira quædam in piscib. Arist. l. 9. de hist. animal. c. 2.

De agilitate Delphinorum c. 48.

rum, quæ adæquant montes; agilitatem Delphinorum, qui volatum Aquilæ, Regis volucrum exsuperant; fortitudinem remoræ, quæ cùm non excedat humani pedis longitudinem, tamen maximæ nauis, validissimisq; ventis impulsæ cursum sistere consueuit:

Idem l. 9. c. 8. 9. 10.

Interrogabit item an volatilium, incolarum aëris, naturam, figuram, alarum remigia, rostrorum & plumarum varietatem, ac colorem norit? an Alcyonum minimarum auicularum in ipso Oceano nidificandi, & in eodem pullos excludendi modum habeat perspectum, an & qualiter inducias, & quasi fœdus tantisper cum furiosis elementis inierint, ne se opponant, neúe vim suam exerant, donec serenitate temporis fauente, pullos feliciter excludant, & è nidis educant; Quin & vrgendo petet, an pauonis generationem penetrârit, an varietatem plumarum velut encausto pulcherrimorum colorum depictarum intelligentiâ assequutus sit? an æquè intelligere, ac admirari possit pulchritudinem auis dictæ Cardinalis Brasiliæ, quæ sua magnitudine fere æquat auem, quam alij Albiculam,

Alcyones.

Prou. 84. Chil. 4. cent. 1. pauonem vt pueri laudant.

Auis dicta Cardinalis.

aiij

alij Albardeolam vocant. ea est rostro & collo oblongo ac falcato, cruribus item dictis partibus proportionatis etiam oblongis, tegiturque plumis velut pallio quodam coccinei coloris, ita viuidi, ita fulgentis, vt parem in arte non sit reperire; pallij huius extremitates terminant pennæ quatuor crassiores reliquis, tinctæ colore violaceo, parem cum superiore viuacitatem spirante; masculus caput, & partem colli duos vel tres pollices latam, quæ proximè iungitur capiti, habet coloris cinerici, reliquam partem rubram, vt corpus. Et poteritne is, qui supernaturalia humanâ ratione consequi vellet, acumine sui intellectûs & iudicij penetrare causas illius naturalis purpurei, cinericei & in extremitatibus violacei coloris, quasi manu & arte adiecti? Vlterius interrogetur an auis, quam PARADISIACAM vocant, & alio nomine MONOCODIATAM quæ partim flaui, partim viridis, partim etiam in alis castanei, accedentis ad purpuram, coloris est, & fertur esse absq; pedibus, viuens in aëre, nunquam attingens terram, nisi mortua, naturam

Lopes in hist. Indic. Occident. c. 96.

&

& qualitates explicare valeat? Quæ, missis auibus (quæ volatu suo longius ab oculis nostris recedunt) sunt viciniora, contemplemur, nostiné naturam canum, & admirandam venandi, quam naso gerunt, scientiam; nostiné fortitudinem, atque arma, quæ ad bellum suum gerendum ore ferunt peridonea? Dic quomodo ignis, qui vi suâ omnia consumit, omnia in cineres redigit, è gremio suo educat muscas quasdam, easdemque eductas nutriat? quomodo aquæ frigidissimæ calci affusæ producant ignem. Et vbi voluntas induxerit iudicium, vt fateatur se neque modos, neque causas harum rerum naturalium, quas oculis coram præsens cernit, posse comprehendere, ei imperabit, vt in omnibus quidem se humiliet, sed præcipuè in ijs, quæ longè altioris sunt ordinis, & modis infinitis ab istis naturalibus distant, suntq; de manu ipsius creatoris factæ & constitutæ in ædificationem œconomiæ mysteriorum Ecclesiæ, iudicium verò edoctum iam se humiliare considerationе suæ infirmitatis, & tot difficultatum rerum naturalium percipiendarum

Canis præstat odoratu.

Ignis generat muscas.

Aqua ignem.

rum

rum suadebit vicissim voluntati vt immobiliter permaneat in facta & stabilita semel deliberatione, de omnibus animæ facultatibus legi diuinæ subijciendis, deque nunquam permittendo, vt aliqua ex ijs se extollat per superbiam, aut per rebellionem se opponat, detrahatué fidei rerum diuinarum, vel eas metiatur iuxta captum sui ingenij, vt faciunt infideles, & superbi, sed se humiliet & subijciat Maiestati diuinorum mysteriorum, ac verbo Dei iuxta directionem sanctissimæ eius Ecclesiæ.

De abnegatione & subiectione memoriæ.

SECTIO XI.

VOluntatis etiam officium est, in omni abnegatione & subiectione continere memoriam. quod officium in hoc potissimùm consistit, vt nihil vel admittat, vel retineat, quod animæ saluti quacunque ratione officere possit: contrà, vt ea omnia admittat, & conseruet, quæ eidem conducunt ad felicitatem sempiternam. Illius Grad. 1. sect. 42.

est, tanquam Heræ domus, illi imperare, vt patentes habeat portas ad introducenda ea, quæ animæ prosunt; contrà, vt easdem clausas teneat non tantùm ad arcendum aditum erroneæ doctrinæ, nequitiæ hæreseos, & similium; sed etiam rerum curiosarum, quæ in anima ingenerare possunt noxios humores spirituales. Et, vt prudens & accuratus medicus, cauere debet, ne in animæ stomachum ingrediatur, aut si iam ingressus est, ne ibi hæreat aliquis insalubris cibus spiritualis, qui vel peccatum, vel mortem ipsam inibi procreare valeat. Isthæc est abnegatio & subiectio intellectûs, iudicij, & memoriæ, trium nobilissimarum animæ facultatum.

De excellentia voluntatis. item de bona & mala voluntate.

SECTIO XII.

c.3. s. 6. 7. de voluntatis abneg. g. 3. & 21.

QVia abnegatio voluntatis est fundamẽtum abnegationis suiipsius, de qua suprà, ideo vt ea bene cognoscatur, rudioribus quibusdam

busdam delineamentis depingenda est eius excellentia. Ea verò tanta est, vt eâ in homine nihil diuinius reperiatur. Ea cor & vitam tribuit animæ; alijs autem facultatibus motum & vigorem omnem. ea intellectui, iudicio, memoriæ, sensibus tum interioribus, tum exterioribus, vt domina ancillis imperat; ea libero arbitrio dotata cùm sit, suarum actionum, & deliberationum domina est absoluta: vnde in eius est potestate eligere quod lubet, & respuere quod displicet: in quo ea veram Dei portat imaginem; tali enim homo ditatus libertate, gerit similitudinem omnipotentiæ, quâ fretus à nemine potest cogi, gerit bonitatis infinitæ, quâ absque vlla mensura & termino (nisi morte interueniente) virtutum incrementa semper maiora & maiora potest capere; gerit infinitæ sapientiæ, cùm in eius sit situm arbitrio, vt ediscens semper bona, ea sectetur; mala verò auersetur. Hæc facultas tanquam Regina manu sceptrum tenens totum animæ regnum administrat; intellectus & iudicium ei ab intimis sunt consilijs; memoria thesaurorum eius gerens cla-

Tertul. l. 2. de Deo iusto contra Marcionem c. 5.

 ues,

ues, depromit abundè suis temporibus, quæ necessaria sunt; sed illa, & huic & illis imperat, regitque omnes hominis potentias, ac eius actiones titulo boni, vel mali insignit. Quæ vero humanæ sint, eius sigillo insignitæ sint oportet; omniaque nostra opera ab ea valorem suum & formam, non secus ac moneta ab eo, qui eam cudi mandat, accipiunt. Postquam enim actum quempiam bonum vel malum voluntas suo obsignauit consensu, is humanus vocatur, & non aliter. neque absq; eius commercio quicquam vel laude vel vituperio dignum est. Intellectus suadet; illa quod placet exequutioni mandari iubet; memoria illi repræsentat bona, penes illam est vel acceptare vel recusare: sicut & suggestum ab intellectu bonum consilium, in eius potestate est accipere, vel respuere: esto cum Medæa dicat, *meliora probo, deteriora sequor*. Tantum potest illa Domina, tantæque potentiæ & liberalitatis est ille dominus, qui ei elargitus est illam potestatem, per quam in homine imaginem ac formam suæ magnitudinis, suæ sapientiæ, bonitatisque diuinitus impressit.

Tertul. vbi supra c. 6.

impressit. Porrò vt intelligatur qualiter abneganda sit voluntas, notandum est, eam posse esse bonam, & similiter malam: vt colligi potest ex dictis: bona est quando diuinæ est conformis, & ea eligit, quæ eius legibus sunt consentanea; mala autem quando ab ea recedit, eiusque mandata negligit, & appetere incipit res mundanas, & sequi inordinatos & sensuales affectus suos. Hanc voluntatem sancti vocant propriam, quia non communicat cum diuina, sed propria & peculiaris est homini, vel angelo: de cuius voluntatis abnegatione nunc sermo est instituendus.

Bona voluntas conformis est diuinæ. Mala autem à sanctis vocatur propria.

De bona voluntate, & de abnegatione, & subiectione propriæ.

SECTIO XIII.

Bona voluntas, est angelica aut humana voluntas ad diuinam conformata, quæ vult ea, quæ Deus vult, & odit vicissim, quæ Deus odit. Hæc est primum semen & princeps omnium omnino virtutum, ac bonarum actionum; *propria autem voluntas,*

luntas per vnionem cum diuina effecta sit quasi omnipotens, quasi sapientissima, & quasi optima, nulla ita in arduo posita est virtus, quam indipisci non possit, nullumque opus tam difficile, quod ad constitutum finem non possit perducere. Hier. 18.

De abnegatione propriæ voluntatis ad exemplum Christi.

SECTIO XIV.

QVandoquidem Christianus quiquis Christi debet esse discipulus, nulloque pacto ab eius doctrina & vestigijs recedere, cùm sit *Via, Veritas & Vita:* ab eodem virtutum omnium exercitationem, præsertim verò abnegationis, reliquarum fundamenti, quam cùm verbis, tum exemplis excellentissimè idem Christus optimus Magister docuit, ediscat oportet. *Veni,* inquit, *non vt facerem voluntatem meam, sed eius qui misit me Patris:* Et alibi, *non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.* item, *descendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, sed eius qui misit me.* Ioannis 14. 6. Ioannis 5. 30. Ioannis 6. 38.

stendit nocte passionem suam præcedente, quando insigni illa imminentis sibi iam iam mortis apprehensione, concussus ternis vicibus eodem sermone Patrem orauit. *Pater mi, si non potest calix hic transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua.* Matth. 26. 42. si boni simus discipuli, & studiosi abnegandæ propriæ voluntatis, en exemplum, en modum, en formam Magistri verbis & opere expressam; si strenui milites in bello spirituali, en ducem nostrum, qui primus cum hoste conserit manus; si vera & genuina membra mystici corporis Ecclesiæ, en caput nostrum, communicans virtutem sui exempli, quâ nos animet ad abnegandam nostram voluntatem, & Dei certissimam viæ Ducem sequendam.

De voluntate saluatoris quà homo: & quòd sit magnus humilitatis & sapientiæ actus, subijcere voluntatem suam diuinæ, vel etiam humanæ propter Deum.

SECTIO XV.

 Sed

In sexta Synodo generali Constant. celeb. D. Th. 3. part. q. 18. a. 1. & 2.

SEd quæret quispiam, eratné in filio Dei, quà homo erat, voluntas aliqua non bona, & non vnita voluntati Patris per omnia, quam abnegare debuerit Christus, ad faciendam Patris voluntatem, & verò etiam suam, quia simul Deus? Hanc quæstionem ita sacri Doctores determinant: in Christo, in quantùm homo, sicut & in quolibet alio puro homine erat vna voluntas superior, quæ est appetitus rationalis, spectans res cælestes & æternas; & vna inferior siue naturalis, quæ est idem appetitus, in quantùm propendet ad motum sensuum: quam Theologorum alij voluntatem sensualitatis, alij voluntatem participationis nuncupare consueuerunt. ea dirigi potest, à superiore voluntate, vt eam sequatur, legiq; rationis se submittat. Vtraque hæc facultas aliud non est, quàm vna eademque voluntas humana, quia inferior est omnino subordinata & subiecta superiori, non aliter atque in aliqua Monarchia vnicus est Rex, esto Regina, & subordinatus Magistratus dependenter ab eius auctoritate nonnulla imperent. Porrò Christi superior

Rex vnus, & plures qui imperant sub illo.

ſuperior voluntas non niſi bona eſſe poterat, cùm eſſet vnita diuinæ Chriſti & eiuſdem æterni Patris, (quanquam conſiderata nudè, id eſt, vt purè humana, & ſeiuncta à diuina, poterat aberrare) inferior autem poterat ſentire propenſionem ad motum ſenſualium facultatum, & auerſionem à doloribus, ab ignominijs, & ab omni eo, quod horret ſenſus. Verùm non poterat vllo prorſus modo illam inducere ad motum aliquem, qui eſſet peccatum. conſtanter enim & directò ſuperioris voluntatis dictamen ſequebatur. Hoc euidenter patuit in acerba illa agonia, quando preſſus anguſtijs, & viuâ apprehenſione tormentorum, ludibriorum, ac imminentis iam mortis, ter hunc protulit ſermonem. *Pater mi, ſi poſſibile eſt tranſeat à me calix iſte.* Matth. 26. 39. Inferioris voluntatis eſt iſte ſermo, quam diuinâ diſpenſatione ſinebat Chriſtus ſuas partes agere, vt eò amplius pateretur, ſicque palàm faceret veram ſe naturam humanam habere, eamque concomitatam inferiori, cui confeſtim & abſolutè imperans pars ſuperior, dixit, *Verùmtamen non ſicut ego*

Cælo, sed sicut in Via. Et quanquam hæc voluntas humana in Christo, vt paulò ante dixi, non possit non esse bona, & omnis boni studiosa (quia residebat in anima vnita hypostaticè Deo, ac proinde incapax omnis mali, omnisque peccati) & dicere possit: *Veni ad faciendam meam voluntatem, nihilominus non hoc, sed contrarium dixit, nempe non ad suam, sed ad Patris voluntatem faciendam se venisse*: quam Patris voluntatem recognoscebat & honorabat, vt primam causam bonitatis, quâ humanam suam voluntatem pollere nouerat. Quo facto ostendebat esse actum diuinæ humilitatis & supremæ sapientiæ, VOLVNTATEM SVAM, licet ea bona sit, SVBMITTERE VOLVNTATI DIVINÆ, vel etiam HVMANÆ PROPTER DEVM: esse insuper regulam, quæ non fallit, rectè concipiendorum & exequutioni mandandorum desideriorum, & tandem modum & formam laudabiliter Deo seruiendi.

Quomodo Christus omnibus aliis rebus, vt propriæ voluntati renunciârit.

SECTIO

SECTIO XVI.

SAluator eâdem voluntatis promptitudine alijs omnibus, quæ habebat, siue ea ad animam, siue ad corpus spectarent, siue extra vtrumq; essent, abrenunciauit: iudicium vti & voluntatem æterni Patris iudicio plenè submittens. Quantum ad corporis bona attinet, SANITATEM, FORTITVDINEM, ÆTATIS FLOREM, & tandem VITAM PROPRIAM diuinæ Maiestati cum omnibus ijs, quæ ad insignem & exactam liberalitatem spectare possunt, libentissimè obtulit, sustinens interea pro patris honore & humana salute egestatem, pœnas, tormenta, & quicquid indicio esse poterat consummatæ charitatis aduersus Deum, & aduersus homines. Quod autem ad opes & bona externa spectat, ita ex asse ijs abrenunciauit, vt cùm omni iure ea omnia, quæ cæli terræque ambitu continentur, vt propria possidere potuerit, ne quidem *Vbi caput suum reclinaret*, habere voluerit, minus sibi reseruans, quàm VOLVCRIBVS CÆLI, quàm

Bonis omnibus renunciauit Christus.

Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos &c.

Matth. 8. 20. Luc. 9. 54. quàm VVLPIBVS, quàm alijs bestijs. Ijs enim solerti prouidentiâ prospexit de latibulis & spelæis, ad quæ fatigatæ se recipiunt & conquiescunt. sed & proprio carens sepulchro, in quo mortuus reponeretur, in alieno eum condi precariò fuit necesse: quod extremam denotabat paupertatem. In historijs quidem scriptum inuenimus nonnullos magni nominis viros, eò redactos egestatis fuisse, vt morientes, non relinquerent vnde funerales expensæ haberi possent, sed non inuenîmus vllum loco proprio caruisse, in quo vitâ functus sepeliretur: saluatori autem, & sepulchrum, & funeris sumptus vsque ad ipsum linteum, quo eius corpus inuolutum fuit, emendicari debuerunt: quâ paupertate maior esse non poterat. Honores autem & magni nominis famam non solùm est auersatus, sed eorum loco omnis generis persequutiones, ignominias, afflictiones sibi accersiuit. *Vocatus fuit potator vini, Magus, seductor, & tandem cum duobus latronibus cruci affixus. quas iniurias propriæ voluntatis electione sustinuit: in eius enim erat potestate eas declinare, efficereq́ue, vt ab Angelis, ita & ab*

ab hominibus honore afficeretur. Verùm ei propositum erat, Apostolis suis perfectam omnium rerum abnegationis viam terere, & profundæ humilitatis exemplar relinquere, vt illam impigrè currerent, hoc autem imitarentur, fierentque postea eius gloriæ in tantum participes, in quantum fuissent in laboribus & aduersitatibus eius humilitatis imitatores. Perfectissimus & sua abnegandi modus.

De sanctorum voluntatis & aliarum rerum abnegatione, ad imitationem Saluatoris.

SECTIO XVII.

SAnctorum exempla iuncta Saluatoris non mediocri nobis sunt auxilio ad nuncium remittendum nostræ voluntati, omnibusq; rebus, quas possumus in hoc mundo possidere. Quot enim ea sunt, tot faces præferunt ad prælucendum nobis familiariter, absque eo, quòd nostros nimio lumine perstringant oculos: vt magnus ille sol iustitiæ posset perstringere, dum prima perfectionis rudimenta ponere incipimus. Mala. 4. 2.

incipimus. Inter sanctos primas sibi vendicat Virgo sanctissima, quæ dubio procul in voluntatis propriæ aliarumque rerum abnegatione fuit perfectissima: eius siquidem omnia studia, curæ, cogitationesque in hoc vno versabantur, vt perfectissimè Dei faceret voluntatem. quod apparet ex responso dato Angelo, ad se pro incarnatione filij Dei legato: FIAT MIHI, inquit, SECVNDVM VERBVM TVVM. Hoc propositum toto vitæ decursu in suis operibus mordicus retinuit, habens semper voluntatem vnicè coniunctam cum diuina, (quæ summa huius vitæ est perfectio) nihilque aliud quæsiuit, quàm plenè resignatis rebus omnibus, quas habebat, vni Deo placere: ergo iure merito illi primæ abnegationis propriæ voluntatis partes tribuuntur; Apostolis verò secundæ. qui cùm adhuc inter viuos agentem Christum imitari cæpissent, pro se omnibus D. Petrum, etsi non nisi vilem nauiculam, & pauca retia is reliquerat, & alij forsan non multò plura, confidenter loquentem audierunt: *Ecce nos reliquimus omnia.* Quod ideo dixit, quia relinquendo pauca,

Resignatio Beatæ Virginis. hic f. 41.

Lucæ 1. 38.

Matth. 4. 22. Marci 1. 20. Item Matthæi 19. 27.

pauca, quæ habebant, simul reliquerant voluntatem alia habendi. *Quæ voluntas cùm apud mortales careat omni termino, æquivalet vniuerso.* proinde qui eam relinquit, omnia cum illa relinquit. Postquam item spiritus sanctus huius virtutis & aliarum omnium doctor ac elargitor primis nascentis Ecclesiæ Christianis fuit datus, prima eorum humilitatis tessera fuit, elargiri quæ habebant pauperibus, renunciare honoribus, commoditatibus temporalibus, vitæ ipsi. iudicio, ac denique, vt vno verbo omnia complectar, propriæ voluntati, submittentes suum intellectum rebus fidei iuxta normam verbi diuini, & non sui ingenij; nullam aliam gerentes curam præter hanc, nempe, vt Dei voluntatem, cui suam consecrârant, adimplerent. Hi primi Christiani subsequentibus temporibus, nunquam suis caruerunt asseclis, idq; probatum est, non solùm in Religiosis, & Deo consecratis vtriusq; sexus hominibus, sed etiam in ijs qui in sæculo vitam agunt. Et vniuersim in omnibus sanctorum scholis ea semper fuit certa, & communis doctrina, voluntatem propriam

priam, eos qui humilitati student, detestari oportere vt serpentem, vt seductricem, vt loquitur Climacus. Beati igitur qui sub tuto obedientiæ præsidio vitam agunt, nullam habentes voluntatem præter Dei & Prælati, vices Dei agentis!

Gradu 25

Quod sit vtile & honorificum renunciare proprio iudicio & voluntati.

SECTIO XVIII.

PRæter exempla, in medium adferendæ & considerandæ sunt rationes, quæ iuuent ad submittendam voluntatem, & intellectum suaui abnegationis iugo.

Grad. 3. sect. 9.

I. est, quòd admodum sit vtile, imò necessarium, vt dictum est suprà, humanum iudicium subijcere, præsertim quando loquitur Deus, suprema veritas, aut per se ipsum, aut per suam Ecclesiam conformi sacrorum Doctorum sententiâ & suffragio communitam, & quando mandat credere quæ dicit, aut dici per suos seruos iubet:

esto

esto ea comprehendere nequeamus, ludit securè, qui iudicium suum Dei submittit iudicio, quia per talem submissionem fidelis & pariter humilis serui meritum & gloriam consequitur. II. est, quòd sit item vtile, & verò etiam necessarium, & comprimis honorificum, propriam voluntatem subdere diuinæ. Est enim hoc illam committere regulæ rectæ absque vllo errore, bonæ absque admixtione vllius mali, pulchræ absque vllius turpitudinis maculâ. Propterea Sanctus Climacus dicit obedientiam (quæ propriè loquendo est praxis abnegationis) *esse periculum absq; periculo*. quia nimirum is, qui ob Dei amorem se subijcit voluntati alterius, errare non potest, quamuis accidere aliquando possit, vt is, qui imperat, erret, nunquam tamen diuina prouidentia aut permissura est, vt talis superior perperàm imperet, aut si id permittat, cedet ille error in bonum eius, qui Dei intuitu obedit. III. ratio est, quòd qui suam voluntatem submittit diuinæ, eam cum illa vnam efficiat, & vt paulò ante dicebam, certâ quâdam coniunctione reddat omni- Grad. 3. Sect. 13.

Climacus grad. 15.

Gutta aquæ iacta in mare quodammodo mare efficitur.

potentem, puram, & sinceram. Et quemadmodum vnica aquæ gutta in mare iacta, mare quodammodo efficitur, & ad maris motum mouetur, nec tamen vnquam siccatur aut turbida efficitur; ita voluntas humana, iuncta diuinæ, potenter suas exerit vires, sapienter in omni re agit, & in omni bonitate abundanter fructum producit. Et rursus, sicut voluntas diuina est causa rerum omnium, quæ bonæ sunt, ita voluntas humana (quæ quidem subiecta sit diuinæ, iuxta hunc tertium humilitatis gradum) est fons & origo omnium virtutum & studiosarum actionum, quod nunc considerandum venit.

Abnegatio propriæ voluntatis est cor & nucleus humilitatis, & causa omnium virtutum ac bonarum actionum: simulq; laudes humilitatis.

SECTIO XIX.

QVod efficaciter nos mouere potest ad renunciandum propriæ voluntati

voluntati (quò solidè hic tertius humilitatis gradus loccetur) est perpendere *abnegationem* esse scaturiginem omnis virtutis Christianæ, principiumq; omnis actionis ex virtute prouenientis. significat enim vnum intellectum & vnam voluntatem intimè Deo, fonti omnis boni coniunctam, notans exclusionem omnis iudicij & voluntatis, quæ pariunt & nutriunt omne id, quod virtuti aduersatur, vt deinceps dicetur; sin autem illa eadem secundum Deum dirigantur, duæ sunt principes facultates, effectricesque omnis in homine virtutis, & duo principia actionum humanarum. Intellectus quidem in se recipit scientiam, virtutemque contemplatur; voluntas autem vtrumque deducit in effectum; intellectus speculando, proborum morum cognoscit veritatem, voluntas ijs tribuit essentiam, valorem, & gratiam; ille præscribit ordinem ac tenorem humanarum actionum; hæc easdem efficit bonas, & re ipsa laude ac præmio dignas. eâ autem manum retrahente, vt sæpius dixi, nullum opus est studiosum & laudabile, deest enim id, quod boni- Arist. 3. de anima.

tatem tribuere debet, nempe libera & deliberata voluntas. Voluntas igitur, (cui Deus per sui vnionem, interueniente ex parte hominis abnegatione, præstò est) cor est humilitatis, vt aliarum virtutum, & radix omnium actionum moralium. Quod sancti omnes communi consensu docuerunt, dum alij humilitatem radicem omnium bonorum nuncupârunt, vt D. Chrysostomus: item causam &c. alij matrem & magistram omnium virtutum, vt D. Gregorius, qui etiam conseruatricem, & custodem virtutum nominauit, eò quod humilitas illas dirigat, illas conseruet, illis vtatur, tempusque operandi aptum, vt sapiens gubernatrix, præscribat. alij alia nomina honoris ei attribuunt, *vt aurora ascendentis & separantis iustum à peccatore, vt aurora separat & diuidit diem à nocte; hanc finiendo, illum, id est diem, inchoando: ascendit autem vt aurora, quia virtutum fabrica supra humilitatem, vt supra proprium fundamentum, extructa, versus calum assurgit.* S. Augustinus ei in vita Christiana, *dat primas, secundas, & tertias, quas princeps Oratorum Gracia dabat actioni, seu pronunciationi in eloquentia.*

Hom. 9. ex c. 5. in Matth. serm. 5. in c. 1. ad Phil. Lib. 23. c. 7. in 33. caput Iob. Hieron. Epist. ad Cellantiam. Aurora Cant. 6. 9. S. Bern. serm. 60. Cant. 1. 2. & 3. S. August. Epist. 56. ad Crese.

eloquentia. nam quemadmodum congrueniens & decora pronunciatio à principio vsque ad finem est necessaria; ita humilitas in principio, in progressu & in fine bonarum actionum, & perfectionis Christianæ dominari debet. Hanc virtutem qui habet, vnitus est Deo per sinceram & amicam ei voluntatem; habet sumptus & apparatus necessarios ad extollendam in altum turrim perfectæ vitæ, turrim euangelicam; habet milites armatos & expeditos; habet commeatum in promptu ad bellum feliciter gerendum contra tres, pacis, & quietis hominum, hostes capitales; habet vnde certò sibi possit victoriam polliceri, quæ obtenta victores suos redimitura est coronâ immortalitatis. Talis sibi ipsi & omnibus quæ possidet facilè renunciat: facilè remittit nuncium mundi delicijs, & corporis voluptatibus, facilè diuitijs, honoribus, omnibusq; mundi vanitatibus, amatq; eo fine omnia, quæ bona & sancta sunt. neque enim aliud amare potest, quàm quod Deus amat, cuius voluntati habet suam sanctè & arctè conglutinatam; amat iustitiam, eamque vbi in-

Demosth. Cic. 3. de Orat. Quint. l. 11. Orat. Inst. c. 3.

Hie f. 6.

Luc. 14, 28.

cumbit, administrat, attribuendo vnicuique quod suum est; est fortis, est temperans, est prudens in omnibus suis actionibus; est habilis, docilis, aptusque ad percipienda recipiendaque salubria consilia. insuper promptus ad ea exequutioni mandanda: est misericors, est clemens, est gratus ob recepta cælitus beneficia. quin & liberalis ad largienda alijs, quæ acceperit. Tandem homo talis gestat in anima sua fundamentum & conseruationem omnium virtutum, & thesaurum omnium bonorum.

Humilitas Mater obedientiæ.

SECTIO XX.

HVmilitas equidem generalis mater est bonorum omnium, vt iam dixi, specialis autem trium excellentium virtutum, ex quibus constat pretiosus ille funiculus, qui efficit coniunctionem & nuptias animæ iustæ cum Christo Saluatore, per votum RELIGIOSORVM vnum & trinum, obedientiæ nimirum, castitatis, & pau- Ecclesiastæ 4. 12.

pertatis

pertatis. quod speciatim demonstrandum est, vt qui inflammati sunt desiderio veræ gloriæ, animentur ad contendendum omni conatu ad acquirendum cælestem humilitatis thesaurum, quo sibi gloriam illam comparent, & solidum perfectionis iaciant fundamentum, cuius beneficio ad illam, in arduo valde positam possint pertingere. Consideremus in primis hoc in obedientia, virtute prorsus diuina, & supra modum necessaria, non solùm in familijs Religiosis, sed etiam in omni politia pacis ac belli tempore; in Monarchijs & Rebuspub. & alijs omnibus communitatibus bene ordinatis. Quod ita se habere ex ijs, quæ de ea dicentur, intelligetur. Obedientia Christiana & perfecta docet iudicium & voluntatem Deo, aut homini, Dei locum tenenti subijcere, exequutionique mandare id, quod vel à Deo, vel ab homine Dei vicario iussum est. Humilis qui est, totum hoc fideliter effectum dat: nihili enim se facit, vt eum edocet primus humilitatis gradus; creditque omnibus se inferiorem, vt addidicit ex secundo; ac ideo iuxta tertium, qui est

Humilitas causa obedientiæ.

abnegatio rerum possessarum, & nominatim iudicij ac voluntatis (quæ sunt duæ partes maximè principales, maximè pretiosæ, ac animæ maximè, intiméque inhærentes) in promptu semper est ad sequendam Dei directionem, voluntatemq; faciendam, vel certè eius, quem suo loco ei præfecit, modo tamen is nihil mandet, quod Dei legi manifestè aduersetur. Credit bonum esse quicquid iubetur; in bonam partem accipit omnia, exequitur simpliciter, fideliter, promptè ac integrè, absque excusatione, absque murmuratione: & quò est humilior ad se subijciendum, eò paratior etiam ad obediendum. Scriptura sacra docet nos effectûs, & depromit experimenta huius doctrinæ. nobis enim tanquam notam aliquam ob oculos ponit insignem obedientiam eorum, qui excelluerunt in humilitate: volens indicare has duas virtutes æquali passu sese inuicem subsequi, & quòd quò quis humilior est, eò obedientior, & vicissim quò
Gen. 18. obedientior, eò humilior. Abraham
27. ibid. exempli causa verbo & opere singulari-
v. 4. ter humilis deprehenditur, dum *se pul-*
uerem

uorem & cinerem, loquens domino, nuncupat, dum angelis in peregrinorum habitu pedes lauat, aliaque præstat opera, quæ hanc virtutem in summo gradu in eo fuisse testantur. sed prorsus singularis & heroicus fuit ille eiusdem actus, quando iussu Dei armatam gladio extendit manum ad immolandum Deo filium suum, QVEM DILIGEBAT ISAAC. Quod profectò nunquam fecisset, nisi solida admodum præditus fuisset humilitate, quâ inducebatur, vt absque discursibus humanis iudicium suum submitteret Dei mandato, quo hic & nunc iubebatur sacrificare Deo vnicum filium suum Isaac, non obstantibus Dei promissionibus, quibus erat pollicitus se multiplicaturum semen eius, *vt sunt stella cæli, & arena, quæ est in littore maris*. Deus bone, quanta humilitas, quanta obedientia in hoc Patriarcha fuisse debuit, quæ innatam patri ad saluandum filium inclinationem diuinæ subiecit voluntati! & naturalem horrorem rei imperatæ de occidendo filio, qui ei vitâ propriâ charior erat, superauit! & ideo in eius humillimo corde deprehensæ & stabilitæ

Gen. 22. 2. 20.

Isaac futurus in gentem magnam Gen. 18. 18.

sunt quatuor excellentissimæ virtutes, nimirum FIDES, SPES, CHARITAS, & OBEDIENTIA.

De obedientia Saluatoris, eiusq́; gloriosissimæ Matris, eorum humilitati proportionatâ.

SECTIO XXI.

QVia Christus neminem in humilitate, alijsq́ue diuinis animæ ornamentis sibi habuit secundum, ideo vt perfectissimæ obedientiæ idea à Diuo Paulo nobis proponitur, vbi dicit: *qui cùm in forma Dei esset, semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, humiliauit semetipsum, &c.* en eius humilitatem, audi ex eodem parem obedientiam: *factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Eius humilitas transcendit omnem humanam cogitationem: est enim suo modo infinita, quia habet Maiestatem infinitam, quæ eò usque se demisit, vt minimam inter præditas ratione creaturas personæ suæ arctissimè vniret: quod est humilitatem vnire diuinitati, illam modo quodam,

Philipp. 2. 5. 6. 7. 8.

quodam, qui ab homine exprimi non potest, euehendo in Deum. Eius obedientia nihil cedens humilitati, in stuporem rapit homines & angelos, dum contuentur à filio Dei talem Patri obedientiam præstari, vt, iuxta eius voluntatem renunciet non solùm ijs, quæ omni iure possidere valebat, sed etiam eòusque se demittat, vt tormenta & ignominias crucis (vt taceam eiusdem obedientiæ heroica facta in paupercula parentis domo totis triginta annis) animo non solùm æquo, sed etiam lubenti perferat.

Vt Virgo gloriosissima, eademque Dei mater inter omnes iustos in humilitate meritò secundas sibi vendicat, ita & in obedientia. Sanctus Lucas vtrumque notat: humilitatem quidem, dum refert eam Angelicâ salutatione, quæ nec pauca, nec exigua eius laudum encomia continebat, turbatam fuisse. quod est effectus & indicium magnæ humilitatis, quæ dum laudatur, timet & erubescit. Obedientiam autem, quando in animum induxit suum, affirmante Angelo fieri posse vt Virgo permaneat, & simul mater efficiatur, Lucæ 1. 27.

ciatur, & quando voluntati diuinæ de concipiendo & pariendo temporali generatione filium Dei, assensum præbuit & dixit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Quid opus est multis verbis, quando tota eius vita virtutum omnium continua fuit exercitatio, præcipuè tamen obedientiæ, vti & humilitatis?

Luc. 1. 38.

Obedientia Angelorum, & hominum iustorum fundata super humilitatem.

SECTIO XXII.

SAcris litteris Angelorum obedientia consignata habetur, vti & humilitas, quæ omnino eos ad obediendum inducit: qui enim beatissimi illi spiritus ad tam humilia & abiecta hominum iudicio seruitia se demitterent, si pari humilitate cum obedientia non essent præditi? Quî in particulari Archangelus Raphaël, vnus ex ijs, qui adstant throno Dei, se præberet viæ ducem, vectorem & medicum mortalibus? ducendo iuniorem Tobiam, indutus

Tob. 4. 5. 2. Tob. 5. 12. 5. 6. 4. 8.

ductus peregrini more, ad exteras regiones? exigendo pro illo, quæ ei debebantur? docendo & instruendo qualiter ex piscis pinguedine conficienda esset medicina, futura idonea ad parentis senioris Tobiæ cæci oculos curandos? faciendoque similia seruitia, nisi humilis fuisset corde, propriæque renunciasset voluntati, eam diuinæ penitus submittendo, quæ, vt talia præstaret officia, imperabat? Qui & Angeli custodes obedirent, demittendo se in tantum, vt tot diuersis, quot nascuntur, hominibus se fideles exhibeant duces, & quasi pædagogos in omnibus eorum actionibus, nisi eàdem virtute apprimè præstarent? si essent officia, quæ ex se speciem aliquam splendoris & dignitatis haberent, qualia videri possent, verbi gratiâ mouere corpora cælestia ab Oriente in occasum, voluere quotidie astra, eademque vicissim ab occasu in orientem reuoluere; elementis, regionibus, prouincijs, Monarchijsque totius vniuersi præsidere, vt eorum multi præsident, non magna essent humilitatis indicia: at verò descendere ad opera, quæ hominibus videntur

Angelis suis. Psal. 90. 11. Matth. 18. 10. 4. 6. Angeli eorum.

Arist. 2. de cælo.

Apoc. 2. 1. 8. 12. 18. &c. 3. 1. 7. 14. Dan. 3. 13.

dentur vilia, magnum est argumentum magnæ submissionis animi in magnis illis spiritibus, nihil magnum reputantibus, præter diuinam Maiestatem, & nihil paruum, nihil exile, quod eius nutu, ob eius amorem & gloriam, perficiatur. Et quod maioris humilitatis est signum, Dei intuitu seruiunt hominibus, non solùm iustis, & sub Crucis Christi vexillo in eius Ecclesia militantibus; sed omni hominum generi, Christianis, Ethnicis, Idololatris, Hæreticis, paruis, magnis, infirmis, sanis, & cuiuscunque tandem statûs ac conditionis sint. Hæc officia, & opera obedientiæ fundamentum & comitem habent admirandam humilitatem honorariorum, & familiariorum domûs Dei, qui infinitis modis superant nobilitate quosuis mundi Monarchas.

Quantum ad obedientiam hominum iustorum attinet, ea etiam fundata est super humilitate, sicut è contrario inobedientia peccatorum super arrogantia. S. Ioannes Baptista humillimus minimusque in oculis suis, indignum se arbitrabatur, qui solueret corrigias calceamentorum Christi, promptis-

Matth. 3. 11. ibid.

promptiſſimus etiam fuit ad obediendum, quando accepit à Chriſto mandatum, vt ſe baptizaret, quod ei fuit perdifficile, quia cùm capacitatem eius iudicij & inclinationem voluntatis excederet, iudicabat, & verò etiam ſentiebat longè æquius eſſe, vt ab ipſo Chriſto baptizaretur, tamen obedientiæ præcepto inductus, Chriſti verbis obtemperauit. Apoſtoli etiam maximi extitêre & humilitatis & obedientiæ cultores, quod patet tum ex eorum operibus, tum ex ſcriptis, in quibus viuendo optima obedientiæ exempla reliquerunt, & ſcribendo ac prædicando obedientiam, admirandæ ſubmiſſionis non ſolùm erga Deum, ſed etiam erga quoſuis ſuperiores ſpirituales, & temporales, bonos & diſcolos, propter Deum, præcepta tradiderunt. Audiamus Sanctum Petrum, in prima ſua Epiſtola: *Subiecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſiue Regi quaſi præcellenti, ſiue ducibus tanquam ab eo miſſis &c.* Petri 1. 2. 13. Commendat humilitatem, vt commendet obedientiam, quia eorum actus & opera dependent ab inuicem. Eã S. Paulus, tanquam ſancta & inſeparabilia Tit. 3. 1.

rabilia

rabilia ab inuicem, clarè coniungit: *Admone*, inquit ad Titum, *illos, principibus & potestatibus subditos esse, dicto obedientes, ad omne opus bonum paratos esse*: id est, vt sint humiles & obedientes; neque enim sibi persuadere debent, quòd queant esse obedientes sine humilitate, aut humiles sine obedientia. Quicunque igitur obedientiam virtutem per quam nobilem ac necessariam æstimat, & conseruare in suo vigore desiderat, etiam æstimet & amplectatur humilitatem, cui, & quâ illa innititur, & sustentatur.

Humilitas Mater & custos Castitatis.

SECTIO XXIII.

D. 4. s. 1. & hic s. 18. OBedientia respicit animæ bona, iudicium & voluntatem; corporisque functionibus vbi & quando opus est, & præceptum vrget, vtitur, castitas autem spectat motùs corporis; & adhibito, suauis quidem & moderatæ, sed fortis ac constantis temperantiæ freno, eos in officio retinet; Et vt obedientia pro fundaméto habet humili-

humilitatem, ita & castimonia. Et quanquam eadem humilitas, vt sæpius dictum est, virtutum aliarum, maximè tamen huius est conseruatrix. Vtriusque huius effectûs sequitur ratio: humilitas vt docuimus, animam suauiter subijcit Deo, & homini, quem Deus illi dedit superiorem. inde prouenit, vt Deus quasi per reciprocam iustitiam singularia gratiæ suæ largiatur animæ sic constitutæ auxilia: quibus illa adiuta, corpus, eiusque appetitus subiectos, & obtemperantes habet rationis & temperantiæ imperio. insuper vt, quemadmodum anima, eiusque facultates demissæ obaudiunt suo superiori, ita suaui Dei ordinatione caro, eaque omnia, quæ ad sensus spectant, ferendo, animæ iugo se submittant, eamque vt principem suam & imperatricem saluam velint. Et vt progenitores nostri Adam & Eua nullos inordinatos aut inhonestos in suis corporibus senserunt motus, quamdiu anima in humilitate & mandati diuini obedientia sese conseruauit; ita dum per humilitatem legibus Dei perfectè obtemperamus, corpus etiam non dif-

ficulter sese subijcit rationis disciplinæ & imperio. S. Augustinus explanans septimam beatitudinem, sic loquitur. *Pacifici, inquit, in semetipsis sunt, qui omnes animi motus componentes & subijcientes rationi, id est menti & spiritui, carnalesq; concupiscentias habentes edomitas, fiunt Regnum Dei. In quo ita sunt ordinata omnia, vt id, quod est in homine præcipuum & excellens, hoc imperet, cæteris non reluctantibus, quæ sunt nobis bestiisq; communia. Atq; idipsum quod excellit in homine, id est mens & ratio, subijciatur potiori, quod est ipsa veritas, vnigenitus Filius Dei: neque enim imperare inferioribus potest, nisi superiori se ipse subijciat.* Humilitas ergo subijcit animam Deo, & corpus animæ, & castitati quietum assignat domicilium.

S. August. serm. 1. de serm. Domini in monte.

Qui non obedit Deo, nec ei appetitus proprij obediunt.

Castitas filij Dei, Beatæ Virginis, & sanctorum conformis eorum humilitati.

SECTIO XXIV.

VIdemus etiam in scriptura, quòd homines, quò magis de castitate conseruandâ fuêre soliciti, eò magis

magis etiam humilitatis studiosi. Filius Dei maiori præditus humilitate, quàm omnes simul homines, qui vnquam fuerunt, aut adhuc vnquam futuri sunt, eiusdemque Doctor eximius, non solùm virginitate plusquam angelicâ fulsit inter mortales, sed etiam eam adinuênit, & adinuentam infinita hominum millia docuit, qui eius gratiâ protecti, & exemplo inducti, immaculatam ei vouerunt, vouent, conseruarunt & conseruant. Vnde non immeritò Rex Virginum appellatur, & specialis eorum paranymphus, ac ad cælestem thalamum introductor. ibi eum *sequuntur quocunque ierit, & cantant quasi canticum nouum, quod nemo poterat dicere, nisi illi, qui sunt empti de terra, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: Virgines enim sunt.* Apoca. 14. 4. Virgo gloriosissima & mater suauissima, vt filius Virginum Rex, ita & illa regina castissima fuit, quam inter puras & simplices creaturas in corpore humano sol vnquam est intuitus: eadem etiam, vt eius verba & actiones indicant, inter eos, qui apud mortales habentur iusti & humiles, fuit humillima. Et quidem eius modestia per

Modestia Matris Virginis, magis per sacram Scrip. innotescit quam Virginitas.

ſacras litteras longè magis nobis innoteſcit, quàm Virginitas: quæ tamen fide certiſſima, abſque vlla dubitatione tenetur & creditur à fidelibus. De hac ſiquidem ſolus S. Lucas Euangeliſta ſemel tantum apertè loquutus eſt; de illa autem, id eſt modeſtâ & humilitate, reliqui omnes: ijdem eiuſdem nobis, tacendo, innuunt ſilentium, dum eam vix quater, aut quinquies loquentem in nouo teſtamento faciunt: quod maximum humilitatis eſt indicium. Ex eo etiam manifeſtatur humilitas, quòd laudata ab Angelo, turbata fuit, & ſalutata Dei Mater, *ancillam ſe nominauit*; quin & dum ſe ſuper omnes creaturas videret exaltatam, ex profundiſſima humilitate dixit: *reſpexiſſe Dominum humilitatem ancillæ ſuæ.* Cognatam ſuam Elizabeth inuiſens, prima ſalutat, eique in eius tribus menſibus commorata domo, ancillatur. quæ verba & opera non niſi ex profundiſſima animi humilitate prouenire poterant. Vnde de ijs ſcribens Diuus Ambroſius, ſic ait: *Didiciſtis, inquit, Virgines, pudorem, diſcite humilitatem, maior venit ad minorem: Mater Domini, ad matrem ſerui.*

Luc. 1. 27.

Luc. 1. 29. 38. 48.

S. Ambr. lib. 1. in Lucam.

Condecet

Condecet enim vt Virgo tantò sit humilior, quantò est castior, & quæ facit professionem castitatis, sit Magistra humilitatis. S. Ioannis Baptistæ, qui suam Virginitatem martyrio coniunctam cælo intulit, Euangelium raram notat humilitatem & in eo maxime, quòd iudicabat, & verbis asserebat se indignum, qui admitteretur ad soluendas corrigias calceamentorum Christi: qui tamen ab eodem Christo vocatus est Propheta, imò & plus quàm Propheta, & maior omnibus natis mulierum. habitus insuper dignus (vt notat D. Chrysostomus) qui Christum baptizaret, non obstante, quòd indignum se existimaret tangere eius calceamenta. D. Paulus insigni etiam castimoniâ fuit condecoratus, quod colligitur ex strenuitate quâ motibus carnis restitit; idemque humillimus, quod patet ex confessione infirmitatis. de qua sola gloriatur, sed in Christo, in quo omnia poterat. In veteri testamento rara Susannæ, matrimonio honestissimo viro Ioachimo iunctæ, habetur castitas, item Iudith viduæ. vtriusque humilitas satis nota est, illius quidem in maxima

Luc. 3. 16.
Ioan. 1. 27.
2. Cor. 12. 7. 8.
Daniel 13. 22.

afflictione, & iniuria perferenda; huius autem in sua oratione. Hæc absolutæ humilitatis & castitatis exempla, & quasi notæ nos docent, quòd quemadmodum castitas sublimis & cælestis est virtus, ita etiam proportionatum naturæ suæ postulet fundamentum, nempe profundam humilitatem, & quòd humilitas sit mater & custos specialis castitatis, & quòd quicunque eam possederit, futurum sit, vt rebellium carnis suæ motuum victor euadat. Neque enim diuina bonitas (cuius deliciæ sunt in bonitate) nunquam eam deseret animam, quæ humiliter in sua infirmitate cæleste inclamat auxilium.

Humilitas mater, item & custos paupertatis, id est virtutis, quæ pio & excelso animo contemnit diuitias & honores mundi.

SECTIO XXV.

SI ea anima humilis est, quæ neq; se, neq; res mundi hili æstimat, quæq; vel

vel re ipsa vel affectu nuncium remisit omnibus quæ possidet, aut potest possidere; facile est conijcere talem esse, beneficio humilitatis victorem sui & contemptorem diuitiarũ totius mundi; eas magno & excelso animo pedibus conculcare, eligere item eodem animo virtutem paupertatis, tanquam pretiosissimam margaritam, quæ terrere solet amentes, in admirationem rapere sapientes, & efficere vt ijdem in bonis, quæ secum adfert, suauissimè conquiescant. Est enim nobilissima animæ qualitas & ornamentum, quod homini parit contemptum rerum caducarum, & ingenerat amorem cælestium ac immortalium. Qui humilitatem adamauit, exultat gaudio in meditatione sui nihili; ducit se omnibus viliorem; non capitur, neque honore, neque laude humanâ; inde oritur, quòd omnes opes terrenas, quæ tamen mundi amatores extollunt, flocci faciat, imò eas horreat & abominetur, vt fomentum, vt instrumentum vanitatis, vt spinas: quæ cùm animam crudeliter pungant, magno sunt impedimento virtuti, & saluti acquirendæ.

V. Prou. 22. chil. 2. cent. 5. paupertas sapienti animi fortitia est.

Matth. 13. 22. Mar. 4. 18. 19. Luc. 8. 14. Diues difficile intrabit in regnum cælorum. Matth. 19. 23.

Mar. 10. 25. Luc. 18. 25. Proinde qui sic animo est affectus, sanctè & laudabiliter elatus, firmiter & constanter eas conculcat, tanquam quæ ad nihil valeant, nisi vt sub pedibus sternantur; amat autem vnicè paupertatem, vt humilitatis filiam charissimam; in ea suas inuenit delicias, sub eius vmbra cupit latere & abscondi ab omnium mundanorum oculis; nihil habere, maximum credit thesaurum, Christum ab omnibus nudum possidere, nudum sequi, nudum eundem adorare, est illi omnia possidere, est ad cælum deliciarum omnium, quæ excogitari possunt, domicilium magnis ac felicibus passibus contendere; non habere, neque argentum, neq; possessionem, neque propriam in terris habitationem, vti nec Filius Dei, *qui non*
Matth. 8. 19. 20. *habuit, vbi caput suum reclinaret*, summa ei est diuitiarum & honorum abundantia. Paupertas ei est mater, & soror, est parentela & agnatio lautiora eius conuiuia sunt, quæ ei paupertas apparat; lectus ei est mollissimus & gratissimus, quem Domina hæc honoratissima ex materia exigui pretij ei subministrat, absque ornatu, absque vlla

affecta-

affectatione. Paucis multa comprehendo, humilitas efficit vt hic in omnibus & per omnia paupertatem, vt matrem multùm honorandam, vt custodem fidelissimam, quærat. aduertit enim has duas virtutes inter se arctissimo coniunctionis vinculo esse colligatas, sibique inuicem ferre suppetias. His duabus virtutibus contrariò oppositæ, superbia scilicet & diuitiæ coniunctim in suo genere similiter agunt: Humilitas est contemptus suiipsius, & fastidium diuitiarum vnde videre est, & paupertatem ab humilitate, & vicissim humilitatem à paupertate dependere: ideóq; assertor nostræ salutis Christus vtramque sub vna comprehendit beatitudine, quando dicit *beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*; quasi paupertas esse nequeat absque humilitate, nec vicissim hæc absq; illa; non secus atque si gemellæ essent sorores, aut potius vnica virtus.

Humilitas & paupertas sorores.

Pauperes corde, & humiles corde eidem in sede commorantur.

De paupertate filij Dei, eius sanctissimæ Matris, & sanctorum proportionatâ eorum humilitati.

SECTIO XXVI.

Exacta paupertas Filij Dei. V. hic s. 16.

SVpra eandem humilitatis basim fundata est paupertas Filij Dei, gloriosæ Virginis, & omnium sanctorum: & quidem quâ proportione & amplitudine in illo fuit humilitas, eâdem fuit & paupertas. Porrò ostendi supra eòusque bonis huius mundi & commoditatibus terrenis eum renunciasse, vt ne domunculam quidem, in qua viuens habitaret, aut sepulchrum in quo mortuus conderetur, habuerit: viuebat ex piorum hominum eleemosynis; vestes alias non habebat præter eas, quas ei Mater contexuerat, nudis pedibus, nudo capite incedebat. Morienti illæ ipsæ pauculæ vestes, quibus in vita vsus fuerat, ei detractæ sunt; felle & aceto potari voluit, eo sese voluntariè priuans solatio, quod etiam maximè facinorosis, tali tempore negari non solet; imò illo articulo, & ad comedendum & ad bibendum, quod & quantum volunt, liberaliter dari consueuit. Summa ergo eius fuit egestas, summa paupertas, vt summa humilitas & submissio.

Matth. 8. 19. hoc grad. sect. 16.

Matth. 27. 60.

Matth. 27. 28. Da mihi bibere Ioannis 4. 7. Matth. 27. 34. Dederunt bibere vinum cum felle mixtum.

Ter

Ter quaterque beata Mater post Filium vt humillima, ita & bonorum huius mundi contemptrix maxima: post mortem filij proprium non habuit domicilium, sed D. Ioannis Euangelistæ, cui Christus in lecto crucis beatam agens animam commendârat, est vsa: quam autem habuerat in Nazareth, & materiâ & qualitate erat admodum humilis domuncula, vt patebit contemplanti eam sitam in templo Lauretano cuius tamen domûs paupertate Lauretum miraculosè transportatę, inibi ditissimum templum & celeberrimum est totius orbis. Adde, quòd non obstante eius humilitate, maioribus illa prærogatiuis est condecorata, quàm vlla vllius temporis extructa superba Regum, & Principum palatia. omnia siquidem ea euersa sunt, & ruinis suis obruta: hæc autem ab Angelis, ab oriente sole, in occidentem translata, infinitis laudum & anathematum, seu munerum totius fere mundi votis ac encomijs celebrata & illustrata, continuis propè miraculis stat inconcussa. Hæc ex occasione de laudibus illius domûs IN QVA VERBVM

Contemptus bonorum mundanorum in B. Virg.

Accepit eam discipulus in sua. Ioan. 19, 27.

CARO

CARO FACTVM EST dicta sunto. Sat interim aperta est maxima eius paupertas, & simul profundissima humilitas, quæ sibi inuicem inniti videntur.

Diui Ioannis Baptistæ humilitas inter sanctos prorsus fuit singularis, vt dictum est huius gradus sectione 24. cui per omnia par fuit rerum omnium huius mundi egestas voluntaria. Paternam domum statim primis ætatis suæ annis deseruit; ei pro domo, erant antra; pro viridarijs & hortis, erant deserta, pro cibo, locustæ; pro potu, fontes; pro vestimento, pili cameliorum. Rara fuit huius sancti, vt etiam aliorum cum humilitate paupertas. Quare, cui est cordi contemptus diuitiarum, honorum, ac commoditatum huius fallacis mundi, profundum humilitatis fundamentum fodiat, necesse est.

Matth. 3. 4.

Mar. 1. 6.

Quod votum obedientiæ, paupertatis, & castitatis, sit actus diuinæ abnegationis & humilitatis.

SECTIO XXVII.

Ostendi

OStendi virtutem humilitatis esse speciale & solidum fundamentum trium virtutum, quas profitentes animæ generosæ per votum Deo sese consecrant; intendo nunc ostendere easdem has tres virtutes vice versâ, mutuis officijs, esse humilitatis fundamentum; quæ conuersio mira & extra propositum videri non debet; videmus enim in ipsa natura id, quod effectus est, posse esse causam, diuerso tamen respectu, palma exempli causa, producit dactylos, & dactyli rursum palmam: Magna vitia progenerant hæreses, & iterum hæreses magna vitia. ita virtutis schola humilitas causa est obedientiæ, castitatis, & diuitiarum contemptûs; & hæ tres virtutes in praxim & exercitium deductæ, vicissim causa sunt & principium humilitatis. OBEDINTIA est generosa & assidua abnegatio propriæ voluntatis, & iudicij. quæ duo cor & essentiam efficiunt humilitatis. Est item continuum exercitium deprimendæ vanitatis scientiarum & donorum intellectûs, quibus subactis per obedientiam homo secundum Deum, & non secun- c. 5. l. 42.

dum propriam voluntatem & iudicium, vtitur. CASTITAS etiam continet absolutum omnium commoditatum & deliciarum, quæ corpus concernunt, contemptum. quæ quantò est perfectior, tantò melior redditur anima, & maiora humilitatis accipit incrementa. PAVPERTAS vt dixi, non est aliud, quàm omnium opum, honorum & aliorum omnium, quæ è terra gignuntur, quidam generosus contemptus, qui innumeras subministrat occasiones se humiliandi & mortificandi, circa cibum, potum, vestitum, habitationem, vigiliam, quietem &c. Quæ omnia mirum quantum iuuent ad solidum humilitati constituendum fundamentum. Et iste modus est, quo hæ virtutes sibi inuicem manus porrigunt, inuicemque se producunt. Et certè Deus in professione istius voti, quod alibi vocaui vnum, & simul ternum seu triplex, diuinum ac prorsus cælestem inspirauit modum, quo hic tertius humilitatis gradus, vt alij omnes fundarentur quàm optimè, & voluntas hominis comprimis firmaretur in proposito & desiderio nihili se æstimandi,

Arist. l. 5. Eth. c. 1. Iustitia in se virtutes omnes continet. V. Prou. 73. chil. 2. cent. 3.

æstimandi, minorem omnibus se ex animo recognoscendi; integrè item ac generatim seipsum, & res omnes, quas vel in anima vel in corpore, vel etiam in mundo possidet, abnegandi. Vt homo, in mente, beneficio obedientiæ omnibus numeris sit perfectus, in corpore, freno castitatis retentus, sit temperans, in rebus terrenis, legibus paupertatis constrictus, sit re & spiritu pauper.

Propria voluntas est origo omnium peccatorum, & infortunium totius mundi.

SECTIO XXVIII.

VT melius declaretur & intelligatur excellentia humilitatis huius tertij gradûs, qui situs est in vigore bonæ voluntatis, oportet illam committere cum sua aduersaria, illi ex diametro opposita, quæ est propria voluntas, id est mala & peruersa voluntas, quâ vnâ constat superbia; & ostendere quòd quemadmodum humilitas est causa & principium omnis boni,

Propria voluntas essentia est superbia.

boni, ita superbia omnis mali & peccati. Demonstraui id duobus primis superbiæ gradibus, per viam intellectûs in ignorantia suiipsius, demonstro nunc hîc per viam voluntatis in propria voluntate, quam supra dixi esse malam voluntatem, quæ & materiam & formam superbiæ subministrat, & ex cõsequenti seminarium est omnis peccati & miseriæ hominis. Hæc igitur est voluntas, quam nascendo in originali peccato homo secum adfert in mundum: Voluntas omni commiseratione digna, contaminata infernali maculâ illius peccati, sicut & cæteræ facultates animæ. Quæ voluntas cùm communis non sit cum diuina, vocata est per sanctos Patres propria. Porrò quemadmodum bona voluntas vnita diuinæ, est cor humilitatis, quæ, quando regitur ratione, imperat appetitibus, & sensibus, eosdemque legibus rationis gubernat; ita hæc vnita diabolicæ voluntati, efficit essentiam superbiæ, & nullum, quantumuis bonum admittit consilium; sed Deo fortissimè & impudentissimè se opponens, dictamen appetituum amplectitur, consilium

Sect. 15. huius gradus.

Vide sect. 12. & infra 19.

Digitized by Google

consilium absq; consilio sequitur, exequiturque totis viribus peruersam eorum inclinationem, iuxta directionem & desiderium Diaboli primi au-ctoris & artificis huius voluntatis. Talis erat voluntas & superbia infidelium Iudæorum, quibus ita Saluator loquebatur: *Vos ex patre Diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere.* Erant illi homines, vt cæteri, à Deo creati ad gloriam æternam, quam, adimplendo Dei voluntatem poterant consequi, sed effecti erant filij Diaboli per voluntaté propriam & superbiam, quæ eos, concomitantibus inordinatis appetitibus, tanquã bubalos cornibus trahebat quocunq; lubebat. Seruiebant principi tenebrarum, ferentes seu potius trahentes crudele eius tyrannidis & seruitutis iugum, quo eius desideria & voluntatem adimplerent, neglectis interim solidis medijs, quæ saluator ad salutem consequendam studiosè & indesinenter ijs procurabat. Ita loquitur Diuus Bernardus: *Propria voluntas, id est superbia, Deum impugnat, & aduersus eum extollitur, ipsa quoq; Paradisum spoliat, & ditat infernum; sanguinem Christi euacuat, &*

Ioannis 8. 44.

Serm. de verbis sapientiæ.

boni, ita superbia omnis mali & peccati. Demonstraui id duobus primis superbiæ gradibus, per viam intellectûs in ignorantia suiipsius, demonstro nunc hîc per viam voluntatis in propria voluntate, quam supra dixi esse malam voluntatem, quæ & materiam & formam superbiæ subministrat, & ex cõsequenti seminarium est omnis peccati & miseriæ hominis. Hæc igitur est voluntas, quam nascendo in originali peccato homo secum adfert in mundum: Voluntas omni commiseratione digna, contaminata infernali maculâ illius peccati, sicut & cæteræ facultates animæ. Quæ voluntas cùm communis non sit cum diuina, vocata est per sanctos Patres propria. Porrò quemadmodum bona voluntas vnita diuinæ, est cor humilitatis, quæ, quando regitur ratione, imperat appetitibus, & sensibus, eosdemque legibus rationis gubernat; ita hæc vnita diabolicæ voluntati, efficit essentiam superbiæ, & nullum, quantumuis bonum admittit consilium; sed Deo fortissimè & impudentissimè se opponens, dictamen appetituum amplectitur,

Sect. 13. huius gradus.

[illegible] sect. 12. & infra 19.

consilium

consilium absq; consilio sequitur, exequiturque totis viribus peruersam eorum inclinationem, iuxta directionem & desiderium Diaboli primi auctoris & artificis huius voluntatis. Talis erat voluntas & superbia infidelium Iudæorum, quibus ita Saluator loquebatur: *Vos ex patre Diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere.* Erant illi homines, vt cæteri, à Deo creati ad gloriam æternam, quam, adimplendo Dei voluntatem poterant consequi, sed effecti erant filij Diaboli per voluntatē propriam & superbiam, quæ eos, concomitantibus inordinatis appetitibus, tanquā bubalos cornibus trahebat quocunq; lubebat. Seruiebant principi tenebrarum, ferentes seu potius trahentes crudele eius tyrannidis & seruitutis iugum, quo eius desideria & voluntatem adimplerent, neglectis interim solidis medijs, quæ saluator ad salutem consequendam studiosè & indesinenter ijs procurabat. Ita loquitur Diuus Bernardus: *Propria voluntas, id est superbia, Deum impugnat, & aduersus eum extollitur, ipsa quoq; Paradisum spoliat, & ditat infernum: sanguinem Christi euacuat, &*

Ioannis 8. 44.

Serm. de verbis sapientiæ.

ditioni Diaboli subiugat mundum. Et alibi *propria voluntas subuertit corda hominum, & rationis oculos claudit: item docet naturæ non parcere, rationi non acquiescere, non obtemperare seniorum consilio vel exemplo.* quia obsequendo iussis sensualitatis & Diaboli, contemnit imperia naturæ, claudit oculos intelligentiæ, dum inducit ad inquirendas erroris vias, & respuenda sapientum consilia: Vt fecit in iuuene Roboam Rege Israël, *qui derelinquens consilium senum, qui assistebant Patri eius, adhibuit adolescentes, qui enutriti fuerant cum eo.* dum dico adolescentes, intellige amentes, excæcatos propriâ suiipsorum ignorantiâ, mancipia arrogantiæ & voluntatis propriæ, vti & ipse Rex, qui hoc facto Regnum suum distraxit, dum ex duodecim tribubus, ab eo decem recesserunt, & duæ tantum ei adhæserunt. Deus bone, quæ peccata non prodeunt ex propria voluntate, effectâ vnâ cum Diaboli voluntate, progenetrice super-biæ, principij omnis omnino mali.

Serm. 2. de Resurre: Domini, item Serm. 19. in Cantica.

2. Reg. 2. 6. 10.

3. Reg. 12. 2.

Continuatio eiusdem argumenti, nempe propriæ voluntatis, & de perniciosis eius effectis.

SECTIO XXIX.

POst plures alios Doctores mirificè S. Bernardus describit perniciosam hanc qualitatem, quem ad verbum recitandum iudicaui: sic enim sermone tertio de Resurrectione Domini eam nobis ad viuum depingit: *in corde duplex est lepra, propria voluntas, & proprium consilium. lepra vtraq; nimis pessima. eoq; perniciosior, quò magis interior. Voluntatem dico propriam, quæ non est communis cum Deo & hominibus, sed nostra tantùm, quando quod volumus non ad honorem Dei, non ad vtilitatem fratrum, sed propter nosmetipsos facimus, non intendentes placere Deo, & prodesse fratribus, sed satisfacere propriis motibus animorum. Huic contraria est tecta fronte charitas, quæ Deus est. Hæc enim aduersus Deum inimicitias exercens est, & guerram crudelissimam. Quid enim odit aut punit Deus præter propriam voluntatem? cesset voluntas propria, & Infernus non erit.* S. Bern. serm. de Resurre. Domini.

In quem enim ignis ille desaniet, nisi in propriam voluntatem? etiam nunc cum frigus, aut famem, aut aliquid tale patimur, quid læditur nisi propria voluntas? Quòd si voluntariè sustinemus, ipsa iam voluntas communis est, sed infirmitas quædam & velut pruritus voluntatis, adhuc de proprio est, & in illo omnes pœnas sustinemus, donec penitus consumatur. Nam voluntas illa propria dicitur, cui assentimus & cui se liberum inclinat arbitrium. Hæc autem desideria & concupiscentia, quæ inuitos tenent, non voluntas, sed corruptio voluntatis est. Porrò voluntas propria, quo furore Dominum Maiestatis impugnet, audiant, & timeant serui propriæ voluntatis. Primò namq; seipsam subtrahit, & subducit eius dominatui, cui tanquam auctori seruire iure debuerat, dum efficitur sua. sed nunquid contenta erit hac iniuriâ? addit adhuc, & quod in se est, omnia quoq;, quæ Dei sunt, tollit & diripit. Quem enim modum sibi ponit humana cupiditas? nonnè qui per vsuram acquirit pecuniam modicam, similiter mundum lucrari conaretur vniuersum, si non deesset possibilitas, si suppeteret voluntati facultas? dico fiducialiter, nemini, qui sit in propria voluntate, posset vniuersus mundus sufficere. Sed vtinam vel rebus esset contenta,

contenta, ne in ipsum (horribile dictu) desæuiret Rectorem. Nunc autem & ipsum (quantum in ipsa est) Deum perimit voluntas propria. Omnino enim vellet Deum peccata sua aut vindicare non posse, aut nolle, aut nescire. Vult ergo eum non esse Deum, quæ quantum in ipsa est, vult eum aut impotentem, aut iniustum esse, aut insipientem. Crudelis plane & omnino execranda malitia, quæ Dei potentiam, iustitiam, sapientiam perire desiderat. Hæc est crudelis bestia, fera pessima, rapacissima lupa, & leæna sæuissima. Hæc S. Bernardus de propria voluntate.

De proprio autem consilio, quod est secunda lepra cordis, sic idem S. Bernardus loquitur: *Lepra verò proprij consilij eò perniciosior est, quò magis occulta: Et quantò plus abundat, tantò sibi quisq; sanior esse videtur. Hæc illorum est, qui Zelum Dei habent, sed non secundum scientiam sequentes errorem suum, & obstinati in eo, ita vt nullis velint consiliis acquiescere.* Hæc in genere satis manifestant, quomodo propria voluntas iuncta proprio consilio, quod illa suâ malitiâ corrumpit, sit origo omnium peccatorum. Sit bestia horribiliter monstruosâ, & quidem monstruosior illâ quam D. Ioannes in sua Apocal. 17. 7.

Apocalypsi describit cum septem capitibus, quæ sunt septem capitalia peccata, ex quibus omnia alia tanquam ex fontibus profluunt; Est caput super quod ascendit superbia, habens sessorem Diabolum, qui vtramque per mille peccatorum anfractus, & tandem per inferni præcipitia, resilire & subsilire facit.

Superbia infirmitas vniuersalis animæ, & origo omnium peccatorum.

SECTIO XXX.

VT sacri Doctores superbiam esse vniuersalem animæ infirmitatem, & originem omnium peccatorum ostenderent, vtque odiosam magis apud mortales redderent, tumori corporis turgidi compararunt: *Superbia, inquit, S. Basilius inflat animam malo tumore.* Et S. Chrysostomus: *quod corporibus est tumor, id animabus est superbia.* Porrò quemadmodum talis tumor est symptoma quoddam, indicans generalem & malignam partium totius corporis

S. Basilius hom. 22. S. Chrysost. hom. 3. in Isaiam.

poris affectionem, quæ illud ad vitæ functiones ineptum reddit, disponitq́; ad omnis generis morbos; ita superbia torporem inducit in animam, quo stupida efficitur ad omnes actus virtutum exercendos, aptissima autem ad productionem vniuersitatis vitiorum. Et alibi S. Chrysostomus: *vt inflatur corpus deperditâ sanitate, ita anima turgescit priuatâ humilitate: Superbia aliud non est, quàm animi fœditas, & deprauatio, infirmitas admodum perniciosa.* Idem superbiam comparat radici corruptæ: *si inquit superbis, in agro animæ tuæ plantasti radicem malorum omnis generis, iuxta sapientem, qui vocat superbiam fontem & matrem omnium malorum.* S. Gregorius vtens eâdem comparatione dicit quòd superbia omnia alia mala quantacunque sint, superet: & alibi, quòd omnes virtutes corrumpat; S. autem Bernardus vocat ruinam omnium virtutum. Ex quibus rectè inferes, esse generationem omnium vitiorum: anima si careat virtute, vitio non potest carere, spoliata autem omnibus virtutibus, quid aliud reciperet sinu suo, quàm sementem omnium vitiorum? S. Gregorius super-

In caput 1. Ioannis hom. 16. Initium omnis peccati superbia. Eccl. 10. 15. Idem in cap. 7. Ioannis hom. 9. S. Greg. lib. 34. mor. c. 17. Et Isidorus lib. 2. de summo bono c. 8. Bern. his s. 39.

Greg. lib. 31. mor. c. 34.

superbiam intitulat reginam omnium delictorum, ad denotandam vnam maledictionem generalem, vnum completum vniuersitatis peccatorum ac vitiorum comitatum, qui constet tanquam ducibus & capitaneis septem peccatis capitalibus: *Vanâ gloriâ, luxuriâ, auaritiâ, inuidiâ, gulâ, irâ & acediâ;* quorum quodlibet vitium suam sub, & penes se habet legionem coagmentatam pluribus malignis affectionibus: quarum omnium superbia est dux generalis, & princeps absoluta; vti & diabolus eius est auctor, & Rex *super omnes filios superbiæ.* Idem S. Gregorius dicit, quòd ea, nempe superbia, vetissima sit reproborum nota, vti humilitas est signum electorum & filiorum Dei. Est item character bestiæ nominatæ in Apocalypsi B. Ioannis, quo in frontibus suis & in dextera notati sunt filij Diaboli, vt contrà filij Dei notati signo ταῦ, hieroglyphicâ littera humilitatis, quia est littera vltima Alphabeti Hebraici, & figura crucis, signi humilitatis Filij Dei. Sanctus Augustinus vocat superbiam scaturiginem omnium vitiorum, magnum peccatum, magnam

Lib. 34. mor. c. 3.

Apocalyp. 13. 16. 14.

T littera hieroglíphica humilitatis.

Psal. 18.

magnam infirmitatem generis humani, sic enim ait: *Arbitror quòd quando David dicit se mundandum à delicto magno, significare superbiam. quia deiecit Angelum, & ex Angelo fecit Diabolum, eiq; æternùm interclusit Regnum cælorum. Magnum hoc delictum est, & caput, atq; causa omnium delictorum; propter hoc vitium, propter hoc magnum superbiæ peccatum, Deus humilis venit: hæc causa, hoc peccatum magnum, iste ingens morbus animarum, omnipotentem medicum de cælo deduxit, vsq; ad formam serui humiliauit, contumeliis egit, ligno suspendit: vt per salutem tantæ medicinæ curetur hic tumor. iam tandem erubescat homo esse superbus, propter quem factus est humilis Deus.* Hæc D. Augustinus: Erubescat ergo verè superbus, & timens ingentem animi sui morbum, fiat humilis, vt ab eo liberetur.

Superbia & stultitia vt sociæ indiuiduæ semper simul grassantur.

SECTIO XXXI.

OStendi superbiam primi gradûs (qui gradus, vt sæpius dixi, con- Grad. 1. l. 23.24.

sistit in suiipsius ignorantia) gradi semper comite stultitiâ; item omnem stultum esse superbum, & omnem superbum stultum. Et quoniam ad confusionem superbiæ, & commendationem humilitatis permagni interest, perfectè cognoscere earum confœderationem, constitui hic adhuc eam magis declarare, & ostendere superbiam huius tertij gradûs, quæ sedem habet in PROPRIA VOLVNTATE, trahere semper secum stultitiam, vti & primi gradus superbia eam stultitiam trahebat: diuerso tamen modo id ostendam. PRIMO igitur, quandoquidem PROPRIA VOLVNTAS omnibus vitijs, tanquam satellitibus stipata incedit, nulli dubitandum est, quin stultitia vitiorum omnium generalissima, ex eius sit comitatu. SECVNDÒ talis voluntas est destituta omni rationis ope & auxilio: quia illa ipsa iamdudum hanc corrupit, cùm & ipsa à suis passionibus sit peruersa. Qui igitur superbiâ inflatus in suis actionibus prudenter se habebit, cùm sano intellectu & voluntate sit priuatus? Qui ergo rectâ incedet viâ, vtroque crure destí-

destitutus, & vtroque oculo captus? & impetu suarum passionum in varia abreptus præcipitia? Hæc eadem voluntas alium non habet ducem, quàm Diabolum, auctorem & gubernatorem suum. Quem ducem, vt dictum est, sociata proprio consilio proximè & solicitè sequitur. qui dux & princeps tenebrarum diabolus, cùm malignis abundet inuentionibus, nũquam cessat veteribus tenebris, & passionibus nouas offundere, cæcitatem animi adaugere, concupiscentiam inflammare, & omnes hominis miserabiliter decepti, præstantissimas alioquin potentias susq; deque ferre tamdiu, quoad bestiâ reddat insensibiliorem; bestiâ inquam, quia non obstante, quòd ea omnis omnino rationis sit expers, quæ tamen legis communis naturæ sunt, non transgreditur, cùm homo superbus diabolum ducem sequutus, suo vtatur ingenio, ad naturæ, eiusque dictaminum euersionem. Est ergo non solùm bestia, deperditâ ratione, quâ erat homo, sed bestiâ longè inferior, cùm omne iudicium suum, voluntatem, & omnes animi vires impendat,

Diabolus ductor propriæ voluntatis.

Homo per Diabolum fit insensibilior bestia.

&

& dicet malis cogitationibus, & peioribus factis. Ipsius intellectus est penus errorum; ipsius voluntas seminarium peruersorum appetituum, & desideriorum: ipsius sensus aliud non sunt, quàm materia & fomentum rebellionis & amentiæ. & cùm eius actiones & opera ex talibus prodeant principijs, neque sapientiâ vllâ, neque virtute aliâ possunt esse condita. Et quod hinc sequitur, fructus talium operum ex arbore tam funestè vitiatâ, nullo comedentem, vel malo, afficiunt sapore. His de causis sancti litterarum scriptis explicatum posteris tradiderunt, stultitiam esse effectum superbiæ, & vice versâ, superbiam esse effectum stultitiæ, dum vna alteram generat per gradus diuersos. Videmus etiam in sacrarum litterarum paginis, quòd actiones superbiæ vocentur stultitia. Saulus superbiâ stimulatus, se sacrificio, quod presbyterorum tantùm erat officium, offerendo ingerens, audijt à Samuele, sacrorum summo sacerdote, se
1. Reg. 14. 9. his verbis castigari: *stultè egisti.* Cùm
Dauid vanitatem gentilium sequutus, iussisset numerari populum sibi subiectum,

ctum, facti conscientiâ grauatus, suppliciter rogans veniam à domino, dixit: *peccaui valde in hoc facto, sed precor Domine, vt transferas iniquitatem serui tui, quia stultè egi nimis.* 2. Reg. 24. 10. SS. Doctores passim docent hominem per superbiam effici stultum. vnde nemo mirari debet fructus talis arboris vocari stultitias, vti & poma ficulneæ vocantur ficus. Nihil magis inquit D. Chrysostomus hominem efficit stultum, quàm arrogantia: audi stultum *dicentem in corde suo: in cælum conscendam, supra astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis.* Isaiæ 14. 13. Aliquidné magis insensatum & stultum istis verbis excogitari potest? Stultus iste erat Lucifer, non obstante quòd in origine sua omnium immortalium spirituum perfectissimus & sapientissimus fuerit, per suam tamen propriam voluntatem & superbiam omnium insipientissimus factus est. Quæ enim maior esse potest vel stultitia, vel stoliditas, quàm voluntariè ex capite Angelorum, & principe curiæ supremi Regis, fieri caput Diabolorum & furiarum infernalium? Superbia eum reddidit amentem, amentiâ.

mentia autem postea eum semper constantem retinuit in superbia. Porrò si *timor Domini*, filia humilitatis, *est initium sapientiæ*, è contrario superbia est initium stultitiæ. Superbia ergo, concludit S. Chrysostomus Doctor eximius, est extrema stultitia: & omnis superbus stultus, & omnis stultus superbus. Et hoc ex tot scaturiginibus & capitibus, ex quot stultitia potest generari, nimirum generaliter ex intellectu turbato, ex voluntate peruersâ, & ex anima, quæ à recto deflexit tramite.

S. Chrysostom. in Psal. 13. Hic g. 1. f. 25. 26.

De vana gloria, primogenitâ superbiæ & stultitiæ.

SECTIO XXXII.

S. Thom. 2. 2. q. 132. a. 1.

PRima soboles, quam superbia & stultitia generaut, est appetitus vanæ gloriæ; quæ ideo vana dicta est, quia falsa, quia carens omni soliditate, proles proinde digna talibus progenitoribus. ea autem è pluribus oritur causis. PRIMÒ quando ex re frivola, & nullius momenti laus appetitur, ut nanus ille, qui Herculi æqualis haberi

haberi volebat, quia glirem confecerat. SECVNDÒ eadem laus quæritur ex peccatis, vt faciunt homines profligatæ conſcientiæ, qui gloriantur in rebus peſſimis. TERTIÒ quando ea ab hominibus, & non à Deo, qui eſt iuſtiſſimus omnis humanæ actionis æſtimator, expectatur. QVARTÒ quando opus quod fit, neque ad Dei gloriam, neque ad ſalutem proximi, neque ad vllum alium, qui laudem mereatur, finem refertur. Omnes iſtiuſmodi appetitus, ſunt appetitus vanæ gloriæ, appetitus vaniſſimi, vti & laudes, quæ inde expetuntur, ſunt vaniſſimæ. Proinde omnes heptes ſuperbiæ, omnes ſpecies ſuperbiæ. Propterea qui ex malo habitu & conſuetudine eas deſiderat, & adhibito ſtudio proſequitur, præoccupatus & infectus eſt veneno iſtius peſſimi vitij, vanæ gloriæ, primi dominatûs Diaboli, poſtquam ſuâ malitiâ in Diabolum euaſit. Cùm enim aduerteret ob ſuam arrogantiam, excluſum ſe ab omni ſpe veræ gloriæ, ſtimulante eum ſpiritu ſuperbiæ, ac ſtultitiæ, cæpit falſam gloriam & vmbram loco corporis adamare, Gen. 3. 5.

mentia autem postea cum semper constantem retinuit in superbia. Porrò si *timor Domini*, filia humilitatis, *est initium sapientiæ*, è contrario superbia est initium stultitiæ. Superbia ergo, concludit S. Chrysostomus Doctor eximius, est extrema stultitia: & omnis superbus stultus, & omnis stultus superbus. Et hoc ex tot scaturiginibus & capitibus, ex quot stultitia potest generari, nimirum generaliter ex intellectu turbato, ex voluntate peruersâ, & ex anima, quæ à recto deflexit tramite.

S. Chrysostom. in Psal. 13. Hic g. 1. f. 25.26.

De vana gloria, primogenitâ superbiæ & stultitiæ.

SECTIO XXXII.

S. Thom. 2. 2. q. 132. a. 1.

PRima soboles, quam superbia & stultitia generaunt, est appetitus vanæ gloriæ; quæ ideo vana dicta est. quia falsa, quia carens omni soliditate, proles proinde digna talibus progenitoribus. ea autem è pluribus oritur causis. PRIMÒ quando ex re friuola, & nullius momenti laus appetitur, vt nanus ille, qui Herculi æqualis haberi

haberi volebat, quia glirem confecerat. SECVNDÒ eadem laus quæritur ex peccatis, vt faciunt homines profligatæ conſcientiæ, qui gloriantur in rebus peſſimis. TERTIÒ quando ea ab hominibus, & non à Deo, qui eſt iuſtiſſimus omnis humanæ actionis æſtimator, expectatur. QVARTÒ quando opus quod fit, neque ad Dei gloriam, neque ad ſalutem proximi, neque ad vllum alium, qui laudem mereatur, finem refertur. Omnes iſtiuſmodi appetitus, ſunt appetitus vanæ gloriæ, appetitus vaniſſimi, vti & laudes, quæ inde expetuntur, ſunt vaniſſimæ. Proinde omnes heptes ſuperbiæ, omnes ſpecies ſuperbiæ. Propterea qui ex malo habitu & conſuetudine eas deſiderat, & adhibito ſtudio proſequitur, præoccupatus & infectus eſt veneno iſtius peſſimi vitij, vanæ gloriæ, primi dominatûs Diaboli, poſtquam ſuâ malitiâ in Diabolum euaſit. Cùm enim aduerteret ob ſuam arrogantiam, excluſum ſe ab omni ſpe veræ gloriæ, ſtimulante eum ſpiritu ſuperbiæ, ac ſtultitiæ, cæpit falſam gloriam & vmbram loco corporis adamare. Gen. 3. 5.

&

& deinde adamatam studuit omnibus viribus adipisci, quam, vbi non magno labore adeptus esset, docuit primum hominem eam affectare, eum auertens ab obedientia imperij diuini, ei dictitans sub vano prætextu, fore vt esset Deus, quæ gloria ei minimè competebat: proinde ea vana in se, & vana in spe erat. Et ita omnis Adami propago fuit in sua origine infecta, & labe peccati parentis sui contaminata; & effecta superba, vt ille, & vanæ gloriæ appetens, vt ille. Magna hæc est omnium mortalium infirmitas, prouenicns ex ipsa eorum origine, quæ eorum petens caput, facit eos delirare. quæque ita tenaciter medullis animarum inhæret, vt perquam arduum ac difficile sit, illud redicitus euellere; ita commune, vt in omni personarum genere, in omni terrarum loco reperiatur; ita perniciosa, vt innumera patret flagitia, & omne bonum conetur suo veneno inficere. Plato dicebat vanam gloriam, id est appetitum talis gloriæ, esse vltimam tunicam, qua se spoliat anima. Et hoc quidem dicebat ad notandum, quòd ea admodum profundè radicata

Superbia est mortalibus velut morbus adductus.

Plato de vana gloria.

dicata sit in corde, & vitia omnia alia facilius suffocentur, quàm hoc vnicum, quod resistit vsque ad vltimum pugnæ finem, id est vsque ad vltimum hominis vitæ spiritum. Ea reperitur non solùm in aulis Regum & principum, sed etiam inter infimæ & mediocris fortunæ homines, inter mercatores, inter artifices, inter colonos; & vt prouerbium vetus habet: *figulus figulo, & faber fabro inuidet.* Quod idem est, ac si diceret, etiam inter minimos, dominatus huius vanæ gloriæ inuenitur. Illi ipsi Philosophi, etiam illis libellis, quibus de contemnenda vana gloria scribunt, nomen suum imponunt. Et quod est magis mirandum & deplorandum, hic appetitus deprehenditur inter eos, qui sancti & religiosi dicuntur, & verò etiam sunt. Apostoli nonnunquam disputabant, *quis eorum videretur maior*, id est, qui maiori honore dignus esset censendus. Sancti, Iacobus & Ioannes petebant, vt Saluator iuberet vnum ex ijs sedere ad dextram in regno suo, & alterum ad sinistram. Quis credidisset, nisi irrefragabilibus Euangelistarum testimonijs didicisset, istius

Prouerb. 85. Chil. 1. cent. 2.

Cicero Orat. pro Archia Poeta.

Mar. 9. 37.

Matth. 20. 21. Mar. 10. 37.

Digitized by Google

conditionis homines, simplices piscatores, homines, qui in sudore vultûs sui panem suum lucrabantur: & quod maiorem parit admirationem, discipulos tam humilis Magistri, tam accuratè instructos in perfectissima humilitatis Academia, appetere vanam gloriam, & appetitam tam apertè, & tam studiosè quærere? Vitia, quæ hic appetitus in anima producit, & mala, quæ procreat in Rebuspublicis, sunt innumerabilia. Quare vbi quis valde multa recensuerit, semper plura & plura ei restabunt recensenda.

De inobedientia & aliis vitijs, ex comitatu vanæ gloriæ.

SECTIO XXXIII.

Lib. 3. c. 31. S. Thom. 2. 2. q. 132. art. 5.

Vitia ab hoc appetitu progenita, quæ recensentur à D. Gregorio in moralibus, præcipua sunt: *inobedientia, iactantia, hypocrisis, contentio, obstinatio, discordia & præsumptio, tota progenies fœminea, omnes filiæ vanæ gloriæ, omnes neptes superbiæ; omnes coniuratæ ad stultè manifestandam & ostentandam propriam excellen-*

excellentiam. vult enim superbus ipse videri, & patefieri bona, quæ possidet, aut possidere se putat: & id non ad gloriam Dei, aut vtilitatem proximi, sed vt ab hominibus laudetur, & honoretur: proinde si animaduertat imperio superioris se deprimi & impediri, quò minus consequatur id, quod animo sibi designauit, obedientiæ frangit repagula, & contra superiorem facillimè rebellat. Ita Adamus credens se Deum futurum, iuxta promissum primi mendacis, Diaboli, rupto & abiecto freno, à suo creatore sibi imposito, vetitum fructum momordit, comedit, & aduersus Deum recalcitrauit: Vt autem humilitas mater est obedientiæ; ita superbia rebellionis. Idem superbus eodem fine se iactitat, & verbis insolentibus se suaque extollit, studiosè imitans eos, qui dicebant; *linguam nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt.* Et sic per iactantiam conatur consequi vanam gloriam: fingit se habere virtutem, quâ penitus caret, & appositâ laruâ occultat vitia, quibus scatet, & partes omnes strenuè agit hypocritæ. Et pro eadem obtinenda vanitate verbis

Inobedientia.

Gen. 3. 7.

Iactantia.

Psal. 11. 5.

Hypocrisis.

Contentio. & clamoribus contendit, digladiatur, contestatur, quò videatur prætensæ excellentiæ causam ad minùs verisimilibus rationibus propugnare; ingenium suum & iudicium omnium aliorum ingenio & iudicio longè anteponit, & in hac de præconcepta de se falsâ opinione fixus hærens, in hominem capitosum & prorsus obstinatum euadit, Obstinatio. tam pertinax est, vt à propria voluntate ad nullius rationem eam velit inflectere, aut eorum, qui plus sapiunt quàm ille, vllo modo accommodare. vnde nascitur discordia. In summa, cùm vijs ordinarijs nequit ad metam passioni suæ designatam pertingere, ex- Præsumptio. traordinarias ingreditur: *fabricat sibi cisternas dissipatas, non valentes continere aquam,* in quibus detinet suas cogitationes & desideria, non secus atque serpentes & buffones se cum voluptate detinent in aquis stagnantibus: quin & impulsus præsumptione res paradoxas, noua dogmata, schismata, & pestilentes hæreses hominibus propinat: Etsi eius peruersi animi propositum exigere videatur sub prætextu honoris Dei, & boni publici, Deo & Reipublicæ

bellum

bellum indicit, & læsæ Maiestatis diuinæ & humanæ reum se constituit. Et hæc omnia ad emendicandam vanam gloriam, & ad aucupandum plausum popularem. En habes summatim enumerata Originalia vanitatis vitia.

Idololatria proles superbiæ & vanitatis.

SECTIO XXXIV.

SVnt & alij fœtores, qui ex eâdem superbiæ & vanitatis illius primogenitæ sentinâ profluunt: quorum aliquos in medium adferre oportet, ne in doctrina tam salutari deficere; & aliquos reticere, ne in materia tam odiosa nimis prolixi esse videamur. PRIMÒ ergò, quemadmodum humilitas regit sapienter omnes animæ potentias, intellectum, iudicium, memoriam, & & omnes suas vires, curas, cogitationesque Dei gloriæ adaugendæ, & proximi saluti promouendæ impendit; ita vanitas omnia sua studia propriæ gloriæ, & bono particulari dicat consecratque. Quæ vt consequatur, omnia

superius prætacta, & plura alia vitia in campum, tanquam proprias legiones educit. Quæ eductæ totis viribus, totâ potentiâ Dei honorem hominumque incolumitatem ad imitationem Proaui sui Diaboli superborum Regis, oppugnant. Et quia inter mortales gloria diuinitatis est omnium illustrissima, ideo adinuênit idololatriam, quâ, tum homines, tum dæmones solicitè laborarunt, vt honorarentur velut quipiam Dij, inducti ad hoc vanitate non minus admirandâ, quàm perniciosâ: quia & Deo gloriam, quantùm in se est eripit, & mortalibus adfert interitum. Ita Nabuchodonosor Rex Babyloniæ figura Satanæ, Regis superborum, volens se reddere illustrem per aliquam diuinæ excellentiæ ostentationem, & etiam, hominum opinione, Deum, cùm nullo veritatis argumento id posset consequi, erexit statuam auream, quam ipse adorauit, & vt homines suo Imperio subiecti adorarent, seuerissimis decretis imperauit. Quare suiipsius, prô pudor? factus idololatra; infinitas hominum miriades ad idem facinus patrandum suo

Dan. 3. 1. 3.

suo peruerso exemplo & decreto induxit impulitque. In qua officina hæc statua & idololatria, nempe superbiæ & vanitatis, fuit excusa, in eâdem omnes aliæ gentilium, Saturni, Iouis, Martis, Apollinis, Veneris, Bacchi, & sexcentæ aliæ falsorum Deorum (quæ accuratè litteris consignatæ sunt in ritualibus vanæ eorum superstitionis) fabricatæ sunt. SECVNDÒ, quemadmodum omnis generis bona profluunt ex cultu & seruitio diuino, quod parit humilitas in vera Religione ad Dei Optimi Maximi Gloriam; ita omnis generis mala ex idololatria, excogitata, inuenta, & in nimis pudendam, prô dolor! praxim, ad hominum & dæmonum gloriam deducta. Ideoque omnia alia impietatis genera, blasphemiæ, flagitia, maleficia, homicidia, sacrilegia, scorta, incæstus, per detestabilem idolorum impuritatem commissa, suâ primâ origine ex maledicta & execranda cupiditate vanæ gloriæ, primogenitæ superbiæ, profluxerunt. Quis poterit, non dico enumerare, sed vel coniecturâ aut cogitatione assequi immanitatem & infinitatem istorum malorum?

S. Aug. de ciuit. Dei. l. 3. c. 12. ex Varrone.

Superbia & Vanitas hæreseos progenitrices & Philosophi Patriarchæ Hæreticorum.

SECTIO XXXV.

QVemadmodum Diabolus, mediante superbiâ & vanâ gloriâ, erectorum inter Ethnicos auctor est idolorum materialium; ita & in Ecclesia Dei inter Christianos auctor est proseminatatum hæresum, quæ sunt idola spiritualia cognitu equidem, ob suam subtilitatem, illis difficiliora, perniciosiora, & abominabiliora, quia magis interiorem mentis statum per errores, & voluntatis integritatem, & vigorem per prauas affectiones corrumpunt. Hæretici contra Deum non eminus, non externo apparatu vt idololatræ, sed cominus & in ipsiusmet templo belligerant; eius Fidei veritatem eliminant; eius Religionem ablegant; altaria euertunt, templa profanant; & ore impudentissimo solos se fideles Dei seruos in eius domo iactitant. interim eius Maiestatem penitus

Hæreses idola spiritualia.

S. Cyprian.

Arrogantia hæreticorum.

nitus conculcantes. Negari equidem certè non potest, quin perniciosa sint idola gentilium, sed cùm crassâ & palpabili constent materiâ, facilè dignosci & vitari possunt. Idololatræ eodem quidem modo sunt obnoxij, sed tamen muros ciuitatis Dei à longè & forinsecus oppugnant. Audi porrò qualiter superbia docuerit incîdere & insculpere abominationes nefandæ hæreseos, adinstar idolorum. Vbi hominem vanitate imbuerit, eundem ad desiderium magni nominis inter mortales acquirendi accendit. quod vt consequatur, omnia sua, præcipuè autem scientiam, quam habet, vel se habere inflatus credit, vt impendat, auctrix est. Docet præterea eum phantasias & extrauagantes opiniones proseminare, & proseminatas vanis allegationibus perperam explicatis, ac mutuatis sacræ scripturæ textibus, stabilire; deinde falsificata verba miro artificio suis auditoribus proponere, & tandem exutâ iam omni fronte, iubet eum dicere, quòd quæcunque docet, quæcunque suscipit, purè putè se ea suscipere pro gloria Dei, & proximi bono. in quo

Qualiter quis efficiatur hæreticus.

Deum impudenter irridens, insigniter mentitur. Et quo spiritu; nempe impudente & arrogante, tale facinus aggressus est superbus Hæreticus; eodem & peiori, nimirum inauditæ audaciæ; odibilis hypocrisis, diabolicæ rebellionis & aliorum vitiorum (nolens neque rationum argumentis, neque auctoritati superiorum, neque ipsi Deo cedere) defendit & tuetur obstinatissimè. Et postquam omnibus perfecti hæretici numeris est absolutus, hæreseos caput, & hæreticorum principem sese ipse constituit. suscitat lites, iurgia, seditiones, & omnium malorum & fœtorum sentinam commouet. Quæ mala historiæ per Simonem Magum, per Arium, per Marcionem, per Nestorium, & alios hæresis antesignanos olim patrata graphicè depingunt. Nostro autem sæculo Lutherus, & Caluinus Apostatæ, doctrinam, vnionem, & tranquillitatem Ecclesiæ Christi confuderunt, ruperunt & perturbarunt, omnemque Christianitatem penè inextinguibili incendio obiecerunt. Vnde S. Augustinus, & alij sacri Doctores sapientissimè obseruarunt, & verissimè suis

Lutherus & Caluinus.

Lib. de pasto. c. 8. tom. 9. & Hieron. in c. 5. Osea.

suis scriptis contestatum reliquerunt: vanitatem nempe & superbiam esse matrem omnium hæresum, & innumerabilium malorum, quæ illæ pessimæ genitrices progenuerant. In eundem auctorem referri debent sexcenta antiquorum Philosophorum absurda, qui capti vanitate, effecti sunt stolidi & deliri tot modis, quot studuerunt per iactantiam suæ scientiæ acquirere vanam gloriam. Vnde non immeritò à Tertulliano vocati sunt *Patriarchæ, & semen hæreticorum;* sed illi multò minus nocebant, quàm hæretici, quia eorum potissima errorum pars solùm officiebat veritati creaturarum naturalium, absque læsione conscientiarum, cùm hæreses sint mendacia, quæ fidem, quæ salutem tollunt, & in perditionis barathrum præcipitant.

Quiutinus: in Synod. Gangrensi

Apolog. c. 8. semen hæreticorum 16. c. 47.

De appetitu Vanæ gloriæ in eloquentia.

SECTIO XXXVI.

PRimis duobus gradibus dixi de præstantia Eloquentiæ, & plures attuli

V. G. 1. & 11. 52. & seqq.

Deum impudenter irridens, insigniter mentitur. Et quo spiritu, nempe impudente & arrogante, tale facinus aggressus est superbus Hæreticus; eodem & peiori, nimirum inauditæ audaciæ, odibilis hypocrisis, diabolicæ rebellionis & aliorum vitiorum (nolens neque rationum argumentis, neque auctoritati superiorum, neque ipsi Deo cedere) defendit & tuetur obstinatissimè. Et postquam omnibus perfecti hæretici numeris est absolutus, hæreseos caput, & hæreticorum principem sese ipse constituit. suscitat lites, iurgia, seditiones, & omnium malorum & fœtorum sentinam commouet. Quæ mala historiæ per Simonem Magum, per Arium, per Marcionem, per Nestorium, & alios hæresis antesignanos olim patrata graphicè depingunt. Nostro autem sæculo Lutherus, & Caluinus Apostatæ, doctrinam, vnionem, & tranquillitatem Ecclesiæ Christi confuderunt, ruperunt & perturbarunt, omnemque Christianitatem penè inextinguibili incendio obiecerunt. Vnde S. Augustinus, & alij sacri Doctores sapientissimè obseruarunt, & verissimè suis

Lutherus & Caluinus.

Lib. de pasto. c. 8. tom. 9. & Hieron. in c. 5. Oseæ.

suis scriptis contestatum reliquerunt: vanitatem nempe & superbiam esse matrem omnium hæresum, & innumerabilium malorum, quæ illæ pessimæ genitrices progenuerant. In eundem auctorem referri debent sexcenta antiquorum Philosophorum absurda, qui capti vanitate, effecti sunt stolidi & deliri tot modis, quot studuerunt per iactantiam suæ scientiæ acquirere vanam gloriam. Vnde non immeritò à Tertulliano vocati sunt *Patriarchæ, & semen hæreticorum:* sed illi multò minus nocebant, quàm hæretici, quia eorum potissima errorum pars solùm officiebat veritati creaturarum naturalium, absque læsione conscientiarum, cùm hæreses sint mendacia, quæ fidem, quæ salutem tollunt, & in perditionis barathrum præcipitant.

Quiritur: in Synod. Gangrensi.

Apolog. c. 8. semen hæreticorum 16. c. 47.

De appetitu Vanæ gloriæ in eloquentia.

SECTIO XXXVI.

PRimis duobus gradibus dixi de præstantia Eloquentiæ, & plures attuli

V. G. 1. & 11. 52. & seqq.

attuli considerationes, quibus homo sapiens abundè satis instruere potest suum intellectum, ne ex isto dono inflctur, neque se sub pœna salutis amittendæ super alios attollat: Eædem illæ considerationes hic ei inseruiunt ad moderandam sano intellectûs consilio concitatam voluntatem, ne prauæ hominum opinioni & vanitati affectûs adhærescat, neque suæ eloquentiæ impetu se transportari sinat ad venandas muscas & papiliones adinstar hirundinum & passerum; neque etiam ad colligendam auram & applausum multitudinis, quo adinstar eorum, qui olim Romæ noui nouos inibant magistratus, populo visccrationem ad eum sibi conciliandum, facere solebant, ventum aucupetur. Cùm omnis superbus infirmitate intrinseci tumoris, & prauæ mentis affectione laboret, percupit excellentiam, maximè autem intellectus, quam habet vel habere se imaginatur, toti mundo patere, vt inde emendicatâ laude & honore ardentem siticulæ mentis febrim paululùm refrigeret. Et cùm omnibus hoc à natura insitum sit desiderium, præcipuè tamen ijs, qui valent,

Prou. 42. Phil. 4. cent. 7. muscæ.

valent, vel valere se putant eloquentiã. quia cùm præstantia & pulchritudo illius sit in propatulo, ea cernitur, auditur, iudicatur, & comprimis in pretio habetur ab omnibus pene mortalibus, quibus, cùm dicendo aures demulseris, etiam ipsi, dicentis cor laudis perauidum, suo applausu & blanditijs demulcere student. Vnde is, qui dicit in publico non immeritò naui in alto mari ventis & fluctibus expositæ comparatur. qui, si superbus est, & secundo feratur vento, ex doni excellentia vult honorari; sin aduerso, in proximo submersionis & amissionis omnium fortunarum est periculo. Quisquis igitur ab hoc periculo cupit securus esse, sapienter in hoc exercitio iuxta fidei rationes, iuxta Dei timorem, suum regat appetitum, cõsideret etiam exiguum esse lucrum & minus, quàm Agyrtarum, si solùm oratoris nomen & gratiam auditorum absque vllo alio fructu adipiscatur: nam Agyrtæ loquendo & garriendo ad suam sustentationem, vt minimùm nummos aliquos colligunt, at verò vanus orator aliud non colligit, quàm quod quærit, nempe rumo-
rem,

rem, ventum, & ex pretio nobilissimæ artis vix plumam vnius auiculæ. Quòd si aliud non quærat, quàm lucrum, eius conditio melior non est; imò est peior, quàm Agyrtæ. Hic enim sine pretio linguam suam vendit, ille currenti pecuniâ suos humeros. Dedicet ergo bonus orator amorem suum rei præstantiori, quàm sit laus & fauor hominum: collimet ad gloriam Dei, & hominum salutem: det operam gloriæ æternæ, det & diuitijs, non pereuntibus, acquirendis, vt eius eloquentiæ fructus sint præmium immortalitatis.

Appetitus vanæ gloriæ, nominatim circa bona corporis & fortunæ.

SECTIO XXXVII.

QVemadmodum fatui superbiunt ob bona corporis, sanitatem, pulchritudinem, fortitudinem,
1. Grad. &c. item ob bona fortunæ, diuitias, ho-
f. 36. 64. nores, Magistratus, Præfecturas, Prin-
65. 66. cipatus, Regna, & alia huiusmodi, quæ
68. 70. relata sunt primo & secundo gradu hu-
2. grad. ius operis; ita ob eadem arripiunt oc-
35. 36. &c. casionem

casionem venandi gloriam hominum, quâ appetitus sui terminum constituunt vanitatis domicilium. In intellectu inflantur opinione suorum talentorum; seipsos magnificè depredicant, se ingenti arrogantiâ alijs praferunt. in voluntate iuxta præconceptam de se opinionem ardent cupiditate honoris: credunt se in suis donis, veris aut imaginarijs esse solos, aut, si quos in societatem admittunt, se illis longè esse excellentiores existimant. Et cùm tales, inquit Sanctus Bernardus, loquens de ijs, TITVLO *de nimia fallacia vita præsentis, maiori honore se dignos putarent, quàm alios, errarunt in solitudine, in aquoso, viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt. Solitudo hac superborum est, quia solos sese reputant, solos appetunt reputari, literatus est? odit socium, astutus in negotiis sacularibus, neminem sibi vellet similem inueniri; pecuniosus est? si ditescere audierit alterum, cruciatur. fortis est aut formosus? da ei parem & contabescit, solitarius est, sed erroneus errat in solitudine sua; non enim solus habitare poterit super terram: hac D. Bernardus.* Et quia errat, vult viuere solus & singularis super terram, vel saltem reputari talis; Tit. 1. 6.

solus

solus & singularis in pulchritudine, in fortitudine, in strenuitate: vti & in intellectu & iudicio; solus & singularis in cibo, in potu, præfert panem subcinericium, & vas aquæ ab Angelo paratum & porrectum Eliæ, & dimidium panis hordeacei per coruum missum Diuo Paulo primo Eremitæ, quibussuis perdicibus, & vino Maluatico sumptis cum alijs in communitate. Non quòd amans sit sobrietatis, sed quòd singularitas eius vanitati sit ferculum longè deliciosius, quàm quiuis alij cibi etiam exquisitissimi, singularis in vestibus, siue eæ pretiosæ sint, siue viles; singularis in sermone, in incessu, & in omni sua actione, semper in aliqua re (si non potest in omnibus) vult primas habere. si quos nobiliores se absque vlla controuersia viderit, ad nouas se vertit comparationes, noua inquirit argumenta, vult se æstimari opulentiorem; si sit inferior Rege, primus inter Principes, & secundus à Rege vult vt habeatur; si nequit inter doctos esse singularis, mutat clypeum, iungit se ignaris, vt vel sic *sit luscus inter cæcos.* si inter fortes nequit locum inuenire, conatur

3. Reg. 19. 5. 8. Paulus primus Eremita. S. Hier. in eius vita.

Singularitas cibus superborum.

natur primum habere inter timidos; si super magnos non possit imperium obtinere, studet vt obtineat inter paruos. Et imitans Dyonisium Siciliæ Tyrannum, qui regno pulsus à suis Vasallis & subditis, Corinthi scholam aperuit: vt vel sic inter paruos pueros regnaret. si loquitur, si scribit, vel quid aliud agit, non tantùm se iactat & extollit; sed etiam præ se omnes alios, qui idem præstant, contemnit, vt hac aliorum depressione solus nominetur, & primus inter omnes habeatur. si eum versari contigerit inter probos, aliquid molitur singulare, vt alijs melior credatur. vellet, si quis quacunque ratione suggereretur modus, mira quædam & rara patrare, vt per ea illustrior haberetur. Breuiter in omnibus, quæ inter mortales à mortalibus laudantur, superbus vult esse solus, aut primus qui æstimetur, qui laudetur, qui magnificetur & glorificetur. Quod vt assequatur, paratus est cum morte, cum inferno pactum facere; omnia sua studia, omnes vires in id conferre, nec non vanitatis suæ filias huic rei omnes dedicare. Eæ autem sunt: *egregia progenies*

Dionysius Tyrannus scholæ magister. V. G. 1. 33. & Prou. Διονύσιος ἐν Κορίνθῳ. Cic. 3. Tusc. & Quintil. instit. Orator. l. 8. c. 6.

Superbus omni in re vult solus æstimari.

genies, Rebellio, Iactantia, Hypocrisis, Præsumptio, Idololatria, Hæresis, & omnia vitia capitalia, nimirum Auaritia, Inuidia, Gula, Ira, Acedia, Luxuria, nec non omnia alia inferni agmina. Quæ vt in vnum congregare desiderat, si necesse habeat ad finem suum consequendum; ita omnes virtutes turbare, & disgregare, euertere statum animæ, corpus concupiscentijs subijcere, cælum terræ submittere, terramq; super cælum attollere. Tanta est malignitas, turbulentia ac impudentia superbiæ, vt non vereatur confundere vniuersum ordinem humanæ creaturæ, quò præoptatæ vanitatis brauîum adipiscatur, quod apprehendit & desiderat vt summum & absolutum bonum.

Superbia & Vanitas causa luxuriæ.

SECTIO XXXVIII.

INhærendo malis, quæ à superbia & vanitate procreantur, notandum est, vt saluberrimum documentum, luxuriam earum propriam esse sobolem, regniq; consortem. Quod non immeritò

immeritò mirum alicui videri potest, cùm superbia sedem fixerit in anima, luxuria autem in corpore, nihilominus propositionem verissimam esse, ratione desumptâ ex iustitia diuina ostenditur. *Hoc ipso enim quòd superbus per inobedientiam Deo supremo suo Domino rebellat, meretur, vt proprio corpore, quod serui instar ei subiectum esse deberet, interueniente motu planè abiecto & bestiali, humilietur, & contemptui habeatur.* Quam ob rem, prout relatum est suprà, vt humilitas est mater & custos castitatis, quia animam subijcit Deo, ità econtrariò superbia est inuentrix, fabricatrix, & altrix luxuriæ, eo ipso quod rebellet Deo. Hoc ita se habere palam fit in dæmonibus, qui, non obstante quod sint spiritus alieni ab omni carnis terræque concretione, tamen & luxuriam amant, & ad illius sordes sectandas, sua cum voluptate & gaudio vehementissimè mortales incitant. Et hoc ea de causa, quia superbi sunt; superbia autem nequit esse absque luxuria; quam cum exercere non valeant in proprijs corporibus, quia ijs carent, assumunt aliena, in quibus ad fœdissimum incubi, &

Hic sect. 23.

Diaboli amatores luxuriæ.

S. Th. 1. 2. q. 73. a. 5. in re p. ad 2. quia insatiabilis est appetitus delectabilium Arist. 4. Ethic.

Dæmones

incubi & succubi. succubi officium se prostituunt. prostituunt inquam, & nobilitatem suam cælestem terrestri & abominabili impuritate dedecorant & contaminant. Quod ex alio capite non prouenit, quàm ex eorum superbia. ob quam illi merentur pœnam & dedecus huiusmodi ignominiæ, quæ est effectus sententiæ, quam Deus contra superbum hunc spiritum [postquam primis nostris Progenitoribus Adamo & Euæ instillauit superbiam; & peccatum, confusionem, ac verecundiam in eorum membra immisit] protulit dicens; *super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ*: quod est dicere: tu humiliaberis & abijcieris ad ima, semper repens super terram. Quæ terra tuus erit cibus, intellige peccatum, cibum prorsus terrestrem. Et hoc quidem adinstar serpentis, à quo corpus es mutuatus. Adde quod vsus istius peccati vehementissimè humiliat, & insigni prorsus ignominiâ afficit dignitatem creaturæ rationalis. Quemadmodum enim eam efficit parem serpenti corporeo statura & formâ corporis, ita abiectione animæ, spirituali serpenti

Aug. lib. 15. de ciuit. Dei c. 23.

Gen. 3. 14.

reddit perquam similem. Si roges, cur quotquot fuêre insignes Idololatræ, quotquot formales Hæretici, & famâ longè latéque celebrati per orbem Philosophi (quorum in numero reponimus Socrates, Platones, & mundi, qui antiquitùs habiti sunt sapientes) tantò profundius in carnis illecebras se demiserunt, quantò altius superbiæ alis se extulerunt. rectè tibi respondebitur hoc modo: quia fuerunt superbi. Et non restringendo ad aliquod hominum genus, aut sectam *dico quod omnis malus, quò in vita fuerit elatior, eò in spurcitias fuit proiectior.* Huius rei testes sunt Nabuchodonosores, Nerones, Heliogabali, & alij non pauci lubricitatis corporis, & vanitatis mentis planè monstra. Qui difficile dictu est, an superbia, aut luxu fuerint illustriores. Quid multis opus est? duo hæc vitia tam arctâ inter se consuetudine sibi iuncta sunt, vt etiam homines Deo, per triplicem votorum funiculum deuincti, & in gratia eius constituti, quando minus cauti & circumspecti ambulantes in conspectu Dei, nonnihil abripiuntur vento vanæ gloriæ, hoc ipso

Digitized by Google

statim turpium cogitationum aculeis exagitentur. Et quò vehementiori superbiæ vento fuerint abrepti, eò acutiores carnis motus experientur. Ideóque omni studio conandum est castis mentibus, ne vnquam vel minimum superbiæ ac vanæ gloriæ ventum in se admittant. ne, eo flante, sopitæ in eorum corporum cineribus scintillæ inhonestarum cogitationum suscitentur: aduertentes autem huiusmodi suscitatas, statim suas conscientias ad examen seueri & sinceri iudicij aduocent; & fortassis deprehendent vanas cogitationes talium importunorum motuum esse in causa; vel si omni culpâ se vacare aduerterint, discent istiusmodi homines, si Deus absque eorum peccato permittat huiusmodi motus ijs euenire, fieri id ad eos humiliandos ab omnique superbiæ veneno conseruandos. Quod D. Paulo euenerat, quando dicebat: *Datus est mihi stimulus carnis meæ angelus satanæ, qui me colaphizet, ne magnitudine reuelationum*, quas nimirum, dum ad *tertium cælum raptus fuerat*, habuerat, *extolleretur*. Notandum autem est hunc carnis stimulum ei datum non

2. Corint. 12. 7.
G. 4. f. 16. 26. &c. Item G. 6. f. 5.

non fuisse, antequam eò raperetur (cùm ante id se extollendi tantum non subesset periculum) sed post audita illa *arcana verba, quæ non licet homini loqui*, vt si propter illas reuelationes contingeret, vt fieri facile poterat, animam inordinatè se attollere, corporis grauitate tanquam opposito libramento & pondere in infimis, id est in humilitate, detineretur. D. Gregorius Nazianzenus cum florente ætate periculosas carnis flammas & assultus non fuisset expertus, in extrema senectute experiri, Deo permittente, debuit. Vt si fortassis comparato scientiæ thesauro, magni nominis ac sanctitatis famâ, longè latéque per vniuersum orbem sparsâ, cor eius ad inordinata eleuaretur, animaduersâ proprij corporis rebellione, humiliaretur. Diuus etiam Hieronymus grauissimis stimulis carnis tentatus fuit, pro quibus reprimendis diu noctuque, vt ad Eustochium scribit, Deum supplex & humilis orabat. Hos sanctos EXEMPLI CAVSA attuli. nam innumeri sunt alij, tum sanctitate, tum scientiâ celeberrimi, qui in arenam cum propria carne pugnaturi

Tract. de calamit. animæ & in carmine aduersus carnem.

Epistola 22. ad Eustoch.

 descen-

descendere coacti sunt, vt in humilitate conseruarentur. Tanta diuinæ prouidentiæ est cura & solicitudo plantandi hanc diuinam virtutem, eandemque conseruandi in eorum mentibus, quos proposuit celebres virtutum perfectione hac in vitâ, & in altera conspicuos gloriâ reddere. Esto igitur humilis, & parua in oculis tuis ô anima Christiana, & Deo dicata, si tibi constitutum est crescere in virtute, & si sacrosanctè datam semel sponso tuo cælesti fidem seruare desideras, fuge superbiam, & quotquot in eius comitatu reperiuntur; fuge inquam & exhorrescere magis, quàm tibi appropinquantem Draconem, quàm Basiliscum, quàm dirissimam pestem, quàm acerbissima tormenta: quin & iam iam imminentem mortem; iace solidum humilitatis fundamentum, super quod & tu solidêris, aptaque efficiaris ad continendos in officio tuos appetitûs, & ad frenum & calcar, vbi & quando opus est, corpori tuo adhibendum: vt in eo conserues castitatem Angelicam cæteris omnibus diuinis virtutibus concomitatam.

Isid. l. 2. de summo bono c. 28.

Superbia

Superbia & vanitas corruptrices omnis bonæ actionis.

SECTIO XXXIX.

HVcusque ostendi superbiam interueniente vanitatis appetitu, esse causam omnium vitiorum & peccatorum: ostendendum nunc restat eandem esse pestem & perniciem virtutum omniũ & bonorum operum. quæ res multum adferet luminis ad perfectè cognoscendam turpitudinem & malignitatem istius informis monstri. Audiuimus paulò antè D. Gregorium dicentem, superbiam esse corruptionem omnium bonorum animæ; Sanctum Bernardum nuncupantem ruinam omnium virtutum; Audiemus paulò post S. Augustinum hic infra allegandum, Epistolâ ad Dioscorum, & in Psalmo 58. detestantem summè superbiam, & laudantem humilitatem: *Vitia inquit cætera in peccatis, superbia verò etiam in benefactis timenda est.* Supremam humilitatis laudem hanc dicit esse, quod inter cæteras vitæ Christianæ virtutes, ea sit

Hic sect. 30.

Epist. 55. ad Dioscor. & in Psal. 58.

Demosth. 3. de Oratore. Quintil. l. 11. Instit. Orat. c. 3.

prima, sit secunda, sit tertia: sicut Demosthenes, vt supra retuli, dicebat actionem & pronũciationem, loquens in simili argumento de laude eloquentiæ, promereri primas, secundas, & tertias partes eloquentiæ. Cuius rei rationem his verbis reddit: *nisi humilitas omnia quæcunq; benefacimus & præcesserit & comitetur & consecuta fuerit, & proposita quam intueamur, & apposita cui adhæreamus, & imposita quâ reprimamur, iam nobis de aliquo bono facto gaudentibus, totum extorquet de manu superbia: vitia quippe cætera in peccatis, superbia verò etiam in rectè factis timenda est, ne illa, quæ laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur.* Dico ergo humilitatem tribus vicibus & tribus temporibus esse necessariam, id est omni loco & tempore, in dispositione, in compositione, & conseruatione omnium virtutum & actionum; superbiam autem totidem temporibus & locis esse pertimescendam, in earum nimirum principio, in progressu, & in fine. Et casu quo in vno horum, tactu aut halitu huius Basilisci afficiantur, aut afflentur, omnem deperdunt bonitatem, arescunt, vilescunt, & in vitia

dege-

degenerant. Pone tibi ob oculos præstantissimas ac sanctissimas virtutes & actiones, Virginitatem verbi gratia, quæ in Ecclesia Dei thesaurus quidam est, & donum cæleste, superbiâ & vanitate euacuatur & eneruatur. sed audi Diuum Gregorium loquentem de Virginibus: *sæpe vos, fratres charissimi admoneo, praua opera fugere, mundi huius inquinamenta deuitare: sed hodierna sancti Euangelij lectione compellor dicere, vt & quæ bona agitis, cum magna cautela teneatis, ne per hoc quod à vobis rectum geritur, fauor aut gratia humana requiratur, ne appetitus laudis subrêpat, & quod foris ostenditur, intus à mercede vacuetur. Ecce enim Redemptoris voce decem Virgines, & omnes dicuntur Virgines, & tamen intra beatitudinis ianuam non omnes sunt receptæ: quia earum quædam, dum de virginitate sua gloriam foris expetunt, in vasis suis oleum habere noluerunt. id est non prouiderunt sibi de bonis operibus, præcipuè autem de humilitate, & ideo exclusæ sunt à conuiuio cælesti.* Et paulò pòst loquens de sapientibus, dicit: *Sinimirum gloriam suam non in ore hominum ponunt, sed intra conscientiam contegunt. Et sunt plerique, qui corpus per abstinentiam affligunt,*

sed

Virginitas sine humilitate vana est.

Hom. 12. in Euang.

Matth. 25. 1.

sed de ipsa sua abstinentia, humanos fauores expetunt. Viden' vt Virginitas, non obstante, quòd sit quoddam donum è cælo paucis concessum, sicut & quælibet alia qualitas animæ quantumuis speciosa, nihil prorsus sit in oculis Dei, nisi sit humilis, nisi sit remota ab omni vanitate & superbia. Quin & omnia, quæcunq; ad hominum fauorem comparandum fiunt, actus sunt non iustorum, sed saltus hypocritarum. Quam ob rem toties suos Apostolos & in persona eorum omnes Christianos admonet Saluator, ne faciant suam iustitiam coram hominibus, vt ab ijs aut orantes, aut eleemosynam elargientes, aut aliud quodpiam opus facientes videantur, indeque laudentur ac magnificentur. vt laudari & magnificari quærebant scribæ & Pharisæi, futurum alioquin, vt ab hominibus mercedem suam, nempe vanam gloriam recipiant.
Matth. 6. 1. 2. Monet econtrariò, vt opera sua faciant in abscondito, idque solùm propter honorem Dei, qui toto mundo spectante coronabit æternâ mercede opera facta intuitu sui solius amoris. Vnusquisque igitur signum hoc imprimat suis

suis operibus, ne, si secus fecerit, tempus perdat in hac vita, & in altera incidat in miserrimam Hypocritarum egestatem & ignominiam.

An desiderari possit gloria absq; vanitate?

SECTIO XL.

ANtequam quartum humilitatis gradum conscendamus, occasione vanæ gloriæ declarandum est, an possit in hac mortalitate, in qua moramur, expeti gloria absque vanitate. Quæ declaratio propriè huc spectat, & multùm conducit non tantùm ad præsentem, sed etiam ad futuram vitam. in vtraque siquidem nihil reperitur melius, & quod in maiori sit pretio, vt patet ex promissis passim de eà factis in sacris litteris, quàm gloria. Dico igitur I. tot modis illicitum & dedecorosum esse homini generoso desiderare, multò minus adhibito studio conquirere, vanam gloriam, quot probrosum esset viro graui & honorato affectare falsam nobilitatem, studioso falsam

Nemo debet quærere vanam gloriam. G. 6. c. 31.

falsam doctrinam, sapienti mercatori adulteratam monetam; venditori margaritarum distrahere falsos lapillos.

II. dico posse amare, exoptare, & etiam adhibitâ possibili industriâ, perquirere veram gloriam: quæ est debita alicuius boni manifestatio, & notitia facta suo loco & tempore per Iudicem competentem. PRIMÒ quia naturalis instinctus, quo quisque impellitur ad gloriam hanc, nos edocet veritatem, quæ veritas si in vllis alijs patet, maximè in infantibus & pueris, qui ad rectè agendum vnâ fere inducuntur gloriâ; à malo autem abducuntur ignominiâ. nec aliter fere virtus eorum capit incrementa, quàm si laudentur. SECVNDÒ quia ita homini cara, & tanto in pretio est, vt non pauci inueniantur, qui potius vitæ, quàm reputationis (esto ea non magni sit momenti) malint facere iacturam. TERTIÒ, quia hoc ipso, quòd Deus creauit hominem ad gloriam, & indidit instinctum ad eam inquirendam, & pluribus sacræ scripturæ locis ad eam sectandam inuitat. *Quicunq; glorificabit me, glorificabo eum: qui autem me contemnunt, erunt*

Instinctus gloriæ naturaliter Datur à Deo.

I. Reg. 2. 30.

erunt ignobiles. Adde, quod Ecclesia cantet de Sancto Martyre quocunque: *Gloria & honore coronasti eum Domine*: item *nimis honorati sunt amici tui Deus.* QVARTÒ quia cùm filius Dei in hunc venisset mundum & mortalitatis nostræ vestem induisset, quo nos statim veritatem summi & incommutabilis boni edoceret, primam suam lectionem, & primum sermonem, vti & ipsius præcursor Ioannes Baptista, inchoauit à gloria. *Pœnitentiam*, inquit præcursor, *agite, appropinquauit enim regnum cælorum*: quin & Apostolis suis, cum eos ad prædicandum Euangelium mitteret, præcepit dicens: *euntes prædicate dicentes, quia appropinquauit regnum cælorum*, nec vacat mysterio, quod prima & vltima periodus illustris illius sermonis, quem habuit in monte ad suos discipulos fuerit de gloria. PRIMA quidem: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*; VLTIMA autem: *Beati, qui persecutiones patiuntur: quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Verba hæc magnam prorsus & sublimem denotant gloriam: siquidem in mũdo, sede mortalium, nulla maior & sublimior reperitur gloria,

Hebræ. 2. 9.
Psal 8. 6.
Psal. 138. 17.
Matth. 3. 2.
Mar. 1. 4.
Luca 3. 3.
Matth. 10. 7.
Luca 9. 2. & 10.

si Imperatoria excipiatur, quàm sit Regia. Et quid hæc est collata cælesti, quam Deus loco mercedis promittit ijs, qui ei in hisce terris cum humilitate seruierunt? QVINTÒ Sanctus Ioannes in sua Apocalypsi omnes beatos facit reges, dum tribuit ijs coronas & sceptra, aliaque regiæ dignitatis insignia. quin & omnia sacrarum litterarum volumina plena reperiuntur amplissimis promissionibus gloriæ in altero mundo beatis conferendæ. Porrò si Deus creauit hominem ad gloriam, si ad illam sæpius eum inuitat, & instinctus naturæ rationalis eundem ad eandem gloriam impellit, dubitari non debet, quin & secundum Deum, & secundum rationem ea desiderari, & opere ac labore inuestigari possit. Pro hoc etiam militat, quòd & ipsæ animantes aliquem gloriæ sensum habere videantur. vt alias taceam, Elephas suo modo gaudet & animatur ad rectè agendum ob honorem sibi exhibitum. Accipiter sæpius perdicem, vel aliam quampiam auem inuadit, occidit, non tam auiditate eam vorandi, quàm desiderio probandi aucupi suam dexteritatem,

Apocalyp. 4. 4. 10.

Elephas mouetur honore.

Arist. l. 9. c. 1. de hist. animal.

tatem, & celeritatem in volando. Non debent ergo animæ generosæ amare & quærere vanam gloriam, sed eam solummodo, quæ solido fundamento & veritate nititur, quæ ob merita confertur, quæ ad Deum, quæ ad bonum publicum, & quæ ad futuram beatitudinem refertur. Modus autem, quo quis eam consequi facillimè possit, est amare toto corde, & quærere omni studio gloriam Dei; eiusdem leges & mandata mordicus tenere; laborare & pati pro eius nomine, impendere se totum commodo & saluti mortalium; fugere vanitatem, & nulli hominum vnquam nocere. Qui hæc facit, amat, & sanctè prosequitur gloriam in hoc mundo, quam etiam in eo tandem consequetur, & æternùm eâ in altera perfruetur. Ita, & non aliter eam adamârunt, & adamatam prosequuti sunt, quotquot nunc beati in cælo de ea collætantur. Eam igitur & nos adamemus in hac mortali vita, vt in perenni eam adipiscamur. Modus habendi honorem.

An acceptari possit gloria in hac vita?

Digitized by Google

SECTIO XLI.

VT dubitari non debet, quin vnicuique exoptanda, desideranda, ac perquirenda sit vera gloria, quæ in hac vita, vti & beatitudo, per bona opera incipit, & in cælo, obita sanctè hîc morte, cumulatè & re ipsa confertur; ita scitu perquam difficile est, quomodo acceptari possit gloria in hoc mundo. Habet enim res suas difficultates, & vtrinque suis munita est rationibus. PRIMÒ enim ex vna parte videmus nobis prohiberi gloriam & laudem humanam, prouenientem ex bonis nostris operibus, quia ea vana sit & pestis virtutum, ac bonarum actionum; sanctos deinde eam summè detestatos fuisse, & omni studio deuitasse; ex altera autem parte conspicimus complures sanctos in hac vita à Deo singulari honore affectos; quin & editis miraculis declaratos omni laude dignissimos. quod pluris esse debet apud sapientes, quàm aliud quicquam in hoc genere. Quid quòd & ipsi sancti nonnulli sibi delatum honorem lubentes

Istis rationibus hic respondetur. §. 44.

bentes acceptarunt? Deus euexerat Dauidem ad regnum, & cùm eum vellet in debita humilitate & gratitudine continere, ei in memoriam reuocabat honorem illum à se ei collatum. *Ego,* inquit, *tuli te de pascuis sequentem greges, vt* 1. Reg.
esses dux super populum meum Israel, feciq; ti- 7. 9. 10.
bi nomen grande, iuxta nomen magnorum, qui 1. Reg.
sunt in terra. Id est ex opilione feci te 16. 11.
Regem, & inter mortales alios celeber- Psal. 77.
rimum reddidi. SECVNDÒ videtur 76.
diuina prouidentia supremos mundi magistratus & rerumpublicarum administrationes sensu quodam, & delatione honorum, vt experientiâ quotidianâ discimus, sustentare, & in suo vigore conseruare. *Per eum enim Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt: per eundem Principes imperant, & potentes de-* Prou. 8.
cernunt iustitiam. His profectò consti- 15.
tuit honores, & quidem vt à cæteris mortalibus illis deferantur, identidem imperauit. Et certè si honorem elimines, neque Rex, neque Dux, neq; Senator, neque Doctor, neque scholaris, neque vllum vllius momenti in aliqua Monarchia aut Republica membrum reperietur. ac proinde nullum regnum,

nulla prouincia, nulla Respublica gubernabitur, vt gubernari par esset. Sententia enim illa verissima est, & latissimè patet, quâ dicuntur *ab honore ali artes:* alit enim & conseruat regna, Prouincias, Imperia, Respublicas. Et profectò vbi virtuti denegatur gloria, vbi fortibus viris honor, nemo in virum fortem, in doctum, imò, sublato honore, ne in bonum quidem artificem contendit euadere. Quid est, quod quotidie experimur adolescentulos in nostris scholis & gymnasijs mirum in modum excitari ad melius & dilgentius studendum, dum à Magistris, aut REGIS, aut PRÆSIDIS, aut SENATORIS, aut alterius MAGISTRATVS, ob diligentem in litteris nauatam operam, titulis insigniuntur? His pueribus & adumbratis honoribus alliciuntur paulatim & assuescunt ad solidos & veros honores insectandos. Rationes ergo & experientiæ docent, non solùm esse licitum, sed etiam necessarium in omni professione inijcere aliquam escam, quâ refecti, excitentur, qui præstant ingenio, & claro genere orti sunt, ad res se dignas animo agitandas,

Prou. 92. chil. 7. cent. 3. Cic. 1. Tusc.

tandas, & agitatas ad incolumitatem Reipublicæ exequutioni suis temporibus mandandas. Quod si licitum est, imò & necessarium hominibus conferre honores, quibus alliciantur ad virtutum studia, rectè inferes eos acceptari posse, quin & desiderari, dum in bonum aliquem referas finem. Ad enodandam quæstionem propositam & decisam in contrarium, dicendum est gloriam, quæ datur à Deo, & defertur ab hominibus in hoc mundo pro excitamento virtutis, nullo modo esse vanam, si referatur vt iam dixi, ad honorem Dei & bonum publicum. Et ideo vt permissum est eum exoptare iuxta Dei voluntatem, ita etiam eundem acceptare ad eiusdem gloriam, & proximi salutem, licitum est. Quod plures eximij diuinæ Maiestatis cultores, magna cum laude præstiterunt. Quod fiet euidens exemplis nouis mox adferendis.

Complures Dei serui acceptarunt gloriam humanam.

SECTIO XLII.

DVobus igitur modis, vt iam dictum est, licet acceptare dignitates & gloriam ex illis prouenientem; PRIMÒ, si referantur ad honorem Dei; SECVNDÒ, si ad hominum incolumitatem. Ita tum in veteri, tum in nouo testamento, magnos Dei amicos & seruos fideles, oblatos honores non recusasse legimus. Ex veteri quidem primò omnium occurrit Sanctus IOSEPH PATRIARCHA: qui delatos à Pharaone Rege Ægypti honores acceptauit. ab eo siquidem vestiri se stolâ byssinâ, donari annulo accepto de manu regiâ, ornari torque aureâ passus est, iussúsque ab eodem Rege super currum secundus ascendere, ascendit, præcone interim ex mandato regio clamante. *Vt omnes coram eo genua flecterent, & Præpositum esse scirent vniuersæ terræ Ægypti.* Mardochæus Iudæus, magnus Dei amicus, similibus fere honoribus affectus ab Assuero Rege Persarum & Medorum, non contradixit. Gedeon, Machabæi, alijque & sanctitate & auctoritate percelebres viri delatas dignitates & gubernacula Reipublicæ ad Dei honorem, & populi salutem susceperunt.

In veteri testamento à multis laudabiliter suscepti honores.

Gen. 41. 42.
Esther. 6. 8.
Iudicum. 6. 12. 14.
Machabæorum. 1. c. 2.

perunt. Dauid non inuitè excepit laudes sibi decantatas à mulieribus egressis ex vrbibus Israël, quando redibat è prelio gloriosus & illustris post victoriam de Goliat gigante occiso reportatam, cuius caput à ceruicibus recîsum manu gerebat; quin & post Saulis mortem, consulto Domino, regnum Israël acceptauit. 1. Reg. 18. 7.

Suscepti item in nouo testã.

Inter eos, qui in nouo testamento dignitates laudabiliter susceperunt, multi sancti Reges inueniuntur, qui & diademata regia capite, & manu sceptra sanctissime gestarunt: quorum in numero fuêre CAROLVS MAGNVS, S. LVDOVICVS REX FRANCIÆ, S. STEPHANVS, S. LADISLAVS Reges Vngariæ, S. Osualdus Angliæ, & alij permulti, quibus, ne longus sim, recensendis supersedeo. In ordine autem Hierarchico, etiam ex ijs, qui per vota se Deo dedicarant, multi sine vlla ambitione, sine etiam auersione, & absque vlla vana gloria, cùm euecti essent ad Prælaturas, ad summum in terris sacerdotium, ad dignitatem Cardinalitiam, ad Episcopalem, Abbatialem, ad generalatum alicuius ordinis

sacri, aut Religionis, magna cum laude absq; vlla vel vanitatis vmbrá illam amore domûs Dei, humeris suis sustinuerunt. Non est ergo vitium vanitatis, neque contra perfectionem Christianam acceptare tales honores, si, quæ debent, adsint circumstantiæ. Imò verò iuxta S. Gregorium, potest non modica superbia interuenire in detrectatione & reiectione alicuius magnifici muneris quod suscipiendum offertur, & humilitas per magna in acceptatione, maximè quando concernit euidens bonum aliquod publicum, & superior absque vlla personæ, cui imponitur, procuratione, ambitione, aut alijs illicitis vijs, defert cum auctoritate.

In Pastor.

An liceat desiderare honores ab hominibus, & manifestationem bonorum operum.

SECTIO XLIII.

SI desiderentur pro gloria ac seruitio Dei, ac bonó publico; iam tota quæstio est soluta. Etenim si concessum

cessum est eo fine & modo, quo iam dixi, acceptare honorem, etiam concessum erit tali fine & modo eum desiderare. S. Paulus loquens de Episcopis claris terminis hanc adstruit veritatem: *si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Non est ergo vitiosum desiderare honorem aut dignitatem aliquam, modò non desiderentur propter ipsum honorem, propter ipsam dignitatem, & eorum splendorem, vt mortales cæteri te suspiciant, admirentur, honorent vt superiorem, quia id verissima esset vanitas; sed propter sanctitatem annexam tali Prouinciæ, aut propter opus bonum, quo potest obsequium præstari Deo, adiuuari animæ, doceri ignorantes, in viam reduci errantes, similesque aliæ actiones exerceri, quæ concomitantur crucem, & Pedum Episcopale, & condecent officium pastorale. Quare quemadmodum desiderari potest Episcopatus modo & fine prædictis, ita quæcunque aliæ dignitates & honores modo vestiti sint similibus circumstantijs.

Timoth. 1. 3. 1.

Quomodo desiderari possint honores & manifestationem bonorum operum.

Adhibitis ijsdem circumstantijs, potest homo optare & cupere, vt opera

sua bona ab hominibus cognoscantur & acceptentur vt bona & laude digna, sed cauendum ei est, ne eius scopus sit laus propria (id enim esset vana gloria) sed Dei gloria, & proximi ædificatio. Hanc lectionem nobis prælegit Salua-
V. 14. 15. tor optimus Magister, quia cùm apud
Vos estis lux mundi. Matthæum capite 5. discipulos suos mundi lucem nuncupasset, & docuisset lumen illud abdendum non esse sub modio, sed ponendum super candelabrum *vt luceat omnibus qui domi sunt*, statim adiunxit: *sic luceat lux vestra coram*
Matth. 5. 16. *hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* Vnde videre est secundùm Deum esse desiderare, imò & procurare, vt opera nostra bona hominibus innotescant. Sed, quod sæpius repeto, non ad aucupium laudis propriæ, sed ad Dei gloriam ac bonum proximi. Et qui sic quærit gloriam, quærit Deum, non seipsum.
1. Petri 2. 12. Conformiter huic doctrinæ D. Petrus docet Christianis studendum ac satagendum, vt eorum bonæ actiones videantur à gentibus. sic enim ait *Conuersationem vestram inter gentes habentes bonam, vt in eo quod detrectant de vobis tan-*

quam

quam malefactoribus ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum in die visitationis. Matth. 13. 44. Hom. 11. in Euang.
Conformis etiam his est S. Gregorij expositio in Euangelium Sancti Matthæi de thesauro abscondito, sic enim ait: *depradari desiderat, qui thesaurum publicè portat in via. hoc autem dico non vt proximi opera nostra bona non videant, cùm scriptum sit: Videant opera vestra bona, vt glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est, sed vt per hoc quod agimus laudes exterius non quæramus. sic autem sit opus in publico, quatenus intentio maneat in occulto: vt & de bono opere proximis præbeamus exemplum, & tamen per intentionem, qua soli Deo placere quærimus, semper optemus secretum.* Ita Concionator quispiam, Doctor, aut quicunque alius, qui rectè agit, desiderare potest, vt sui sermones, sua doctrina, sua exempla cum plausu excipiantur. Iudex item vt sua decreta, suæ sententiæ omnibus probentur; Dux ex rebus in bello fortiter & feliciter gestis capere potest voluptatem, quando iuxta eius mentem euenerunt, sed hæc semper adhibenda est cautela, vt illud desiderium, ille applausus, illa voluptas collimet a tius, nempe ad Dei honorem &

& bonum publicum. Illa enim delectatio, quæ ex huiusmodi actionibus percipitur, est lætitia quædam naturalis, quæ est comes omnis bonæ actionis; non aliter atque est iucunditas ex perceptione cibi & potûs, eaque minimè vituperabilis. Et quemadmodum oblectatio illa ex cibis sumptis est absque vllo crimine, modo eius finis non sit præcisè comedere, sed comedere, vt vita traducatur, vt laboretur: non vt viuatur, vt comedatur. & voluptas capiatur, adinstar alicuius sardanapali; Eodem modo si præclarè concionando, subtiliter discurrendo, aut quodcunque aliud bonum opus dextrè faciendo, si gaudium capiatur ex eo, quod laudibus extollatur, modo sæpius nominata cautela, ne concio, ne discursus, ne bonum opus instituatur propter vanam gloriam, sed ad placendum Deo, ad seruiendum proximo, opus illud bonum est, nec quicquam eius perfectioni detrahitur ex commercio gaudij, quod ex tali opere percipitur.

Quo modo, & qualiter non sit licitum desiderare gloriam mundi, & manifestationem bonorum operum, & de desiderio contemptus.

SECTIO XLIV.

DEficientibus conditionibus prædictis non est licitum vllo modo desiderare gloriam humanam, neque manifestationem bonorum operum: quia hoc desiderium esset vanum, carens omni bono fine, omni merito, & ideo dignum punitione. Vnde Saluator postquam suos Apostolos hortatus fuisset ad facienda opera, quæ ab hominibus ad maiorem Dei gloriam conspici & videri expediret, continuò adiunxit: *attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus vt videamini ab ijs, alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cælis est.* Matth. 6. 1. Si apud Patrem & Deum nullam mercedem habituri sunt in altera vita, quia eius gloriam in hac operando non spectarunt, ergo apud nullum: cùm neque hominum,

neque

Gloriam & gratiam dabit dominus. Psal. 83. 12.

neque Angelorum potestas sese extendat ad æternam gloriam vlli hominum elargiendam, quæ tamen vna & sola est merces bonorum operum, quamq; Deus vnus & solus amicis suis elargitur. Parum dico, dum dico eos mercedem non habituros, qui alio quam Dei intuitu suas actiones in hac vita inchoarunt, & inchoatas perfecerunt: dicere enim insuper debui præter salarij iacturam subituros gehennæ pœnas, quæ sunt ignis inextinguibilis & confusio sempiterna. Eodem in loco nempe Matthæi sexto capite, exhortatur Christus ad orandum, ad ieiunandum, ad elargiendam egenis eleemosynam, & alia bona opera in secreto cordis facienda. non quòd prohibeat orare, & alia bona opera laude digna in publico, in Ecclesia in choris, in processionibus, alijsque locis hominum oculis patentibus facere; sed quòd doceat ita facienda in publico, vt intentio maneat in occulto, vt soli Deo ex ijs placere studeamus: & non sicuti faciebant Scribæ & Pharisæi, *qui in angulis platearum stantes amant orare, vt videantur ab hominibus;* qui dum dant Eleemosynam, *tuba*

Vanitas Scribarum & Pharisæorum. Matth. 23. 5. 6.

V. 1. & seqq.

Matth. 6. 3. Luc. 18. 12.

tuba canunt ante se, dum ieiunant *extermi-nant facies suas, vt videantur ab hominibus ieiunantes*. dumq; alia quæcunq; ad speciem bona faciunt, laudem ab hominibus quærunt, sanctitatis nomen affectant. quæ opera sunt insignis hypocrisis, digna pœnis sempiternis. Facienda ergo sunt opera bona solo Deo teste, vt soli eius diuinæ Maiestati placeamus. Et de reliquo magno & excelso animo pro eius gloria optare (nulla interim vllius maleficij aut scandali ex parte nostra occasione datâ) vt homines nihili, ignorantes, insipientes ac mali habeamur. *Tale fuit votum & animi decretum eorum omnium, quotquot perfectionis acquirendæ in eius schola amatores extiterunt; & quotquot vestigiis eiusdem Christi Saluatoris proximè inhærere studuerunt. qui cùm diues esset, factus est pro nobis pauper, cùm esset Rex, factus est seruus. cùm esset summus, factus est minimus, cùm deliciis omnibus abundaret, aspera elegit, contemptum, labores, iniurias, contumelias, & tandem in fine tormenta & ignominias crucis.* Et hæc omnia, vt nobis esset exemplar, & formam præberet Deo seruiendi cum omni vitæ integritate & humilitate.

Pati vt habearis stultus, nulla per te data occasione actus est animi generosi. S. Ignat. Societatis fund. in exam. general. c. 4. §. 44. & Reg. 11. sum. const.

Ita

Ita docuerunt, ita fecerunt Apostoli, ita alij eius fideles serui. Pro omnibus vnus loquatur Sanctus Paulus: 1. Corint. 4. 10. *nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo: nos infirmi, vos autem fortes: vos nobiles, nos autem ignobiles: vsq; in hanc horam & esurimus & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cadimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris, maledicimur & benedicimus, persequutionem patimur, & sustinemus, blasphemamur, & obsecramus.* Est equidem actus raræ & eximiæ virtutis inter medios honores, & diuitias moderatè se gerere, in humilitate sese conseruare, dum quis laudibus extollitur, dum sapiens, dum prudens, dum iustus ab omnibus & habetur & deprædicatur, ad perfectionis portum totis viribus contendere, dum secundis ventis nauigatur; verumenimucro rarioris longè & excellentioris est contra furibundos Boreas, & aduersus maris fluctus nauim saluam & incolumem conseruare, inter tempestatum, persequutionum, calumniarum, maledictorum, iniuriarum, ignominiarumque procellas rectum cursum tenere. Hoc est bibere calicem cum Christo, hoc est post cum crucem baiulare. Talibus in faci-

Humilitas in prosperitate

& in aduersitate.

noribus

noribus triumphauit sanctorum inuicta constantia: & ad tales triumphos aspirare debet animarum vera Christianarum generositas. Et quanquam longè sit facilius perscribere media ad salutem, quàm in praxim ea reducere, nihilominus tamen, quia ea notatu necessaria sunt ijs, qui sanctâ & inculpabili, imò multùm laudabili ambitione impulsi, laborant vt assequantur quicquid facit ad maius animæ meritum, & maiorem Dei gloriam, adferenda fuerunt. En tres humilitatis gradus recens è lapicidina excîsi, perpoliti & in suis locis collocati.

Primus prælucet intellectui, ad cognitionem sui ascendenti & descendenti ad notitiã sui nihili: quâ se circumspiciens homo, in oculis suis, vt nil se reputet; Secundus altiori loco positus maius lumen subministrat, & inferiora oculis lustrans

omnium mortalium infimum se inuenit. Tertius vtrumq; perficit, dum voluntatem suauiter afficiens, inducit ad desiderandum & complendum quod ipse docet, vt nimirum habeatur & existimetur ab omnibus omnium minimus.
Sed ad quartum, iam posito tertio conscendamus.

Quartum

Quartum Fulcrum

ACADEMIÆ HONORIS

SVPRA

QVARTVM HVMILITATIS GRADVM.

QVI EST

PATIENTIAM HABERE IN SVIIPSIVS HVMILIATIONE.

Humilitas fundamentum patientiæ.

SECTIO I.

QVi sequuntur in ACADEMIA HONORIS reliqui tres humilitatis gradûs, aliud non sunt, quàm praxis & effectus interior & exterior trium hactenus declaratorum: nam vbi quispiam ritè

imbutus fuerit iuxta primum gradum, vt NIHILI SE FACIAT, iuxta secundum, vt MINORIS ALIIS, & iuxta tertium, vt TALITER TRACTARI, TALISQVE AB OMNIBVS HABERI VELIT; continuò tres alios in se producit. *qui sunt patientia in aduersis:* diligentia inuestigandis vijs & modis, quibus humilietur: & tandem lætitia in omni sui humiliatione, contemptu, & depressione, siue ea mentem spectet, siue corpus, siue opera, siue verba, siue denique alias quascunque tam interiores quàm exteriores in hisce tribus postremis gradibus exerceri solitas actiones. Quin & hi ipsi effectûs, eo, quo dictum est, modo ritè exerciti generent humilitatem. Et quidem quartus hic gradus princeps trium dictorum effectus, in hoc potissimùm consistit, vt quascunque tandem humiliationes & mortificationes, vel ipse immiserit, vel permiserit Deus euenire, in omni eorum malorum genere, quæ ex diametro opponuntur tribus bonorum generibus, primo gradu commemoratorum, nempe animi, corporis, & fortunæ, patienti animo excipias. Et insuper

Grad. 6. de humil.

Essentia quarti gradus.

super

super eum omni patientia toleres, vt nihili existimeris, & omnibus minoris ducaris: & verè talis libenter ab alijs habearis: feras etiam patienter Dei amore labores, rerum defectûs, dolores, reprehensiones, infamiam, calumnias, & alias quascunque huius vitæ afflictiones: supportes item eiusdem Domini tui amore infirmitates, & lapsus tum animi, tum corporis tui proximi. Hic demum gradus humiliationis & submissionis rectâ viâ tendit ad humilitatem, non aliter atque calefactio ad producendum calorem. vnde patet eum altiori perfectionis loco constitutum esse, quàm primum & secundum gradum; transit enim ab intellectu ad voluntatem, & vult, exercetque, quod illi docent; altiori etiam loco cōstitutus est, quàm tertius; quia executioni & effectui mandat, quod ille docet, bonamque exequitur voluntatem, imò tertius absque hoc quarto esse potest, siquidem fieri potest vt homo aliquis animo suo impresserit tertium, id est conceperit & formauerit in se ipso voluntatem, vt humilietur, qui tamen in pugna succumbens, & pati-

Suffert hic gradus patienter lapsus aliorum.

Quartus hic gradus altius graditur prioribus.

entiam amittens, nequaquam eo polleat robore, vt bonam & præconceptam voluntatem exequi valeat. Verùm vbi hic, qui in patientia consistit, reperitur, reperiuntur & tres primi. Differt ergo ab illis, quia longè perfectior. continet hic quartus noster nonum gradum Diui Benedicti, qui profitetur voluntatem amplectendi & tolerandi cum patientia res quantumcunque duras & aduersas; Item quintum S. Anselmi, qui docet patienter ferre, vt alij de ipso contemptibiliter loquantur; quin & sextum, qui vult nos patienter ferre, dum vili pendimur, idque non solùm sermone, sed etiam re ipsa, vt parui fiamus & contemnamur.

Complectitur nonum S. Benedicti, & 5. S. Anselmi.

Vnde apparet Humilitatem esse matrem & basim patientiæ, & omnium aliarum virtutum. *tenenda est, inquit S. Bernardus, semper humilitas, custos pudicitiæ, mater patientiæ. sine causa autem laborat, qui virtutes sine humilitate congregat. Vera autem patientia, nisi per profundam humilitatem nec acquiritur, nec tenetur.*

Lib. de ordine vitæ.

Illa est, quæ olim animauit & armauit, & nunc etiam animat & armat charitatem Martyrum, vt patiantur fortiter,

fortiter, & vincant generosè, sicut & Confessorum, omniumque aliorum sanctorum, qui de crudelitate tyrannorum, & violentia persecutorum; quin & de ipsis inferni portis gloriosè triumphârunt. Ita sapiens hortatur vnumquemque fidelem, vt cum animi submissione iunctâ patientiâ humilitati, velut effectu suæ causæ, aduersa toleret: *in dolore*, inquit, *sustine, & in humilitate tua patientiam habe: quoniam in igne probatur aurum & argentum, homines verò receptibiles in camino humiliationis*, esto humilis, vt sis patiens, & vicissim esto patiens, vt sis humilis, & reportes coronam gloriæ. quemadmodum enim humiliatio via est ad humilitatem, & passio ad patientiam, ita humilitatis & patientiæ possessio recto itinere ducit ad immortalitatem.

Humilitas patienter suffert propria & aliena incommoda: & de patientia Angelorum & Dei.

SECTIO II.

Si tribus superioribus gradibus declaratam doctrinam memoriâ te-

neas, haud difficile tibi fuerit intelligere, qualiter humilitas sit fundamentum patientiæ, ei vires tum animi, tum corporis suppeditans ad ferenda fortiter tam propria quàm aliena mala. Cùm enim primo gradu tuum nihil didiceris, secundo autem te longè infra omnes positum conspexeris, & tertio denique bonam voluntatem formâris, te in omnibus perfectè humiliandi, fieri non poterit, quin tu Dei & tui ipsius cognitione illuminatus, motus etiam propriâ & generosâ voluntate te iudices dignum, qui quam plurima, imò omnia patiaris, & ad ea patienda promptè te præpares; cauens interim diligentissimè, ne aliorum peccatorum & errorum iudicem te constituas, tua identidem argutè imminuens, & aliorum impatienter ferens: tua enim tibi, si exactè, & ad Lydium, vt aiunt, lapidem te examinaris, sat negotij exhibebunt, vt de ijs vindictam sumas, melioremque in partem quascunque immissas seu permissas à diuina prouidentia mortificationes accipias; tolerans interea omni cum patientia & longanimitate, quantum humanitus

fieri

fieri potest & licet, infirmitates tui proximi, quas & pauciores tuis & minori animaduersione dignas existimare debes. Hinc vt patientia, vt mansuetudo, vt misericordia, & aliæ eius generis virtutes ab vna, vt à nobilissima sua origine profluunt, humilitate animaduertere licet. Et hoc est, quod ipse Dominus sæpe sæpius docuit, maximè autem sermone in monte habito: vbi postquam dixisset *Beati pauperes spiritu*, & primo loco inter beatitudines posuisset humilitatem, continuat dicens: *Beati mites; Beati misericordes, &c.* vbique notans humilitatem esse radicem patientiæ, & contentarum in eodem diuino sermone virtutum. Et alibi exhortans discipulos ad se imitandum dicit: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Quasi diceret, discite à me esse mites & humiles, vt sitis patientes, misericordes &c. Ideoque vt singulariter edoceret Petrum familiæ suæ principem & caput hanc benignitatem & misericordiam, apprimè necessariam præsidibus & pastoribus animarum, signanter docuit humilitatem, vt præuiam causam misericordiæ, permittendo vt grauiter

Matth. 5. 3.

Humilitas radix patientiæ.

Matth. 11. 29.

Petrus humiliatus vt erga commissum sibi Christi gregem esset misericors.

 labe-

laberetur, claréque videret, ac manu tangeret SVVM NIHIL. In quo, suo malo & expensis proprijs edoctus fuit, vt tanquam Pater clementissimus populorum, qui eius fidei gubernandi in regno Ecclesiæ Dei committebantur, infirmitatibus compateretur. Hinc omnes Christiani inuncti vnctione defluente à suo capite Christo IESV, & verâ humilitate præditi, extitêre misericordes aduersus infirmos, & constantes in proprijs aduersitatibus: quia humilitas semper extitit fundamentum eorum patientiæ & misericordiæ, vti & Angelorum. Qui Angeli quemadmodum hæc virtus in ijs efficit, vt non dedignentur hominibus se longè naturâ inferioribus inseruire; ita eadem eos reddit patientes & benignos ad eorum (quorum custodia ijs à Deo commissa est) errores supportandos, imò & despectus & opprobria, quæ illis ipsimet homines inferunt, toties quoties peccata, præsertim enormia, committunt. atrocior enim longè est iniuria in oculis istarum immortalium & nobilissimarum creaturarum, spurcum aliquid committere, quàm esset in præsentia alicuius.

Christiani patientes & humiles.

Patientia Angelorum causa, eorundem humilitatis, quam ostendunt in nostris lapsibus G. 5. f. 12.

alicuius omni virtutum genere prædi-ti Regis, aut personæ alicuius etiam ipso Rege dignioris. Hæc igitur vnica humilitas beatos spiritus Deo reddit obedientes, & patientes ac benignos in hominum genus. In Deo autem patientissimo & misericordissimo alia est misericordiæ & humilitatis origo, nimirum bonitas infinita, quæ efficit vt patienter, velut benignissimus Pater, mortalium dissimulet peccata, eos cum longanimitate expectans, vt *pœnitentiam agant, remissionem* percipiant, & sic eius misericordiæ participes efficiantur.

Miseretur omnium, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Sapientiæ 11. 24.

Humilitas Saluatoris in sua patientia & tolerantia.

SECTIO III.

CHristus quà Deus, fuit patientissimus, vti & Optimus; quà autem homo pari passu in eo ambulabant patientia & humilitas. Et quemadmodum eius humilitas fuit singularis & infinito interuallo præteriens tum hominum, tum Angelorum; ita propor-

proportionaliter humilitati, insignis fuit patientiâ ad sufferendas quascunq; persecutiones & humiliationes; eius autem benignitas in miserendo suis persecutoribus effusissima. Hoc punctum, vt bene intelligatur, notanda sunt tria malorum genera, ad quæ toleranda opus est magnâ humilitate, & forti patientiâ; notanda etiam tria hominum genera, qui hanc patientiam illustriorem reddunt, & crimen persecutionis non parum adaugent. Tria illa malorum genera sunt; I. iniuriæ & iniquæ reprehensiones; II. falsæ accusationes & calumniæ; III. despectus & irrisiones. Mala hæc omnia sunt instar spinarum acutè pungentium, quarum puncturam nemo omnino sustinere valet, nisi armatum forti clypeo cor & pectus gerat. primum enim genus directè petit honorem; secundum innocentiam, ac demum tertium personæ dignitatem. quæ tria perquam sunt delicata, sensibilia ac nobilia membra. cùm inter mortales nihil pretiosius honore, nihil charius innocentiâ, nihil excellentius dignitate habeatur. Quæ omnia si tangantur, homo prorsus

Tria malorum genera factu difficilia.

1. iniuriæ contra honorem.

2. Calumniæ contra innocentiam.

3. irrisio contra dignitatem.

Hæc tria perquam sunt sensibilia;

prorsus vita ipsa tangitur, & insigne vulnus, imò lethale infertur animæ: Atqui hæc sunt mala, quæ patientiam reddunt clariorem. Homines autem qui eandem etiam illustrant, sunt tum ij, qui patiuntur iniuriam, tum qui eam inferunt: si ij, qui iniuriam accipiunt, dignioris sint conditionis, eorum etiam humilitas & patientia tantò est nobilior: & si ij, qui inferunt, dignitate præemineant, & ijs ex officio incumbat iustitiam administrare, & iniuriam propellere, aut si sint infimæ, arrogantes plus quàm sibi debeatur, iniuria & persecutio acerbior, & latu difficilior efficitur. Exempli causâ, si Rex quispiam, princeps, vel quæpiam alia persona illustris iniuriam vno dictorum modorum, aut omnibus à suis subditis, qui ei omne obsequium debent; vel per aliquos homines abiectos, qui ne digni quidem sunt eum intueri, perferat cum patientia & longanimitate, euidens est; tum propter iniuriam, quam patitur, tum propter eos, qui eam inferunt, eius virtutem longè esse excellentiorem. Saluator autem passus est in omnibus supradictis malis,

Personæ offensæ & offendentes augent vel imminuunt iniuriam.

cum

cum omnibus circumstantijs rerum & personarum. In sua quidem persona, quæ complectebatur omnes qualitates maximi Domini, in gradu, qui excogitari potest, eminentissimo; cùm esset Filius Dei, & Deus ipse, præpotens Rex Regum, sapientissimus, optimus, & infinito honore dignus; passus est in primis in flore ætatis, in adolescentia, priuatam & incognitam à sua natiuitate, vsque ad annum ætatis suæ trigesimum vitam ducens: sed multò plura passus est, dum inter mortales publicè ageret; plurima autem in sua passione. Nam spatio trium annorum, quo se mundo manifestauit, prædicando, & miracula patrando, supra quàm dici potest, graues persecutiones ab hominibus suæ nationis, præsertim à Scribis & Pharisæis, hominibus qui docti & probi à cæteris mortalibus habebantur, à quibus omnia tum amoris, tum honoris expectari debuissent obsequia, cùm eorum supremus esset Dominus & Doctor, perpessus est. Nec hic persecutionum finis; nam & ab alijs malignis hominibus & contemptibilibus, imò & à fæce populi pati debuit. Vt autem

eius

eius patientiam ſuis lineamentis deſcriptam oculis ſubijciamus, notanda ſunt aliqua exempla, quæ ex vna parte denotent conatus & malitiam ſuperbiæ Iudæorum; ex altera autem tolerantiam & humilitatem mitiſſimi Saluatoris in illis ſufferendis. Increduli ac infideles Iudæi maligna detractione & calumniâ, Samaritanum & dæmoniacum vocabant; ſolùm ille mendacium, quòd nempe dæmonium non haberet, refutauit, non reijciens nomen Samaritani, cùm vulgò omnibus notum eſſet, eum non Samaritanum, ſed Iudæum eſſe. Reprehendebant illi eum tanquam tranſgreſſorem bonarum conſuetudinum, vt maiorum ſuorum traditiones ſtabilirent, quòd diſcipulos ſuos illotis manibus ſineret manducare. Erat ea reprehenſio friuola & affectata: ideo cum omni manſuetudine ad proprias eos tranſgreſſiones remiſit, nominatim quòd Dei præcepta tranſgredientes eorum loco ſuperſtitionis ſuæ ordinationes ſubſtituerét. Quando eum calumniabantur, quòd amicus eſſet publicanorum & peccatorum, quodque cum ijs familiariter ci-

Samaritanus es, & dæmonium habes. Ioan 8. 48.

Quare non lauant manus. Marc. 15. 2.

Luc. 7. 34.

buum

bum sumeret (nequibant enim aliquius cum peccati arguere) offendit illi se facere, vt ad rectam viam eos reduceret, non autem vt cum ijs erraret: infirmos nimirum esse, ac proinde medico indigere. Quando tentarunt ex alta rupe ciuitati eius conceptionis & nutritionis imminenti deorsum præcipitare, & alia vice in templo lapidare, eò quòd eorum vitia apertè argueret, non acerbè contra eos est irritatus, sed humilitatis viam ingrediens, quasi vim vi repellere non posset, subtraxit se ab eorum oculis, seque abscondit. Eijciebat immundos spiritus è corporibus obsessorum euidenti cum demonstratione suæ diuinæ potentiæ: & tamen maligni homines eum diffamabant tanquam MAGVM, insigniter calumniantes, quòd eos eijceret in Beelzebub Principe dæmoniorum: hic etiam humilitatis suæ, & patientiæ reliquit insignia, dum contentus è ratione depromptâ refutatione calumniosi mendacij, & missâ acriori redargutione, contra eorum impudentiam nihil aliud obijcit. In summa cùm eum arguerent tanquam de criminali impietate, quòd

Luc. 4. 15. Ioan. 8. 5. 9.

In princi-pe dæmoniorum. Luc. 11. 15.

quòd infirmos in sabbato curaret, quæ erat criminatio plena inuidiæ & hypocrisis, & cæcæ malignitatis; erat enim ea accusatio, quòd Dei gloriam die festo manifestaret operibus admirandis, & mortalium vtilitati accommodo impensis: nimirum quòd natos cæcos videre, surdos audire, claudos & paralyticos ambulare faceret, & quâcunque infirmitate detentos sanitati restitueret. Hanc criminationem armis suæ clementiæ, & non mentis exacerbatæ aculeis, reiecit, ostendens licitum esse etiam in sabbato bestias à præsepi soluere, & ducere ad aquam, aut ex aliquo periculo eripere, quantò ergo magis licet animas peccatorum alligatas dæmonum laqueis, & corpora infirmitatibus vexata, per tales actiones, etiam in sabbato, absque eius violatione, imò cum Dei, auctoris sabbati, glorificatione dissoluere? Habes hîc partem aliquam iniuriarum, calumniarum, & irrisionum Scribarum & Pharisæorum, à Saluatore, dum inter homines conuersaretur, cum omnibus tum rerum, tum personarum circumstantijs toleratarum. Quæ omnia du-

Matth. 12. 1. 5. 8. Marci 2. 23. 24. Luc. 6. 2. Ioannis 9. 9. 10.

Gen. 2. 2. Exod. 16. 23. Matth. 12. 9. Marci 2. 27. & 3. 2. Luc. 6. 16.

bum sumeret (nequibant enim aliciius eum peccati arguere) ostendit id sefacere, vt ad rectam viam eos reduceret, non autem vt cum ijs erraret, infirmos nimirum esse, ac proinde medico indigere. Quando tentarunt ex alta rupe ciuitati eius conceptionis & nutritionis imminenti deorsum præcipitare, & alia vice in templo lapidare, eò quòd eorum vitia apertè argueret, non acerbè contra eos est irritatus, sed humilitatis viam ingrediens, quasi vim vi repellere non posset, subtraxit se ab eorum oculis, seque abscondit. Eijciebat immundos spiritus è corporibus obsessorum euidenti cum demonstratione suæ diuinæ potentiæ: & tamen maligni homines eum diffamabant tanquam MAGVM, insigniter calumniantes, quòd eos eijceret in Beelzebub Principe dæmoniorum: hìc etiam humilitatis suæ, & patientiæ reliquit insignia, dum contentus è ratione depromptâ refutatione calumniosi mendacij, & missâ acriori redargutione, contra eorum impudentiam nihil aliud obijcit. In summa cùm eum arguerent tanquam de criminali impietate, quòd

Luc. 4. 15. Ioan. 8. 5. 9.

In principe dæmoniorum. Luc. 11. 15.

quòd infirmos in sabbato curaret, quæ erat criminatio plena inuidiæ & hypocrisis, & cæcæ malignitatis; erat enim ea accusatio, quòd Dei gloriam die festo manifestaret operibus admirandis, & mortalium vtilitati accommodo impensis: nimirum quòd natos cæcos videre, surdos audire, claudos & paralyticos ambulare faceret, & quâcunque infirmitate detentos sanitati restitueret. Hanc criminationem armis suæ clementiæ, & non mentis exacerbatæ aculeis, reiecit, ostendens licitum esse etiam in sabbato bestias à præsepi soluere, & ducere ad aquare, aut ex aliquo periculo eripere, quantò ergo magis licet animas peccatorum alligatas dæmonum laqueis, & corpora infirmitatibus vexata, per tales actiones, etiam in sabbato, absque eius violatione, imò cum Dei, auctoris sabbati, glorificatione dissoluere? Habes hîc partem aliquam iniuriarum, calumniarum, & irrisionum Scribarum & Pharisæorum, à Saluatore, dum inter homines conuersaretur, cum omnibus tum rerum, tum personarum circumstantijs toleratarum. Quæ omnia du-

Matth. 12. 1. 5. 8. Marci 2. 23. 24. Luc. 6. 2. Ioannis 9. 9. 10.

Gen. 2. 2. Exod. 16. 23. Matth. 12. 9. Marci 2. 27. & 3. 2. Luc. 6. 16.

bum sumeret (nequibant enim alicuius eum peccati arguere) ostendit id se facere, vt ad rectam viam eos reduceret, non autem vt cum ijs erraret; infirmos nimirum esse, ac proinde medico indigere. Quando tentarunt ex

Luc. 4. 15. Ioan. 8. 5. 9.

alta rupe ciuitati eius conceptionis & nutritionis imminenti deorsum præcipitare, & alia vice in templo lapidare, eò quòd eorum vitia apertè argueret, non acerbè contra eos est irritatus, sed humilitatis viam ingrediens, quasi vim vi repellere non posset, subtraxit se ab eorum oculis, seque abscondit. Eijciebat immundos spiritus è corporibus obsessorum euidenti cum demonstra-

In principe dæmoniorum. Luc. 11. 15.

tione suæ diuinæ potentiæ: & tamen maligni homines eum diffamabant tanquam MAGVM, insigniter calumniantes, quòd eos eijceret in Beelzebub Principe dæmoniorum: hic etiam humilitatis suæ, & patientiæ reliquit insignia, dum contentus è ratione depromptâ refutatione calumniosi mendacij, & missâ acriori redargutione, contra eorum impudentiam nihil aliud obijcit. In summa cùm eum arguerent tanquam de criminali impietate, quòd

quòd infirmos in sabbato curaret, quæ erat criminatio plena inuidiæ & hypocrisis, & cæcæ malignitatis; erat enim ea accusatio, quòd Dei gloriam die festo manifestaret operibus admirandis, & mortalium vtilitati accommodo impensis: nimirum quòd natos cæcos videre, surdos audire, claudos & paralyticos ambulare faceret, & quâcunque infirmitate detentos sanitati restitueret. Hanc criminationem armis suæ clementiæ, & non mentis exacerbatæ aculeis, reiecit, ostendens licitum esse etiam in sabbato bestias à præsepi soluere, & ducere ad aquare, aut ex aliquo periculo eripere, quantò ergo magis licet animas peccatorum alligatas dæmonum laqueis, & corpora infirmitatibus vexata, per tales actiones, etiam in sabbato, absque eius violatione, imò cum Dei, auctoris sabbati, glorificatione dissoluere? Habes hîc partem aliquam iniuriarum, calumniarum, & irrisionum Scribarum & Pharisæorum, à Saluatore, dum inter homines conuersaretur, cum omnibus tum rerum, tum personarum circumstantijs toleratarum. Quæ omnia dubio

Matth. 12. 1. 5. 8. Marci 2. 23. 24. Luc. 6. 1. Ioannis 5. 9. 10.

Gen. 2. 2. Exod. 16. 23. Matth. 12. 9. Marci 2. 27. & 3. 2. Luc. 6. 16.

bio procul, & crimen & persecutionem reddunt atrociorem; laudem autem humilitatis, quæ ea patienter tolerat, longè illustriorem. Sed nunc videnda sunt alia aliqua eius humilitatis & tolerantiæ lineamenta, punctaque acerbæ eius passionis.

Humilitas Saluatoris in patientia & tolerantia passionis.

SECTIO IV.

MAximè omnium in tumultuoso illo conflictu, & cruenta pugna acerbissimæ passionis humilitas Saluatoris enituit in sufferendis omnibus supradictis malis, ab omni hominum genere illatis, & cum omnibus ijs circumstantijs, quæ & patientiam eius, qui sustinet, claram reddunt, & peccatum eorum, qui inferunt iniuriam, multùm adaugent. Enormibus profectò fuit affectus iniurijs Christus à paruis & magnis, percussus colaphis, cæsus, consputus à carnificibus, militibus, vilissimisque hominibus crudelem in modum virgis exceptus: à Pontifi-

cibus,

cibus, à Scribis, Pharisæis, solennissimè calumniosissimeq; accusatus, quòd templum vellet destruere, quòd dæmonibus faueret, proindeque in eorum Principe Belzebub dæmonia eijceret; quòd se Regem faceret: ideoque aliorum Regum ac Cæsarum iuribus derogaret; quòd seductor populorum, incensor malorum; quòd potator vini esset: Adde quòd superbissimè irrisus fuit à regibus, & magistratibus externis: item à domesticis, vt Herode, quando eius in aula scopus & obiectum aulicorum irrisionibus factus fuit, & summâ cum ignominiâ, habitu stultorum proprio indutus, ad Pilatum remissus fuit. Inter Iudæos à magnis & paruis lusûs loco habitus; à militibus, à baiulis, & à vilissimo quoque plebeio homine, qui ei illudentes diadema ex spinis compositum capiti imponebant, per summum ludibrium Regem Iudæorum compellantes. Et ne quid ludibrij deesset, in manum dabant arundinem pro sceptro, & notâ regiæ dignitatis. Quid multa? eos despectus illi faciebant, qui nulli vnquam, quantocunque obstricto crimine, ac ne reo quidem

Matth. 26. 61. & c. 27. Marc. 3. 5. 19.

Matth. 27. 18. Mar. 15. 10. quidem læsæ Maiestatis facti sunt. Eò-usque inuidia & rabies istorum lupo-rum contra mitissimum agnum proces-sit, vt quò fortioribus argumentis se muniret ad vitam per crudelia tor-menta & iniurias ei tollendam, com-

Ioan. 19. 15. non habemus regem nisi Cæsarem. muni omnium consensu, voce publicâ clamarent, se alium regem non habere nisi Cæsarem: quem tamen Cæsarem peius cane & angue, tanquam vsurpa-torem suæ libertatis & patriæ, oderant: & tamen eius nomen & auctoritatem allegabant ad impellendum Pilatum, vt eum tanquam Imperij inimicum crudeli morti traderet. Eâdem impulsi

Marci 15. 12. Luc. 23. 18. Ioan. 18. 40. Matth. 27. 16. inuidiâ Barrabæ insigni latroni & ho-mini seditioso, Christum, quem nemi-ni vnquam nocuisse, plurimis profuisse, tum in sua, tum in alijs nationibus scie-bant, posthabuerunt. Obtentâ autem inconditis clamoribus, grauissimisque interpositis minis Cæsaris, Christi con-demnatione, nulla non procurarunt iniuriarum, calumniarum, irrisionum genera, eaque tot modis & vijs, quot extrema nequitia & inuidia sibi vt sa-tisfaciat excogitare potest. PRIMÒ

Ioan. 19. 17. & ba- enim summa malitia & pari calumnia

ad

ad crucem ſuam baiulandam tanquam insignem aliquem latronem coëgerunt, vt sic populo persuaderent rarum aliquem malefactorem esse, dignum proinde tali pœnâ & ignominiâ. SECVNDÒ eum felle & aceto in summis suis tormentis, eum priuantes solatio, quod ne de summis quidem criminibus condemnatis, in hoc extremo conflictu denegari solet, potauerunt. TERTIÒ iuxta morem, qui obseruabatur in ijs, qui ob grauissima crimina cruci affigebantur, nudum in oculis totius mundi eum crucifixerunt. Quod grauissimā confusionem & inexplicabilem dolorem animæ illius castissimæ pariebat. Fertur Iulius Cæsar viginti tribus vulneribus confossus, cadens iam iam moriturus, pallium seu togam manu arripuisse, ne quâ parte corporis senatûs conspectui nudus appareret. Diuus Antonius, vt refert S. Athanasius in eius vita, non audebat se nudum conspicere. Quantâ verecundiâ cor hoc Virgineum affectum fuisse credendum est, dum se eleuatum in altissima trabe, vt melius ab omnibus adstantibus in illa confusione conspiceretur,

iulani sibi crucem. Matth. 27. 48. Ioan. 19. 29. Matth. 27. 34. Marci 15. 23. Ioan. 19. 23. Matth. 27. 35. Marci 15. 24. Cæsar moriens toga se texit. Suetonius.

 vidit?

vidit? tunc fuit quando sol, tantum non ferens scelus, obscuratus, lumen suum subtrahens ab oculis mortalium, & vmbrâ suâ miraculosâ fecit inuolucrum ad tegendam nuditatem sui creatoris. QVARTÒ eum crucifixerunt cum duobus latronibus, intendentes hoc facto apud plebem eum traducere, illisque similem, imò & principem, dum in medio eorum cruci figunt ostendere. Hæc omnia pertulit Christus armatus diuinâ patientiâ, & pari humilitate. Quis dignè talem æstimabit humilitatem in tolerantia & patientia talis insolentiæ & crudelitatis, commissæ contra diuinam eius personam, à tali gente, quæ profitebatur pietatem, quæ eiusdem erat religionis, & nationis, cuius antecessores tot beneficijs, tot prærogatiuis, tot gratiarum generibus affecerat, vt ijs non immeritò dicere potuerit, quod olim Propheta, in eius persona dixerat: *quid est quod vltrà debui facere vineæ meæ, & non feci? an quod expectaui vt faceret vuas, & fecit labruscas?* augebat dolorem, quòd enormes isti excessus & iniuriæ committebantur à personis abiectis, terræ vermiculis, &

Matth. 27. 45. Mar. 15. 33. Luc. 23. 44. Obscuratus est sol. Matth. 27. 38. Luc. 23. 33. Latrones vnum à dextris, & alterum à sinistris.

Isaiæ 5. 4.

& peccatoribus abominabilibus. quos vno oculorum ictu, seuerissimo supplicio iustè punire, & vltricibus inferni flammis, æternum tradere poterat. Qualis eius debuit esse humilitas, quæ talem patientiam producebat, qualis benignitas, quæ non modò non cogitabat vindictam sumere de inimicis, sed etiam eorum bonum desiderabat, procurabat, ad misericordiam expectabat, & sanguinem suum ac vitam pro eorum salute prodigebat? *Fuit, fuit profectò perillustre exemplum patientiæ, sicut & humilitatis, quod in hoc gradu, uti & in aliis exhibuit, admirandus semper existens doctor virtutis illius, quam è cœlis in terras docere venerat mortales.*

Ioan. 18. 6.

Pater dimitte illis. Luc. 23. 34.

De humilitate Beatæ Virginis in eius patientia.

CVm Beatissima Virgo & Dei Mater in omnibus humilitatis gradibus fuerit insignis, tum maximè in hoc; prædita enim erat diuinâ & cælesti patientiâ, pari in humilitate fundata. Quod in pluribus eius vitæ actis est videre, in silentio, alijsque omnibus

vidit? tunc fuit quando sol, tantum non ferens scelus, obscuratus, lumen suum subtrahens ab oculis mortalium, & vmbrâ suâ miraculosâ fecit inuolucrum ad tegendam nuditatem sui creatoris. QVARTÒ eum crucifixerunt cum duobus latronibus, intendentes hoc facto apud plebem eum traducere, illisque similem, imò & principem, dum in medio eorum cruci figunt ostendere. Hæc omnia pertulit Christus armatus diuinâ patientiâ, & pari humilitate. Quis dignè talem æstimabit humilitatem in tolerantia & patientia talis insolentiæ & crudelitatis, commissæ contra diuinam eius personam, à tali gente, quæ profitebatur pietatem, quæ eiusdem erat religionis, & nasionis, cuius antecessores tot beneficijs, tot prærogatiuis, tot gratiarum generibus affecerat, vt ijs non immeritò dicere potuerit, quod olim Propheta in eius persona dixerat: *quid est quod vltrà debui facere vineæ meæ, & non feci? an quod expectaui vt faceret vuas, & fecit labruscas?* augebat dolorem, quòd enormes isti excessus & iniuriæ committebantur à personis abiectis, terræ vermiculis, &

Matth. 27. 45. Mar. 15. 33. Luc. 23. 44. Obscuratus est sol.

Matth. 27. 38. Luc. 23. 33. Latrones vnum à dextris, & alterum à sinistris.

Isaiæ 5. 4.

& peccatoribus abominabilibus, quos vno oculorum ictu, seuerissimo supplicio iustè punire, & vltricibus interni flammis æternùm tradere poterat. Ioan. 18. 6.
Qualis eius debuit esse humilitas, quæ talem patientiam producebat, qualis benignitas, quæ non modò non cogitabat vindictam sumere de inimicis, sed etiam eorum bonum desiderabat, procurabat, ad misericordiam expectabat, & sanguinem suum ac vitam pro eorum salute prodigebat? Pater dimitte illis. Luc. 23. 34. *Fuit, fuit profectò perillustre exemplum patientiæ, sicut & humilitatis, quod in hoc gradu, vti & in aliis exhibuit, admirandus semper existens doctor virtutis illius, quam è cælis in terras docere venerat mortales.*

De humilitate Beatæ Virginis in eius patientia.

CVm Beatissima Virgo & Dei Mater in omnibus humilitatis gradibus fuerit insignis, tum maximè in hoc; prædita enim erat diuinâ & cælesti patientiâ, pari in humilitate fundata. Quod in pluribus eius vitæ actis est videre, in silentio, alijsque omnibus

præclaris vitæ actionibus. Nulli debet esse dubium, quin in totius vitæ suæ decursu plurimos labores, angustias tum animi, tum corporis, contradictiones & persecutiones, tam in propria patria, quàm extranea, diuturniori præsertim illâ in Ægypto cum infantulo filio suo charissimo commoratione perpessa fuerit. Et si ea de re fere sileat scriptura. Ideo enim silet, quod id per se intelligatur. vt nimirum hoc mysterioso silentio Virginis, patientiam & humilitatem eiusdem, homines edoceantur. nihilominus quantumuis parum ea de re sermo instituatur, per consequentiam tamen, quòd plurima passa fuerit, satis superque habetur.

Mysticum scripturæ silentium de B. Virgine. Luc. 1. 30.

Cæpit maturè aduersa & experiri & pati, imò statim post ipsum primæ lætitiæ nuncium, quando per Angelum acceptâ Dei voluntate, quòd filium altissimi in vtero, existens Virgo incorrupta, esset conceptura, Ioseph eius sponsus ignarus diuini mysterij, eam aduertens prægnantem, aliquid sinistri suspicans, voluit dimittere. Humilitas ei silentium indixerat, ne quid marito de secreto per Angelum accepto reuelaret.

E. 5. f. 11. Matth. 1. 19. voluit occulte dimittere eam.

laret. eadem humilitas illam edocuit hanc suspicionem, quæ satis probabilem coniecturam præ se ferebat, maximè in materia matrimonij, vbi minima quæq; suspicio facillimè coniuges commouere solet ad aliquid sinistri cogitandum, patienter sustinere; si fœminæ honestæ & castæ nihil magis durum & aduersum accidere potest, quàm si intelligat se apud maritum in adulterij suspicionem venisse, quantò grauius Beatæ Virgini (cùm & purissima & innocentissima esset) accidit suspicio Iosephi, eius sponsi, quem etiam tunc pro sancto habebat & colebat? tulit tamen generosè & humiliter sinistram hanc opinionem, & animi vulnus, nullâ in medium allatâ excusatione, aut querimoniâ, vni diuinæ fidens prouidentiæ. quæ adfuit in tempore, suâ tutelâ protegendo & consolando; siquidem Angelus Iosepho, meditanti à sua sponsa prægnante discessum, apparuit, eumque de altissimo conceptæ in vtero prolis mysterio, & de innocentiâ ac fidelitate Virginis eius sponsæ plenè edocuit. Præterea quam non paupertatem in natiuitate filij sui perpessa est, quan-

do tempore perincommodo, quippe perrigidâ & perfrigidâ hyeme, veniens è Nazareth in Bethlehem, nec inueniens diuersorium, in quo Deum pareret hominibus, coacta fuit in stabulum se recipere; in quo media nocte suam creaturam & creatorem pareret, & deficiente lecto, vilibus pannis inuolutum in præsepio reclinauit? quæ tunc cogitatio subibat mentem illius Dauidici floris, Reginæ, quæ tot retrò sæculis progenitores numerabat Reges, MATRIS REGIS REGVM, dum loco deliciarum, famulitij, & magnificentiæ Regiæ, se necessarijs ad recens natum infantem fouendum destitutam animaduerteret? & quæ patientia in ea esse debuit, dum necessariarum rerum omnium egestatem, cum silentio, generoso pertulit animo? quæ item humilitas, quæ causa erat istius patientiæ? quis non iam tunc gladius maternum eius ac virgineum cor transuerberauit, quando per vniuersam Iudæam percrebuit rumor de infantibus, iubente Rege crudelissimo, à bimatu & infra, nefandis armis è medio tollendis, quò vnus eius infans inter cæteros, qui

Luc. 2. 7. peperit filium suum primogenitum, pannis inuoluit, reclinauit in præsepio, quia ei non erat locus in diuersorio.

Matth. 2. 16. occidit omnes pueros à bimatu & infra.

qui tamen solus ad necem quærebatur, communi clade inuolueretur? Vnde vt pretiosum hoc pignus Herodis Regis furori eriperetur, in Ægyptum, patriam alienam, & barbaram profugere coacta est. In qua septem annorum spatio plurima haud dubiè perpeti debuit.

De patientia & humilitate Virginis in paßione Filij.

SECTIO VI.

SEd missâ iam patientiâ per eius vitæ decursum vsq; ad annum quadragesimum octauum ætatis habitâ, Matth. quibus, amabò te, patientiæ, quibus 26. 50. humilitatis armis eius cor munitum Mar. 14. fuisse oportuit, nocte illâ lamentabili, 43. & die tenebrosâ, quando appulsa Hie- Luc. 22. rosolymam ad diem festum celebran- 47. dum intellexit, PRIMÒ filium suum Ioan. 18. in monte Oliueti captum, a discipulis 12. derelictum, arctissimè tanquam insignem latronem ligatum, ad Pontifices ductum, ibique indignè percussum, consputum vtque impijssimum quem-

piam

piam in Deum sacraq; omnia blasphematorem; SECVNDÒ à sacris suæ gentis principibus ad gentilis Pilati tribunal, vt hominem omni scelere obstrictum esse productum? inde ad Herodem, veluti aularum aulicorumque ludibrium esse missum? PÒST, vt omnibus numeris absolutum morionem, veste albâ stultorum propriâ indutum, ad Pilatum remissum, ibique vt vilissimum sceleratissimumque mancipium crudeliter virgis exceptum? TERTIÒ quàm oportuit eam habuisse patientiam humilitatemque, vt in tremendo illo ac inaudito crucis spectaculo (quod non ferens sol, creatura aliàs insensibilis, oculis intueri, eos nubibus obuoluit, solitumque lumen mortalibus denegauit) mente & sensibus integris permaneret? vidit in horribili illo spectaculo Virgo afflictissima Filium suum in altissima crucis trabe eleuatum, expansum, in eaque pedibus ac manibus immensæ magnitudinis clauis affixum; spineo diademate redimitum, toto corpore dilaceratum, ac sanguine perfusum; aceto felle permixto potatum, ab omnibus derelictum, cachinnis exsibilatum,

sibilatum, *quasi nouissimus esset virorum, & à Deo reprobatus.* Tunc eius Virgineum cor & anima non vno gladio, vt prædixerat Simeon, sed tot, quot malleorum ictus, quot irrisionum & blasphemiarum sagittas, venenatis oribus in innocentissimi agni humanitatem, & supremi Regis Maiestatem eiaculatas videbat. Quare si eius patientia, tantorum dolorum lattrix, explicari nequit, neque humilitas, quæ causa est patientiæ, vllo modo poterit.

Doloris gladius. Luc. 2. 35. G. 10. C. 18.

De humilitate Sancti Iosephi in tolerantia rerum aduersarum.

SECTIO VII.

QVid dicemus vlterius de humilitate Sponsi huius Virginis Sancti Iosephi in summa patientia, vigilantia, & charitate inter mille persecutionum & aduersitatum genera, IN SVO PARVO DEO, si ita loqui licet, & SVPREMO DOMINO ab ipsis incunabilis educando, SVO PARVVLO, iuxta hominum opinionem, FILIO, SVO SVPREMO PATRE & SVPREMO

MODEO iuxta veritatem? suo inquam filiolo affectu verè diuino, Patre & Deo intuitu supremæ, quam in eo venerabatur, Maiestatis? Sanctus Chrysostomus pauca ea de re dicit, loquens de prompta & sincera huius viri obedientia, vt cætera ex ijs conijciamus; sic enim ait de eo: *paranti fugam, iuxta quod ab Angelo monitus fuerat, in Ægyptum: quæ cùm audisset Ioseph, nequaquam passus est scandalum, neque dixit: incerta ista res est, ac prorsus ambigua, tu paulò ante dicebas, quia saluabit populum suum, & nunc se ipsum quidem non potest de periculis liberare; sed fuga nobis est necessaria, & peregrinatio ac transmigratio longinqua; contraria omnino sunt facta promissis. sed horum nihil prorsus opponit: Vir enim erat fidelis: sed obediuit libenter, & credidit omnes prorsus tribulationes cum gaudio sustinendo.* Hæc obedientia & simplicitas, cæteræque pulcherrimæ virtutes, quæ in hoc facto relucent, sunt effectus & signa humilitatis huius sancti, à qua edocebatur submittere suum intellectum & voluntatem mandatis diuinis, & absque vlla contradictione, esto non penetraret secretum diuini consilij, obedire. Et quemi-

Homil. 8. in Matth.

Ipse enim saluum faciet populum. Matth. 1. 21.

Fuge in Ægyptum futurum est enim vt Herodes quærat puerum ad perdendum. Matthæi 2. 13.

quemadmodum prius humilitatis beneficio Angelo monenti acquieuerat & conceptam contra suam Sponsam suspicionem prorsus abiecerat, ita nunc simpliciter omissâ omni inquisitione, nihil aliud cordi habens, præter diuinum mandatum, obedit. Hoc ob oculos nobis ponit eius humilitatem, indice patientiâ quæ illius est effectus: eius etiam perpetuum silentium, quod scripturâ silente indicatur: quæ ne vnius quidem illius verbi mentionem facit, docet eum in corde & conuersatione æquè fuisse humilem, atq; patientem: in suis aduersitatibus & persecutionibus silentium etiam sufficienter testatur, & ostendit hanc virtutem in eo fuisse in summo gradu.

De humilitate Ecclesiæ & sanctorum in aduersis perpetiendis.

SECTIO VIII.

Ecclesia Dei statim à mundi exordio duabus hisce virtutibus humilitate & patientiâ, quasi clarè lucentibus quibusdam facibus, ad hæc vsque

vſque tempora reſplenduit & reluxit, vt nos edocet hiſtoria de perſecutionibus & aduerſitatibus ſanctorum; quæ Cancellario Sancto Paulo, epiſtolâ ad Hebræos, in commentarios relata eſt, vbi ipſe refert, quomodo iuſti ſemper aduerſa fuerint perpeſſi. Verùmenimuero humilis hæc patientia maximè illuſtris extitit poſt Chriſti Natiuitatem & mortem: quando nimirum myſticum Sanctæ Eccleſiæ corpus, animatum ſpiritu ſui capitis, & glorioſæ Matris, tot patientiæ modis illuſtrauit ſuam humilitatem, quot à ſui principio perſecutionum & aduerſitatum genera ob imitationem ſui Redemptoris, non à vilibus & abiectis quibuſque, ſed à potentiſſimis mundi, & inferni principibus illata pertulit: probata eſt hæc ſancta Eccleſia in camino eorum omnium malorum, quæ opponuntur bonis, prioribus gradibus recenſitis: nimirum MALIS ANIMÆ, MALIS CORPORIS, & MALIS FORTVNÆ: probata inquam eſt, humiliata, depreſſa, & oppugnata in veritate ſuæ doctrinæ, ſicut & in bonis ſpiritualibus per falſam Philoſophorum eloquentiam, per malignas

Hebr. 11.

Perſecutiones Eccleſiæ. Sulpitius l. 2. nouem enumerat à decem Imperatorib. excitatas, ſcilicet, Neron. Domitian. Traian. Adrian. Antonin. Seuero. Decio. Valerian. [illegible]

malignas & venenatas hæreticorum linguas. qui vltra trecentas hæreses ab ipsis inferorum abyssis, armatas omni impuritate, omni malitiâ & crudelitate euocarunt: appetita est in propria vita sicut & in bonis corporis, ferocitate duodecim Imperatorum in totidem persecutionibus, quas ab ipso Nerone vsque ad Iulianum Apostatam perpessa est. Taceo quas Iudæi, quas gentiles excitarunt; & quam veniens Antichristus, omnium, qui vnquam fuerunt, & futuri sunt, flagitiosissimorum pater, crudelissimam & maximè lamentabilem excitaturus est. oppugnata est in bonis, & possessionibus suis, interueniente inexplebili eorundem tyrannorum auaritiâ. qui sæpenumero quicquid auri, quicquid argenti, quicquid aliarum possessionum habebat, contra omne fas rapuerunt: appetita item in HONORE per iniurias & imposturas, quas superborum & inimicorum hominum peruersitas excogitauit: appetita est in fama, per calumnias & iniquas accusationes, quibus Dei & omnis probitatis hostes, eius innocentiæ integritatem dilacerárunt:

an. & Maximian. Decima erit Antechristi. S. August. lib. 18. de ciuit. Dei, cap. 52. ponit vndecim.

vsque tempora resplenduit & reluxit, vt nos edocet historia de persecutionibus & aduersitatibus sanctorum; quæ Cancellario Sancto Paulo, epistolâ ad Hebræos, in commentarios relata est, vbi ipse refert, quomodo iusti semper aduersa fuerint perpessi. Verùmenimuero humilis hæc patientia maximè illustris extitit post Christi Natiuitatem & mortem: quando nimirum mysticum Sanctæ Ecclesiæ corpus, animatum spiritu sui capitis, & gloriosæ Matris, tot patientiæ modis illustrauit suam humilitatem, quot à sui principio persecutionum & aduersitatum genera ob imitationem sui Redemptoris, non à vilibus & abiectis quibusque, sed à potentissimis mundi, & inferni principibus illata pertulit: probata est hæc sancta Ecclesia in camino eorum omnium malorum, quæ opponuntur bonis, prioribus gradibus recensitis: nimirum MALIS ANIMÆ, MALIS CORPORIS, & MALIS FORTVNÆ: probata inquam est, humiliata, depressa, & oppugnata in veritate suæ doctrinæ, sicut & in bonis spiritualibus per falsam Philosophorum eloquentiam, per malignas

Hebr. 11.

Persecutiones Ecclesiæ. Sulpitius l. 2. nonem enumerat à decem Imperatorib. excitatas, scilicet, Neron. Domitian. Traian. Adrian. Antonin. Seuero. Decio. Valerian. [illegible]

malignas & venenatas hæreticorum linguas. qui vltra trecentas hæreses ab ipsis inferorum abyssis, armatas omni impuritate, omni malitiâ & crudelitate euocarunt: appetita est in propria vita sicut & in bonis corporis, ferocitate duodecim Imperatorum in totidem persecutionibus, quas ab ipso Nerone vsque ad Iulianum Apostatam perpessa est. Taceo quas Iudæi, quas gentiles excitarunt; & quam veniens Antichristus, omnium, qui vnquam fuerunt, & futuri sunt, flagitiosissimorum pater, crudelissimam & maximè lamentabilem excitaturus est. oppugnata est in bonis, & possessionibus suis, interueniente inexplebili eorundem tyrannorum auaritiâ. qui sæpenumero quicquid auri, quicquid argenti, quicquid aliarum possessionum habebat, contra omne fas rapuerunt: appetita item in HONORE per iniurias & imposturas, quas superborum & inimicorum hominum peruersitas excogitauit: appetita est in fama, per calumnias & iniquas accusationes, quibus Dei & omnis probitatis hostes, eius innocentiæ integritatem dilacerárunt:

an. & Maximian. Decima erit Antechristi. S. August. lib. 18. de ciuit. Dei, cap. 52. ponit vndecim.

accusata ab ijsdem de scelere Veneficij, de inhumanitate, de seditione, & impietate: item quòd carnes humanas voraret; quòd Reges & Monarchas odio plusquam Vaticano persequeretur; quòd optimas Imperatorum leges vilipenderet, & infringere ac abolere conaretur. Et vt paucis multa dicam, quòd esset causa omnium malorum, quæ in mundo reperiuntur. Hæc omnia aduersa, mundi infidelitate & crudelitate illata, armata clypeo constantiæ, & armaturâ humilitatis, patienter sustinuit; imò, & humiliatis & deiectis suis persecutoribus per arma benignitatis & exiguitatis suæ, triumphans in sua infirmitate, de eorum furore & superbia, è prælio victrix redijt: & semper fortior euadens, progressa est in acquisitone humilitatis, scandens per omnes mortificationis & patientiæ gradus, coronam gloriæ suæ humilitati proportionatam reportauit. Retulimus & audiuimus in genere Ecclesiæ humiliationes, iam in specie, descendendo ad particularia aliqua eius membra, quorum humilitas & patientia diuersis temporibus & persecutionibus,

Victoria Ecclesiæ in sua humilitate.

tionibus, vt aurum in igne, probata est, veniamus.

Ioseph Patriarcha & Moyses humiliati & probati rebus aduersis.

SECTIO IX.

COmplures sancti, ante Christi aduentum fuere humiliati varijs aduersitatibus, & in virtute patientiæ probati: quorum exempla multùm decoris & ornamenti elocando suo loco huic quarto gradui adferunt. Et in primis inter celebertimos veteris testamenti, datâ operâ vehementer fuit Iosephus experimentis humilitatis & patientiæ probatus, quando ætatis suæ adhuc admodum teneræ, nempe anno decimo sexto, inhumanissimè fratrum suorum inuidiâ fuit tractatus, vili pretio venditus, captiuusque in Ægyptum, tanquam vilissimum mancipium ductus, & pòst asperitatibus carceris duodecim annorum spatiò exercitatus. Et hoc propterea, quia falsò eius fidelitas & castitas ab impudica muliere fuit sugillata. Vnde vehementer humi-

Grad. 4. sect. 11.

Gen. 37. 27. 39. 17. 20.

liatus & afflictus fuit in ANIMA, animaduertens conceptam fratrum suorum in se iram & inuidiam; in CORPORE perpessus vincula, cippos aliasque incommoditates diuturnæ custodiæ; in HONORE, dum voluntate perpetrati adulterij & infidelitatis in suum herum reus haberetur; cùm tamen non solùm esset innocens & inscius talis sceleris & vitij, verùm planè insignis & singularis in cōtrarijs huic vitio virtutibus. Hæc omnia humiliter, patienter fortiq; animo pertulit, Deo absq; murmuratione gratias agens, neminem incusans, neque intra, neque extra carcerem, sed
Gen. 40. 15. solùm hoc dicebat: *furto sublatus sum de terra Hebræorum, & hic innocens in lacum missus sum.* Et quod eius virtutem longè reddit illustriorem, liberatus iam ex isto lacu, & exaltatus supra omnes principes Ægypti, quando poterat de illata sibi à fratribus iniuria, & imposito crimine & calumnia à sua Hera vindictam sumere, nequaquam fecit; verum illos loco vindictæ, vt Pater adiuuit, & quibus potuit honorum & obsequiorum generibus affecit. Fuêre hæc insignia facta hominis generosè patientis

patientis suam afflictionem, & humiliter in patientia se exercentis. Dauid, vates Regius, & insignis Dei encomiastes, vt talem Iosephum suis versibus celebrat, dum canit: *in seruum venundatus est Ioseph, humiliauerunt in compedibus pedes eius, ferrum pertransijt animam eius, donec veniret verbum eius.* ferrum quod pertransijt animam eius, fuit crudele fratrum crimen, & duplicata calumnia impudentis mulieris, quæ eum iniquè & de corporis lubricitate, & de perfidia in Dominum accusabat. Psal. 104. v. 17. 18.

Moyses huius historiæ scriptor, fuit etiam insignis in hac virtute, sicut & in tota Dei domo fidelis. qui cùm miraculosè educatus in domo, & aula Pharaonis esset, constitutus etiam postea dux & gubernator filiorum Israël, populi Dei, vt eos à seruitute Pharaonis & Ægyptiorum liberaret, & versus terram promissionis duceret, tamen *eum virum mitissimum supra omnes homines, qui morabantur in terra*, vocat scriptura. & quod hinc sequitur erat humillimus. Et quot obsecro modis eius patientia fuit probata, postquam egressus est è domo Pharaonis? nonné coactus fuit Exod. 2. v. 9. 10. Num. 12. 3. Exod. 3. 1.

petere deserta & latibula, pascere oues, ne incideret in manus & tyrannidem Pharaonis, qui ad pœnas & mortem eum quærebat & deposcebat? Et cùm ab eo se liberasset, eumque prædam & escam maris & piscium cum vniuersis turmis suis vidisset, quot, & quali hu-
Exod. 16. militate & patientiâ labores, solicitu-
& 17. 2. dines, afflictionesque alias in hac po-
Item 18. puli Hebraici eductione perpessus est?
8. quoties manifestissimum periculum, ne in furore rebellantis & duræ ceruicis populi lapidaretur, incurrit? & quâ virtute contemptûs, auersiones, opprobria, maledicta non solùm principum, sed etiam fœcis populi pertulit?
Num. 12. quin & proprij fratris Aaronis & soro-
1. ris Mariæ? non quærens in amaritudine animæ suæ aliud refugium, aut deponens aliam aduersus Deum querelam, quam prosternendo se humiliter in tabernaculo ante oculos diuinæ Maiestatis, & petendo in omni sua humiliatione & afflictione, vt Deus suis persecutoribus hanc remitteret noxam: humiliando insuper se coram ijs, imò & orando pro illis, qui se affligebant? Deus bone, quâ non benignitate & cle-
mentiâ

mentiâ aduersus ingratos fuit, quando pro auersis à Deo, & ad execrabile idololatriæ peccatum conuersis, iustissimè iratum Deum & paratum iam iam os inferni aperire, vt eos sub omnes abyssos sepeliret, supplex orauit, dicens? *dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro Vitæ.* Exod. 32. v. 32. Oratio hæc fuit animata exaggeratione, quæ denotabat flammam eximiæ charitatis & clementiæ in hunc populum, & ardentem zelum honoris diuini, quæ in tantum eum accenderant, vt pro sua natione gratiam petens, adderet clausulam & conditionem, quâ (casu quo ea negaretur) paratum & promptum se offerebat ad pereundum cum ijs, pro quibus orabat: si tamen id in maiorem Dei gloriam cederet; at Deus qui miraculosè Exod. 2. a. infantem ex vndis eripuerat, & virtutibus dignis maximo principe, nominatim autem humilitate & benignitate ornârat, & peculiari suâ prouidentiâ ad necessitates istius temporis reseruârat, vt esset caput & ductor fratrum suorum, eum in omni humiliationis genere exercitauit, vt sic præberet experimentum aureæ suæ humilitatis in

 aduersis

MODEO iuxta veritatem? suo inquam filiolo affectu verè diuino, Patre & Deo intuitu supremæ, quam in eo venerabatur, Maiestatis? Sanctus Chrysostomus pauca ea de re dicit, loquens de prompta & sincera huius viri obedientia, vt cætera ex ijs conijciamus; sic enim ait de eo: *parantifugam, iuxta quod ab Angelo monitus fuerat, in Ægyptum: quæ cùm audisset Ioseph, nequaquam passus est scandalum, neque dixit: incerta ista res est, ac prorsus ambigua, tu paulò ante dicebas, quia saluabit populum suum, & nunc se ipsum quidem non potest de periculis liberare; sed fuga nobis est necessaria, & peregrinatio ac transmigratio longinqua; contraria omnino sunt facta promissis. sed horum nihil prorsus opponit: Vir enim erat fidelis: sed obediuit libenter, & credidit omnes prorsus tribulationes cum gaudio sustinendo.* Hæc obedientia & simplicitas, cæteræque pulcherrimæ virtutes, quæ in hoc facto relucent, sunt effectus & signa humilitatis huius sancti, à qua edocebatur submittere suum intellectum & voluntatem mandatis diuinis, & absque vlla contradictione, esto non penetraret secretum diuini consilij, obedire. Et quem-

Homil. 8. in Matth.

Ipse enim saluum faciet populum. Matth. 1. 21.

Fuge in Ægyptum futurum est enim vt Herodes quærat puerum ad perdendum. Mat thæi 2. 13.

quemadmodum prius humilitatis beneficio Angelo monenti acquieuerat & conceptam contra suam Sponsam suspicionem prorsus abiecerat; ita nunc simpliciter omissâ omni inquisitione, nihil aliud cordi habens, præter diuinum mandatum, obedit. Hoc ob oculos nobis ponit eius humilitatem, indice patientiâ quæ illius est effectus: eius etiam perpetuum silentium, quod scripturâ silente indicatur: quæ ne vnius quidem illius verbi mentionem facit, docet eum in corde & conuersatione æquè fuisse humilem, atq; patientem: in suis aduersitatibus & persecutionibus silentium etiam sufficienter testatur. & ostendit hanc virtutem in eo fuisse in summo gradu.

De humilitate Ecclesiæ & sanctorum in aduersis perpetiendis.

SECTIO VIII.

Ecclesia Dei statim à mundi exordio duabus hisce virtutibus humilitate & patientiâ, quasi clarè lucentibus quibusdam facibus, ad hæc vsque

vsque tempora resplenduit & reluxit, vt nos edocet historia de persecutionibus & aduersitatibus sanctorum; quæ Hebr. 11. Cancellario Sancto Paulo, epistolâ ad Hebræos, in commentarios relata est, vbi ipse refert, quomodo iusti semper aduersa fuerint perpessi. Verùmenimuero humilis hæc patientia maximè illustris extitit post Christi Natiuitatem & mortem: quando nimirum mysticum Sanctæ Ecclesiæ corpus, animatum spiritu sui capitis, & gloriosæ Matris, tot patientiæ modis illustrauit suam humilitatem, quot à sui principio persecutionum & aduersitatum genera ob imitationem sui Redemptoris, non à vilibus & abiectis quibusque, sed à potentissimis mundi, & inferni principibus illata pertulit: probata est hæc sancta Ecclesia in camino eorum omnium malorum, quæ opponuntur bonis, prioribus gradibus recensitis: nimirum MALIS ANIMÆ, MALIS CORPORIS, & MALIS FORTVNÆ: probata inquam est, humiliata, depressa, & oppugnata in veritate suæ doctrinæ, sicut & in bonis spiritualibus per falsam Philosophorum eloquentiam, per malignas

Persecutiones Ecclesiæ. Sulpitius l. 2. nonem enumerat à decem Imperatorib. excitatas, scilicet, Neron. Domitian. Traian. Adrian. Anton. Seuero. Decio. Valerian. [illegible]

malignas & venenatas hæreticorum linguas. qui vltra trecentas hæreses ab ipsis inferorum abyssis, armatas omni impuritate, omni malitiâ & crudelitate euocarunt: appetita est in propria vita sicut & in bonis corporis, ferocitate duodecim Imperatorum in totidem persecutionibus, quas ab ipso Nerone vsque ad Iulianum Apostatam perpessa est. Taceo quas Iudæi, quas gentiles excitarunt; & quam veniens Antichristus, omnium, qui vnquam fuerunt, & futuri sunt, flagitiosissimorum pater, crudelissimam & maximè lamentabilem excitaturus est. oppugnata est in bonis, & possessionibus suis, interueniente inexplebili eorundem tyrannorum auaritiâ. qui sæpenumero quicquid auri, quicquid argenti, quicquid aliarum possessionum habebat, contra omne fas rapuerunt: appetita item in HONORE per iniurias & imposturas, quas superborum & inimicorum hominum peruersitas excogitauit: appetita est in fama, per calumnias & iniquas accusationes, quibus Dei & omnis probitatis hostes, eius innocentiæ integritatem dilacerárunt:

an. & Maximan. Decima erit Antechristi. S. August. lib. 18. de ciuit. Dei, cap. 52. ponit vndecim.

accusata ab ijsdem de scelere Veneficij, de inhumanitate, de seditione, & impietate: item quòd carnes humanas vorarec; quòd Reges & Monarchas odio plusquam Vaticano persequeretur; quòd optimas Imperatorum leges vilipenderet, & infringere ac abolere conaretur. Et vt paucis multa dicam, quòd esset causa omnium malorum, quæ in mundo reperiuntur. Hæc omnia aduersa, mundi infidelitate & crudelitate illata, armata clypeo constantiæ, & armaturâ humilitatis, patienter sustinuit; imò, & humiliatis & deiectis suis persecutoribus per arma benignitatis & exiguitatis suæ, triumphans in sua infirmitate, de eorum furore & superbia, è prælio victrix redijt: & semper fortior euadens, progressa est in acquisitone humilitatis, scandens per omnes mortificationis & patientiæ gradus, coronam gloriæ suæ humilitati proportionatam reportauit. Retulimus & audiuimus in genere Ecclesiæ humiliationes, iam in specie, descendendo ad particularia aliqua eius membra, quorum humilitas & patientia diuersis temporibus & persecutionibus,

Victoria Ecclesiæ in sua humilitate.

tionibus, vt aurum in igne, probata est, veniamus.

Joseph Patriarcha & Moyses humiliati & probati rebus aduersis.

SECTIO IX.

COmplures sancti, ante Christi aduentum fuêre humiliati varijs aduersitatibus, & in virtute patientiæ probati: quorum exempla multùm decoris & ornamenti elocando suo loco huic quarto gradui adferunt. Et in primis inter celebertimos veteris testamenti, datâ operá vehementer fuit Iosephus experimentis humilitatis & patientiæ probatus, quando ætatis suæ adhuc admodum teneræ, nempe anno decimo sexto, inhumanissimè fratrum suorum inuidiâ fuit tractatus, vili pretio venditus, captiuusque in Ægyptum, tanquam vilissimum mancipium ductus, & pòst asperitatibus carceris duodecim annorum spatiò exercitatus. Et hoc propterea, quia falsò eius fidelitas & castitas ab impudica muliere fuit sugillata. Vnde vehementer humi-

Grad. 6. sect. 13.

Gen. 37. 27. 39. 17. 20.

liatus & afflictus fuit in ANIMA, animaduertens conceptam fratrum suorum in se iram & inuidiam; in CORPORE perpessus vincula, cippos aliasque incommoditates diuturnæ custodiæ; in HONORE, dum voluntate perpetrati adulterij & infidelitatis in suum herum reus haberetur; cùm tamen non solùm esset innocens & inscius talis sceleris & vitij, verùm planè insignis & singularis in cõtrarijs huic vitio virtutibus. Hæc omnia humiliter, patienter fortiq; animo pertulit, Deo absq; murmuratione gratias agens, neminem incusans, neque intra, neque extra carcerem, sed

Gen. 40. 15. solùm hoc dicebat: *furto sublatus sum de terra Hebræorum, & hic innocens in lacum missus sum.* Et quod eius virtutem longè reddit illustriorem, liberatus iam ex isto lacu, & exaltatus supra omnes principes Ægypti, quando poterat de illata sibi à fratribus iniuria, & imposito crimine & calumnia à sua Hera vindictam sumere, nequaquam fecit; verum illos loco vindictæ, vt Pater adiuuit, & quibus potuit honorum & obsequiorum generibus affecit. Fuêre hæc insignia facta hominis generosè patientis

patientis suam afflictionem, & humiliter in patientia se exercentis. Dauid, vates Regius, & insignis Dei encomiastes, vt talem Iosephum suis versibus celebrat, dum canit: *in seruum venundatus est Ioseph, humiliauerunt in compedibus pedes eius, ferrum pertransijt animam eius, donec veniret verbum eius.* ferrum quod pertransijt animam eius, fuit crudele fratrum crimen, & duplicata calumnia impudentis mulieris, quæ eum iniquè & de corporis lubricitate, & de perfidia in Dominum accusabat. Psal. 104. v. 17. 18.

Moyses huius historiæ scriptor, fuit etiam insignis in hac virtute, sicut & in tota Dei domo fidelis. qui cùm miraculosè educatus in domo, & aula Pharaonis esset, constitutus etiam postea dux & gubernator filiorum Israël, populi Dei, vt eos à seruitute Pharaonis & Ægyptiorum liberaret, & versus terram promissionis duceret, tamen *eum virum mitissimum supra omnes homines, qui morabantur in terra*, vocat scriptura. & quod hinc sequitur erat humillimus. Et quot obsecro modis eius patientia fuit probata, postquam egressus est è domo Pharaonis? nonné coactus fuit Exod. 2. v. 9. 10. Num. 12. 3. Exod. 3. 1.

 petere

petere deserta & latibula, pascere oues, ne incideret in manus & tyrannidem Pharaonis, qui ad pœnas & mortem eum quærebat & deposcebat? Et cùm ab eo se liberasset, cumque prædam & escam maris & piscium cum vniuersis turmis suis vidisset, quot, & quali hu-
Exod. 16. militate & patientiâ labores, solicitu-
& 17. 2. dines, afflictionesque alias in hac po-
Item 18. puli Hebraici eductione perpessus est?
8. quoties manifestissimum periculum, ne in furore rebellantis & duræ ceruicis populi lapidaretur, incurrit? & quâ virtute contemptûs, auersiones, opprobria, maledicta non solùm principum, sed etiam fœcis populi pertulit?
Num. 12. quin & proprij fratris Aaronis & soro-
1. ris Mariæ? non quærens in amaritudine animæ suæ aliud refugium, aut deponens aliam aduersus Deum querelam, quam prosternendo se humiliter in tabernaculo ante oculos diuinæ Maiestatis, & petendo in omni sua humiliatione & afflictione, vt Deus suis persecutoribus hanc remitteret noxam: humiliando insuper se coram ijs, imò & orando pro illis, qui se affligebant? Deus bone, quâ non benignitate & clementiâ

mentiâ aduersus ingratos fuit, quando pro auersis à Deo, & ad execrabile idololatriæ peccatum conuersis, iustissimè iratum Deum & paratum iam iamos inferni aperire, vt eos sub omnes abyssos sepeliret, supplex orauit, dicens? *dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro Vitæ.* Exod. 32. v. 32. Oratio hæc fuit animata exaggeratione, quæ denotabat flammam eximiæ charitatis & clementiæ in hunc populum, & ardentem zelum honoris diuini, quæ in tantum cum accenderant, vt pro sua natione gratiam petens, adderet clausulam & conditionem, quâ (casu quo ea negaretur) paratum & promptum se offerebat ad pereundum cum iis, pro quibus orabat: si tamen id in maiorem Dei gloriam cederet; at Deus qui miraculosè Exod. 2. 3. infantem ex vndis eripuerat, & virtutibus dignis maximo principe, nominatim autem humilitate & benignitate ornârat, & peculiari suâ prouidentiâ ad necessitates istius temporis reseruârat, vt esset caput & ductor fratrum suorum, eum in omni humiliationis genere exercitauit, vt sic præberet experimentum aureæ suæ humilitatis in

aduersis perpetiendis, & in dies nouis ac nouis de se ipso & de alijs auctus victorijs, humilior redderetur. vt tandem coronâ gloriæ proportionatâ virtutibus & meritis eius (dato ei etiam immortali in terris nomine) in cælis æternùm donaretur.

Job insigne humilitatis exemplar in perpetiendis malis; humiliatus in amißione diuitiarum & familiæ.

SECTIO X.

IOb ab huius quarti gradus structura nullo modo excludendus est, ad eam siquidem humilis eius patientia plurimùm confert, siue materiam, siue formam huius gradus spectes: adde quòd perillustris sit figura patientiæ & humilitatis Christi Domini, & eius mystici corporis Ecclesiæ in suis afflictionibus & persecutionib⁹ omni constantiâ ac humilitate perferendis: in suis inquam afflictionibus, quæ & numero permultæ, & qualitate per acerbæ ac graues fuerunt, quia eas concomitabantur

S. Greg. l. 1. moral. c. 8. & 9. lib. 2. c. 16. lib. 16. c. 1.

mitabantur omnes eæ circumstantiæ, quæ rem aduersam possunt aggrauare. En primis enim Rex erat in partibus orientalibus, vt communis est Doctorum & Scripturæ consensus, vnde ex altissimo illo regiæ dignitatis gradu in tam profundam miseriæ abyssum, vt ne dignus quidem putaretur, qui locum teneret inter subditos suos, decidisse pergraue fuit. Deinde priuatus fuit omnibus bonis, exceptis humilitate & patientiâ, cæterisque virtutibus humilitatis affinibus; Tertiò reductus est ad extremas miserias absque vllius mortalium adiutorio. Vt autem suprema sapientia ad ostendendas diuitias sapientiæ suæ sæpe sæpius in natura, sic & in gratia lusit, contrahendo nimirum multa in aliquod vnum, quod consummatæ esset perfectionis, & quasi compendium omnium. Verbi gratia reliquorum luminum perfectionem in vno sole comprehendendo, perfectionem totius vniuersi in homine, in Beata Virgine virtutes omnium probarum mulierum; in Christo summam rerum omnium tam creatarum, quàm increatarum perfectionem, ita in Beati Iob patientia

Iob Rex fuit, auctores citat Pineda in caput 1. Iob. v. 1. num. 14. & seqq.

Exemplum pa-

tientiæ 3. patientia reliquorum hominum pati-
Iob. Tob. entiæ fecit compendium, quia in tole-
2. 12. rantia omnium malorum FORTVNÆ, CORPORIS, ANIMÆ. quæ tribus bonorum generibus primò gradu relatorum opponuntur, victorem gloriosum effecit. appetitus fuit per dæmones & per homines in omnibus malis, idq; tam atroci modo, vt vix dici posſit; fuit enim non ſolùm derelictus ab amicis abſque vllo humano ſolatio, ſed
Iob. 2. 9. etiam ab ijſdem indignè, imò & maxi-
10. mè à propria vxore exceptus & exagitatus. Satan ardens inuidiâ contra virtutem huius magni ſancti & amici Dei, & ſummè cupidus pugnæ cum eo ineundæ, petijt à Domino licentiam eum affligendi. quâ obtentâ, in omnibus eum bonis vehementer affligere aggreſſus eſt;
Iob. 1. 15. PRIMÒ enim partim prædæ, partim igni tradidit ſeptem millia ouium, tria millia camelorum, quingenta paria boum, & totidem aſinorum, quibus eius conſtabant diuitiæ:
Iob. 1. 19. SECVNDÒ vniuerſam eius familiam, nimirum ſeptem filios & tres filias perdere aggreſſus, *immiſit repente à regione deſerti ventum vehementem, qui concutiens*

quatuor

quatuor angulos domûs, quæ casu & ruinâ suâ eos oppressos sepeliuit. Erant ea præcipua externa eius bona, quæ perdere poterat, & perdidit eâdem horâ, & nuncios identidem absque intermissione expresse missos ad eius animam affligendam per huiusmodi repentina infortunia, absque respiratione accepit. PRIMVS retulit Sabæos in eius boues arantes & asinas iuxta eos in pascuis hærentes irruisse, abstulisseque omnia: quin & pueros qui dictorum animalium gerebant curam, gladio percussisse: qui nuncius etiam adiunxit, se solum euasisse. quod non ad consolationem illius fiebat, sed vt perdita nunciaret, & vt verius dicam, eum magis affligeret. nec dum is sermonem compleuerat, cùm superuenit SECVNDVS dicens: *ignis Dei cecidit è cælo, & tactas oues pueros[que] consumpsit:* complens sermonem suum vti primus; sed hoc adhuc loquente venit TERTIVS, nuncians Chaldæos in tres diuisos turmas inuasisse camelos, eosque abduxisse, nec non pueros gladio percusisse: cùm hic adhuc loqueretur, vti duo priores, nempe *solum se euasisse ad id nunciandum*, ecce

Iob. 1. 14. 15.

Iob. 1. 16.

Iob. 1. 17.

Iob. 1. 18. 19. ecce QVARTVS & vltimus peculiari ratione à Satane instructus prioribus iacturis longè maiorem & lamentabiliorem, nimirum, miserum septem eius filiorum, & trium filiarum exitum, retulit verbis grandioribus & figuratis, pungentibusque, rem exaggerans, vt magis magisque iam afflictum cor exulceraret. Verba eius sunt hæc: *filiis tuis & filiabus vescentibus & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, repente ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt, & effugi ego solus vt nunciarem tibi.* Hic assultus decem crudelissimis plagis eius cor vulnerauit in decem liberorum suorum morte, quos amore paterno (id est potentissimo & fortissimo, qui in rerum natura potest reperiri) diligebat: ideoque tot ei mortes peracerbæ fuerunt: quas aggrauabant circumstantiæ, mortis genus SVBITANEVM, INSPERATVM, IN CONVIVIO, vbi non nisi læta audiri solent. adde hanc ruinam videri è cælo procuratam, quasi Deus, qui eam, petente satanâ, permiserat, auctor esset, oppugnans Iob in sua familia. Quid egit in

in repentinis hisce afflictionibus? humilitatem & patientiam verbis & actionibus ostendit; scidit vestimenta, quod Magnatum erat cæremonia, in detestationem alicuius blasphemiæ, aut demonstrationem alicuius ingentis mali: *& tonso capite corruens in terram, adorauit dicens: nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus reuertar illuc: Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit ita factum est; sit nomen Domini benedictum.* Isthæc est humilitas & victrix patientia Beati Iob in duobus primis reflantis fortunæ malis, nimirum in iactura omnium possessionum, & totius familiæ interitu. nihil ei supererat præter bona corporis, SANITAS nimirum, FORTITVDO, PVLCHRITVDO, & si quæ alia sunt corporis bona; animi item supererant, IVDICIVM, VOLVNTAS, MEMORIA, SCIENTIA, & quæ iuge est conuiuium, BONA CONSCIENTIA, & paucula quædam externa, quæ consistebant in amicis, & boni nominis existimatione, quam bona opera ei pepererant: at verò in his etiam fuit afflictus & humiliatus, dum Diabolus eius iuratus inimicus,

nihil

nihil intentatum reliquit, vt tot modis eum affligeret, quot in corpore eius & anima vias eum affligendi inuenire potuit. quod deinceps breuiter declarandum est.

Job humiliatus in corpore & in anima.

SECTIO XI.

PErmisit Deus vt satan rabie percitus propius & acrius Beatum Iob aggrederetur, quod duabus vijs, vnâ eius corpus, & alterâ animam, bonique nominis existimationem inuadendo, fecit: vt ex vna parte humilitas & patientia viri innocentissimi in afflictionibus gloriosè triumpharet; ex altera verò persecutoris malitia, in omni suo conatu & molimine confunderetur. Percussit ergo satan eius corpus
Iob. 2. 7. vlcere pessimo & crudelissimo, nec semel tantùm, aut in vno aliquo membro, sed sæpius, & in toto corpore: reddens eum veluti leprosum pluribus leprarum generibus. quæ tamen vnico continebantur vlcere, sed adeo generali,

rali, vt per totam eius pellem à plãta pedis vsq; ad verticẽ capitis, præter lepræ colorem, nihil conspiceretur. vnde vno ictu omnibus corporis bonis eum spoliauit; sanitate, fortitudine, pulchritudine, & verbo, omnibus, si linguam excipias, quam, datâ operâ, intactam reliquit, vt tot malis afflictus, eam, desperatione adactus, laxaret ad blasphemandum Deum. His plagis obtinuit satan, vt sanctus hic in momento non solùm Vasallis & subditis suis, sed etiam amicis & domesticis seruis odiosus & abominabilis redderetur. Quare statuit deserere ciuitatem, & ab omni humano commercio abstinere, vitamque transigere, vt leprosi iubentur legibus ciuilibus in omni Republica, esto sint Reges, vti fuit Ozias Rex Hebræorum, & olim in Insula Taprobana expressa erat lex, vt si contingeret Regem esse leprosum, foras eijceretur, id est extra ciuitatem, tanquam abominabilis, & à Deo percussus. Igitur Iob, ait Polychronius, cùm animaduerteret ab omnibus se despici, & deseri, etiam ab amicis, qui eius præsentiam non ferebant,

Leuit. 13. 3.

4. Reg. 15. 5. 2. Paralip. 26. 21. 23. num. 5. 2. De leprosis v. Herodot. Cœlium. Rodig. l. 5. Pet. Gregor. l. 15. syntag. 28. num. 19.

ferebant, extra ciuitatem, solitudinem & eremum elegit pro domicilio. Quid dico eremum, imò fimetum ad maiorem humilitatem & maius Dei obsequium. His igitur malis oppressus, & priuatus omni humano subsidio, in hac extrema sua necessitate, testâ saniem, quæ ex vlceribus passim effluebat, sedens in sterquilinio, radebat. Inter has corporis afflictiones, sicut & externa mala, dubitandum non est, quin eius anima in omnibus suis potentijs & facultatibus fuerit afflictissima, quod colligitur ex discursibus habitis cum amicis: afflicta erat ANIMA, quia non valebat penetrare causas tot miseriarum; IVDICIVM humiliabatur, quia non poterat comprehẽdere abyssum iudiciorum Dei, quæ tamen iusta esse apud se defendebat; MEMORIA plena erat amaritudine, dum recoleret statum præteritæ sanitatis, & splendorem familiæ, quam repentè subsequens ruina vnà cum vniuersis opibus oppresserat; IMAGINATIO & SENSVS INTERIORES perstringebantur densâ quadam caligine, & confundebantur obiectis tot, & tam vehementium persecutionum.

Iob 2. 8. humiliatus in omnibus.

secutionum. Super hæc omnia eius vxor, postquam aliquot forte diebus obsequiosa ei astitisset, perditâ patientiâ & humilitate, per suggestionem inimici satanæ, incitata fuit ad affligendum maritum, proferens ad eum verba desperationis plena: *adhuc tu permanes in simplicitate tua? benedic Deo & morere*, Iob 2. v. 9.
id est, adhuc tu manes superstitiosus in tuis nugis? cùm sis leprosus, simúlne es insensibilis? non aduertis quomodo Deus ille, cui solicitus nimis, diu noctuque seruiebas, te odio prosequatur? cur non profers aliquid contra nimium eius rigorem, aut eius tui obliuionem, vt vnâ tandem morte, pluribus, cum quibus conflictaris, exturbatâ è corpore animâ, libereris? crudeles eæ erant puncturæ, quæ eius cor loco consolationum transfigebant. Sed Iob manet Iob, id est stabilis & constans in medijs hisce tormentis, stultæque huic mulieri dat documenta sapientiæ, humilitatis & patientiæ, dum dicit: *quasi vna de stultis mulieribus loquuta es, si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus?* verba hæc sunt index recognitionis acceptorum Iob 2. 9. & 10.
 de

de manu Dei beneficiorum, & humilis ac parati animi ad sustinenda humiliter mala, quæ Deus sinebat euenire. En triumphantem humilitatem in tertio congressu, in corpus & animam Iob à satana facto: Videamus quartum in ea, quæ ei restabant, conscientiam nimirum, & boni nominis existimationem.

Iob humiliatus in fama, & indicatus impius & hypocrita.

SECTIO XII.

POstquam Diabolus apud Deum & eius Angelos insignem hypocrisis calumniam Beato Iobo impegisset, dicens, eum non ex amore & recta intentione Deo inseruire, sed quia *eum vallasset plurimis bonis, & operibus manuum*
Iob 1. 10. *eius benedixisset*; videns nunc sedentem super fimetum, & constanter perseuerantem in patientia, alias adhibet belli machinas, incitans nimirum amicos Iob ad crudele bellum ei mouendum, contra eius famam & conscientiam. Erant eius amici Domini potentes, & Reges,

Reges, veluti Iob. qui cùm communi rumore per partes orientales sparso, subitaneam eius calamitatem & lamentabilem ruinam intellexissent, quem prius nôrant in omni rerum copia & splendore regnare, gratum insuper omnibus & honoratum toti mundo fuisse, quem & ipsi amabant & honorabant, ob præconceptam de illius virtutibus & meritis opinionem; sibi per litteras & nuncios tempus & diem condixerunt, ad communem amicum Iob visitandum: cuius ciuitati cum appropinquarent, eum in suburbijs reperiunt, sedentem in fimeto, adeo miserum, vt ne cognoscerent quidem: facies enim eius & corpus adeo mutatum erat, vt potius cadauer, quàm homo videretur, vnde *exclamantes plorauerunt, scissisq; vestibus sparserunt puluerem super caput suum in cælum,* in signum maximi doloris & commiserationis: ibi septem diebus inhærentes, eum contemplati sunt, diu noctuque lacrymantes, nec ciuitatem intrantes, nisi necessitate adacti, imò nec ei locuti, propter vehementem dolorem, quo eum oppressum videbant: interim conuersantes Iob. 2. 3. 11. 12.

& vltrò citroque sermonem miscentes cum ciuibus, oculatis testibus eorum, quæ Iobo euenerant, ordine didicerunt vniuersa Iobi infortunia. Nec defuêre qui dicerent eum ita ab omnibus derelictum, tanquam percussum & castigatum, non humanâ, sed diuinâ manu, quæ, vt illi arbitrabantur, emisso è cælis igne, oues consumpserat, & eius liberos vno temporis momento interfecerat. Quare hac occasione instigante Diabolo (qui solicitè tenebras offundebat animis iam commotis, & accendebat voluntates adulantium aduersum Iob) cæperunt mutare opinionem, quam prius de amico suo habebant, & credere quòd quilibet alius credebat, quòd nimirum vindicem manum diuinam sentiret ob enormia ab ipso admissa peccata; & quòd non talis, qualis æstimabatur fuerit, sed homo impius, versipellis, & insignis hypocrita, quod ei verbis peracerbis (postquam cæpit ille, paululùm respirans, deplorare mala, quæ patiebatur, cùm nullius commissi sceleris sibi conscius esset) loco consolationis, quam ei primò adhibere cõstituerant, expro-

exprobare cæperunt, atroces ei iniurias, vt homini peruerso & impio, inferentes, vt qui iniustè lamentaretur, Deumq; iniustitiæ argueret, quasi absque causa eum percussisset. Eorum omnes discursus erroneo innitebantur argumento: arbitrabantur enim, vt mali Theologi, omnes huius vitæ aduersitates, ob sola commissa peccata euenire; & contrà, prosperitates & res secundas aliquibus dari propter eorum merita & iustitiam: quod falsissimum est. complures enim cùm sancti essent, persecutiones passi sunt, vt Abel, Iacob, Elias, alijque veteris Ecclesiæ Sancti, & in noua post Christi mortem maximi Sanctorum, quin & Sanctus Sanctorum Christus, grauissima quæque sustinuerunt: contrà, quàm plurimi in omni prosperitate & splendore in hoc mundo vitam egerunt, vt multi Reges Idololatræ, alijq; homines mundani. Vnde Iob, credens sibi incumbere ad Dei honorem tuendum, ex eorum animis conatur errorem eripere, dum suam defendit innocentiam, & partam boni nominis famam, se nimirum mundum à peccatis, de quibus ab

Iob 4. 5. & cap. 8. 3. cap. 11. 3.

ijs arguebatur, esse contendens, non semper Deum homines affligere propter scelera; sed ad probandam & explorandam eorum fidelitatem, & ad ostendendam alijs suam prouidentiam, non solùm ad præsentem vitam, sed etiam ad futuram se extendere. in qua laureâ & gloria æterna eos coronabit, qui illatas iniquè persecutiones sustinuerunt: illisque, qui propter eius nomen, dedecus & ignominiam perpessi sunt, reddet præmium humilis patientiæ; pœnâ autem & confusione sempiternâ puniet superbos, qui bonis præsentibus, datis ad diuinam eius Maiestatem honorandam, & proximo in necessitate posito succurrendum, abusi sunt. Vbi tres primi amici Iob omnia contra eum sua explosissent tormenta, è medio prodijt quartus & vltimus omni conatu oppugnans Iob. Iuuenis erat gloriabundus, qui cum ijs forte venerat, spiritu & linguâ arrogante inuasit afflictam humilitatem Beati Iob,
Iob 32.2. & cap. 33. 44. 45. 46. plures iniurias inferens, accusansque eum in communi de ignorantia, & impudenti malitia. atque ita Beatus Iob in hoc vltimo assultu impugnatus fuit

in

in omnibus animæ suæ facultatibus: in intellectu accusatus de errore, in VOLVNTATE de malitia, in MEMORIA de recordatione bonorum amissorum, & de præsentibus malis. Ac proinde humiliatus & afflictus in omnibus animæ potentijs fuit, vti & in toto corpore, ac in omnibus fortunæ bonis, vti familia &c. Sed vt palma, quæ, vt magis deprimitur, magis exsurgit, ita Beatus Iob humiliatus & despectus gloriosus exsurgens, refert victoriam & patientiæ Iob 38.
suæ diadema imponit capiti, idque iudice Deo, qui eum defendit contra calumniatores, declarans eum quàm remotissimum esse ab obiectis criminibus, eum proinde illis præficit mediatorem aduersus suam Maiestatem, volens eorum peccatis misereri, Beati Iob deprecatione interueniente.

& c. 40. 1. 42. 8. 10.

Iob iacens in sterquilinio, speculum humilitatis & satanicæ superbiæ triumphator.

SECTIO XIII.

Titulus huius sectionis & paradoxus, & ab omni fide alienus primo

aspectu videtur: quæ enim apparentia est, quòd Iob semimortuus, ingemiscens in sterquilinio speculum sit humilitatis, & non potius miseriæ; quòd triumphet de superbia satanæ, à quo omni persecutionum genere omnibus viribus siue malitiam, siue crudelitatem spectes, appetitus est, & tandem redactus ad extremam miseriam, iacens in cinere & puluere, spoliatus omnibus, exceptis oculis & lingua, quibus miseriam suam deploret, & ægritudinem lamentetur? & tamen his non obstantibus, stat positus titulus confirmatus verissimis sanctorum testimonijs. in dubium enim reuocandum non est, quin Iob tali in statu egregium & clarissimum præbuerit humilitatis documentum, quando spoliatus & priuatus omnibus bonis, & abiectus sub pedibus omnium sui sæculi hominum, patientissimus erat in sua humiliatione, quando suis discursibus euidenter ostendebat nihili seipsum facere, nemini se præferre, sed mortalium omnium vilissimum se credere, nihili æstimans neque præteritæ neque præsentis fortunæ bona, neque etiam corporis. di-

S. Greg. 5. moral. c. 18. & in vita S. Bern. pag. 2.

dicerat

dicerat enim experientiâ per aduersitatem, quòd præsentia bona prorsus sint fragilia, & inconstantia: proinde eorum iacturam & casum suum, quo non ex mediocri, sed ex summa fortuna ad infimam decidisset, ferebat patienter: quæ circumstantia non mediocriter mala aggrauabat. Sed quâ ei opus non fuit patientiâ ad talem rerum catastrophen, quæ omnes Poëtarum fictiones dolorum acerbitate excedebat, ferendam? quæ isthæc commutatio? vt qui Rex ditissimus, splendidissimus, honoratissimus, dilectissimus, sanissimus, gloriosissimus, Pater numerosæ & nobilis familiæ fuerat, rex omni virtutum genere ornatissimus, & in omnibus orientalibus oris celeberrimus, secundis rebus florentissimus; quæ inquam commutatio, & cordolium esse debuit, videre se vno subitaneo ictu non fortunæ, sed malitiæ diaboli (permittente, id nihilominus diuinâ prouidentiâ) videre inquam se omnibus bonis spoliatum, despectum à suis subditis, irrisum ab amicis, & ab omnibus, tanquam hominem nihili reiectum? oppressum infirmitate non minus ignomi-

Nihil est tam miserabile, quam ex beato miser. Cic. in part.

niosâ & abominabili, quàm furiosâ, & ita crudeli, vt ei parem nusquam sit reperire? circumdatum vermibus & putrefactione? sine domo, sine tecto? nudum omni humano solatio? calumnijs tam ab amicis, quàm ab inimicis affectum? reputatum impium & singularem hypocritam? calamitas ista denotat impetum, qui non nisi à patientia Iob potest sustineri, & patientiâ tali, quæ non nisi ab humilitate Iob potest prouenire. Proinde bene dixit Sanctus

Lib. 3. moral. c. 18. Gregorius: *Iob sedens in sterquilinio vera forma est humilitatis, & vt quidam Sanctus dixit Beato Bernardo, in aliqua afflictione*

In vita S. Bern. pag. 2. *posito: Iob gloriosior in sterquilinio, circumdatus vermibus, quàm in solio, in exercitûs sui medio, custoditus à suis militibus & nobilibus.* Idem Sanctus Gregorius allegoricè loquens de hac figura; *ille inquit*

Lib. 3. c. 18. *sedet in sterquilinio, qui infirmitatem suam solicitus respicit, & sese de bonis, quæ per gratiam perceperit, non extollit.* Et paulò post: *quia igitur electus quisq; in infirmitatis suæ consideratione se comprimit, dicatur rectè, quòd vir sanctus in sterquilinio dolens sedet. Qui enim verè se humiliat, continua considerationis oculo, quibus circumseptus sit deli-*

ctorum

Etorum sordibus, proficiens pensat. Iob igitur est speculum patientiæ & humilitatis sedens in sterquilinio.

Quatuor primi humilitatis gradus notati in Beato Iob. Et eius exaltatio post humiliationem.

SECTIO XIV.

INtuitu huius speculi facile notari possunt quatuor primi humilitatis gradus, hic præclarè extructi, siue eorum materia, siue forma consideretur. Primò in eo speculo apparet Iob humiliatus, amissis omnibus bonis, quæ ab homine mortali possideri possunt: quod efficit obiectum & actum primi humilitatis gradus; Secundò deiectus infra omnes homines: quod efficit secundum; Tertiò cõspicitur constanti & patienti animo omnia ferens aduersa: ex quo exsurgit tertius; Quartò effectu ipso ac opere patientiam ostendit: quod profitetur quartus. His quatuor gradibus conscensis, audet Iob fortis bellator, profunda sua humilitate armatus inuadere liuidam Diaboli

Diaboli superbiam, qui nihil non mouerat, vt ex dictis gradibus eum præcipitem daret; sed contra euenit: nam videns se non solùm victum, & omnes suas machinationes in ventum abijsse, sed etiam velut Goliat & gigantem potenter armatum ab vno paruo Dauide in funda & baculo victum, confusione plenus & quasi œstro percitus, insanire cœpit: & eò magis, quòd à nuda infirmitate, & omni miseriarum aggerie cooperta se victum animaduerteret, victum inquam ab aduersario generoso quidem re ipsâ, sed illius, id est Diaboli opinione admodum debili & leuibus armis instructo: quippe qui solius humilitatis & patientiæ armis erat munitus. quantò putas tempore huius cõfusionis memoria rodet superbi Diaboli præcordia? æterno. En Iob non solùm victor in sterquilinio, sed etiam potentior & illustrior, quàm antè: Deus enim etiam in hac vita eius humilitatem & constantiam remunerauit, duplicando ei in omnibus bonis & honoribus suam benedictionem: pro se-
Iob 42. 12. ptem millibus ouium, dedit ei quatuordecim; pro tribus millibus camelo-

rum,

rum; sex millia; pro quingentis paribus boum, mille; & pro quingentis asinis, mille; pro septem filijs & tribus filiabus è vita hac sublatis, septem alios filios & totidem filias pulchritudine admirandas. Vnde in æterna beatitudine, vbi reperientur primi viuentes, cum secundis, visurus est Iob benedictionem suæ familiæ duplicatam in cælo in suis liberis, vti & in terris bonis temporalibus; adauctâ autem in cælis æternâ duratione, sanitas etiam fuit illi in duplo adaucta, & in hac vita duplicata. post has siquidem flagellationes vixit centum quadraginta annis, *& vidit filios suos & filios filiorum suorum vsque ad quartam generationem*. Ibid. v. 15. coniunctio amicorum & familiarium; veneratio clientum & subditorum; honor & nominis celebritas etiam fuit duplicata, additis omnibus virtutibus & gratijs spiritualibus, quas Deus absque dubio multiplicauit in tantum, vel etiam magis, quàm bona terrena: dum est humilior, patientior quàm ante fuerat, & ita de alijs animæ bonis. Eius fama tali cum auctuario ei est restituta, vt in beatorum domicilio semper sit re-

cemi

centi cum memoria duratura; in Ecclesia autem Dei militante & triumphante nunquam sit obliteranda. At Diabolus vulnus & cordolium confusionis suæ in omnes æternitates geret. Et ita Deus, qui ad tempus ei laxauit habenas in Beatum Iob, in fine sine fine supplicijs punit eius superbiam, coronat verò humilitatem suorum seruorum, postquam eos probauit *in fornace humiliationis*. O quanta erit gloria Beati Iob in die æternitatis, quandoquidem tanta fuit in hac vita, quæ temporis admodum breuibus terminis continetur.

De patientia in humiliatione infirmitatum spiritualium in nobis, & in aliis habenda.

SECTIO XV.

PAtientia in humiliatione rerum, quæ animum spectant, quàm laudabilis est, tam est & difficilis: eò quod vulnera animæ inflicta sint grauiora, quia pars est nobilior & sensibilior, quàm sit corpus. Quare is, qui

ea

ea fert constanter & fortiter verè humilis dici potest, & est: exempli causa: re ipsa est humilis, qui patienter animi penuriam, seu, vt vulgò dicitur, defectus sustinet, quos Deus aut immisit aut euenire permisit; vt esset verbi gratia, exiguam habere capacitatem ad res magnas gerendas, exiguum ingenium aut debilem memoriam; parum aptitudinis aut iudicij ad dicendum, aut faciendum aliquid; sufferre magno animo has & his similes suas infirmitates, & contentum viuere suâ sorte, quam ei elargitus est Deus, & vt decet bonum & industrium Christianum, talentis à Deo datis, quamuis exiguis, vti ad vitam æternam consequendam. Hoc est esse paruum in oculis suis & corde humilem. humilis etiam est sapientia, quæ comprimis decet hominem Christianum, credere melius esse humiliari in hac abiectione, quàm habere dona subtilia, verbi gratia bonum iudicium, scientiam & alia Dei dona, quæ fortassis iamdudum eum superbire fecissent, vel etiam omnino perdidissent: vt experientia in quàm plurimis mortalibus docuit. atqui

qui vtinam etiam nunc non doceret! Talis erat sanctus ille, qui Deo gratias agebat, quod sibi multa gratiæ dona ad parendum cum applausu in publico elargitus non fuisset. erat actio gratiarum hominis non solùm humilis, sed Christianè sapientis. Hoc facto enim ostendebat se pluris facere virtutem interiorem, quàm magnas dotes, quæ cum applausu & splendore foris sese ostentant; recognoscebat etiam simul diuinæ prouidentiæ fauorem; à qua per humilitatem & obscuritatem sui statûs & conditionis in securitate conseruabatur. sub cuius vmbra, tâquam sub tegmine & tuguriolo quodam, tutus & liber à ventis, ac mundi vanitatibus latitaret: Ille etiam conscendit hunc humilitatis gradum, qui neque inuidet scientiam, neq; eloquentiam, neque memoriam, neque ad alia quæcunque facienda capacitatem; neque denique vlla bona spiritualia vlli hominum, sed cum humilitate grates reddit Deo, quòd sibi ea non dederit, proindeque á periculo ijs abutendi liberârit: honorat tamen & veneratur ea dona in alijs, viuens interim contentus

sua

sua paupertate. si nequit in gazophilacium templi iniicere daleros & ducatos, cum paupere vidua Euangelica immittit duo minuta ex paupertate sua deprompta, & bonâ cum intentione oblata, sperans fore vt Deus magnam ac promptam suam voluntatem sub parua acceptet eleemosyna. His & similibus oblatis, vel etiam quæsitis, occasionibus exercetur humilitas huius gradûs, sicut etiam in tolerandis certis quibusdam spiritualibus infirmitatibus proprijs, absque murmuratione, vt sunt animaduertere se inhabilem ad gubernandum & præcipiendum in Republica, in militia &c. Quin etiam patienter ferre, quòd nulla vel exigua capacitate sit præditus ad tractandum cum deuotione res pias & sanctas. nam etsi quiuis desiderare debeat, vt in vita Christiana sit inter optimos & sanctissimos pijssimosque, qui in Ecclesia Dei reperiuntur, nihilominus postquam fecit, quod in se est, acquiescere debet bonis sibi à Deo datis, aut subtractis, cauens diligenter ne inuideat ei, (qui maiores se progressus fecit in perfectione) néue tristetur, inque mentem

Luc. 21. 2.

admittat, ideo se à Deo derelictum; Verùm existimare, debet, quòd Deus sibi in hoc magnum præstet beneficium, suppeditando occasiones & argumenta (consideratâ suorum talentorum exiguitate) se humiliandi, factâ comparatione eorum, qui illo sunt meliores. Perpendat etiam quòd quemadmodum creator iuxta suum beneplacitum, lumen, pulchritudinem, ac magnitudinem corporibus cælestibus distribuit, nec non terrestribus diuersa elargitus est membra, & sensus: vt caput, brachia, crura, oculos, aures &c. ita etiam corpori mystico suæ Ecclesiæ. Et vt non potest luna queri, quòd splendore & magnitudine à sole excedatur; neque Regulus quòd corpore & volatu impar sit Aquilæ; neque crus quod non sit manus, neque auris, neque oculus, neque aliud membrum lamentari, aut queri potest, quasi non sit de corpore, quia non sit aut manus, aut os, aut auditus, aut visus, vt sapi-
1. Corint. 12. 15. enter discurrit Sanctus Paulus; neque vlla alia creatura, si eo careat, quod aliæ habent: sic neque quisquam mortalium se affligere debet, aut inutiles

&

& noxios formare discursus, si non habeat, quòd alij nonnulli hominum habent, sed Deo gratias agere debet de eo, quod de eius thesauris super creaturas purè corporales, & multos etiam homines recepit: quin & fideliter expendere sua talenta; esto vel vnum tantum receperit; securus interim de vita Matth. 25. 15. æterna, bono vel illius vnici vsu acquirendâ: non secus ac ille, qui quinque à Domino accepit. Eadem etiam apparet humilitas si simili vtaris patientiâ aduersus proximos in eorum aduersitatibus & imperfectionibus ferendis, & in praxim & vsum deducendo id, quod dicit Sanctus Paulus: *alter alterius* Galat. 6. 2. *onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.*

De patientia habenda in humiliatione nonnullarum aliarum infirmitatum, aut tentationum, quæ concernunt animum aut corpus.

SECTIO XVI.

Idem illi effectus & signa humilitatis inueniuntur in patientia, quam nos

in nobis; aut in proximo habemus, in certis quibusdam defectibus naturalibus aut casualibus animæ, vel corporis, quos Deus permittit euenire homini ad eum in humilitate retinendum, & à superbia retrahendum. vnde istiusmodi defectus ei fere sunt, si sit virtutis studiosus, quod funiculus falconario ad retinendum in officio falconem. Nam non rarò homines celebres & in magna apud cæteros mortales existimatione nonnullis miserijs subiecti deprehenduntur V. G. choleræ, qui quoties in ea limites rationis excedunt toties pugno tundunt pectus, & occasiones accipiunt se humiliandi, & cognoscendi suum Nihil. Alij timidiuni-mis & pusillanimes, verentur comparere aut loqui in publico: sunt & alij qui turpibus & obscœnis torquentur cogitationibus carnis, esto animam habeant castissimam, vti dictum est supra. In his & similibus infirmitatibus omne adhibendum est studium, vt corrigantur, orandusque interim Deus omni cum humilitate, vt ab omnibus nos liberet, vel ad minus præseruet, ne eousque progrediamur, vt peccato ali-

Grad. 3. sect. 38.

quo

quo animi impetu commisso, aut omissione noxiâ, ex animi pusillanimitate eum offendamus. si exaudiamur hoc secundo modo, satis est, esto iuxta primum (quod quidem desiderandum est) non prorsus liberemur. Quo dato, homo verâ præditus humilitate, recurrit ad patientiam, & sperat fore vt Deus ex hac infirmitate profectum aliquem spiritualem sibi conferat, si ab ea omnino non liberet. Secundò modo exaudiuit Sanctum Paulum, primo non, quando ter iteratâ oratione (vt supra dictum est) humiliter Deum rogauit, vt se à stimulo carnis liberaret, quo magna sua molestiâ & verecundiâ afficiebatur. hoc autem fecit Deus, vt conferentem excellentes reuelationes cum graui sua infirmitate humiliaret in illa, præseruando à superbia, quam incurrere poterat considerando scientiam, quam raptus ad tertium cælum hauserat secretorum diuinorum. magis enim voluit Deus in eo pati infirmitatem aliquam corporis, quàm animam exponere periculo incurrendi superbiam; quam supra omnia vitia alia abominatur. Eâdem constantiâ & animi

2. Cor. 12.
Grad. 3. sect. 38.
Grad. 5. sect. 26. 27.
Grad. 6. sect. 5.

In molestiis cogi.

tationibus adhibenda patientia & humilitas.

mi submissione hominem inducit humilitas, vt sufferat molestas piæ animæ tentationes: vt sunt verbi gratia cogitationes contra fidem, contra Sanctos, contra virtutes, & aliæ huiusmodi illusiones per satanam procuratæ. cui consuetum est similia zizania in agro fidelis animæ seminare. Sed & talia eueni-re permittuntur à diuina prouidentia, simili fine & intentione, quo Sancto Apostolo Paulo stimulus carnis permissus est. etsi enim propter reuelationes & scientiam diuinorum mysteriorum, quas non habemus, vti habuit Sanctus Paulus, periculo superbiæ expositi non simus, exponi tamen possumus alijs vijs & modis: ideoque par est nos proficere ex immissis vel permissis nobis miserijs, accipiendo inde occasionem mala nostra ferendi cum patientia, & crescendi in humilitate. Et quemadmodum cupimus nos miserias & errata nostra, ab alijs patienter tolerari, ita conuenit nos compati proximo nostro, & eius infirmitates sustinere. Hac eâdem doctrinâ discimus humiliter & patienter nos habere debere, quando contingit nos in aliquas imperfectiones & peccata

cata labi. neque enim ob ea despondendum est animo, aut desperandum de gratia Dei recuperanda: qui non raro permittit nos impingere & cadere, vt cautiores facti, tanto alacrius resurgamus, tantoque nostrum nihilum melius cognoscamus, quanto maiore & sensibiliore experientiâ periculum & damnum animaduertimus. Et si diuina prouidentia sinat nos, instante iam morte, nouâ aliquâ tentatione & afflictione pulsari, id facit, vt ex hoc mundo humiles abeamus, & per portam humilitatis cælum intremus, subuecti & subleuati ad illud tenuissimo filo, vti fructus maturi in arboribus tenuissimis pediculis sustentantur.

Deus liberalis in omnes, & de patientia in defectibus, infirmitatibus & afflictionibus corporis habenda.

SECTIO XVII.

VT suprema sapientia diuinitus lusit in suis operibus, ita & in distributione & negatione suorum

donorum. Vidimus id nunc in donis animæ, idem videndum est in corporis, quæ ille dat & abnegat, quando & quibus vult, *semper tamen liberalis in omnes*: vni multa confert corporis bona, alijs nulla, aut perpauca, magnum corpus tribuerat Saulo, siquidem
1. Reg. 9. 2. *ab humero sursum eminebat super omnem populum*; Dauidi autem exiguum, dici-
1. Reg. 16. 11. tur enim paruulus; pulchrum Absolo-
13. 42. ni, robustum Sampsoni; pusillum Zachæo; dicitur enim *præ turba non potuisse*
Lucæ 19. 13. *IESVM videre, quia statura pusillus erat*:
2. Reg. 14. 25. Præbet occasionem sibi vt gratiæ agantur in bonorum abundantia, & in eo-
Iudic. 14. rundem penuria, deprimens animam
6. c. 15. eorum, qui ijs affluunt, vt eam exaltet
v. 15. item c. 16. v. 9. per humilitatem & merita patientiæ. quod longè maioris est valoris, quàm quæuis corporis dona. Ita Dauid in sua paruitate humiliatus, solus dignus & idoneus inuentus est ad pugnandum contra, & vincendum magnum illum
2. Corin. 10. 10. Gigantem Goliath. S. Paulus etiam in præsentia sui corporis fuit humiliatus, vnde ipse de se ait: *Epistola quidem, inquiunt, graues sunt & fortes, præsentia autem corporis infirma, & sermo contemptibilis.* poterat

terat Deus eum efficere eloquentissimum, sed iudicauit magis ei expedire per istam infirmitatem ei dare occasionem humilitatis, & patientiæ exercendæ. Quod donum æquè magnum est, & minus periculosum, quàm fuisset præsentia (quæ præ se tulisset magnam auctoritatem) & eloquentia copiosa. Atque ita Deus est semper liberalis, siue det, siue neget sua dona. Idem apparet in alijs infirmitatibus corporis, quæ sunt defectus aliquorum sensuum, vel infirmitates totius corporis, quas Deus vel immittit, vel permittit pro sua gloria, & bono suæ creaturæ. Ita plures cæci, tempore, quo saluator inter mortales versabatur, ex sua cæcitate hoc bonum consecuti sunt, vt potenti eius manu sanarentur, simul corporis & animæ oculos adipiscentes. Plures claudi, aridi, paralytici, & leprosi sanati sunt in corpore, qui postea ad fidei lumen venerunt. ad quod fortassis nunquum peruenissent, si firmâ fuissent valetudine, neque etiam eam habuissent gratiam, vt eorum nomina in libros diuinos referrentur, & celebrarentur tam latè, quàm patet Euan-

Cur Deus immittat infirmitates.

gelium per mundum vniuersum. Ex quibus etiam videre est Deum semper esse liberalem, semper benignum, etiam dum immittit defectus & infirmitates cum vsura plurium gratiarum, quæ longè plus valent, quàm corporis integritas & sanitas: quia causæ sunt (si recto animo suscipiantur & tolerentur) quòd anima vigeat in infirmo & debili corpore sana. Quod considerantes plures sanctorum generosè & fortiter tulerunt suas infirmitates, non vno anno aut duobus, sed totius vitæ tempore, sepositâ omni curâ, vt ab ijs liberarentur. Talis fuit Sanctus Timotheus, qui cùm esset socius peregrinationis Sancti Pauli, qui plerosque omnes sanabat, nunquam tamen petiuit ab
1. Timot. 5. 23. eo sanari; & ipse Sanctus Paulus (digna res admiratione) transiens per Maltham Insulam, quotquot inueniebat, sanabat, vnico charo excepto suo discipulo Timotheo, stomachi debilitate laborante. Fecit hoc, volente Timotheo, vt continuam ei relinqueret occasionem humilitatis & patientiæ
Grad. 1. sect. 63. exercendæ. Sanctus Gregorius quamdiu vixit simili debilitate, & infirmi-
tate

tate stomachi vexatus est. Sancta Liduina omne morbi genus in capite, in corde, in lateribus, verbo in omnibus corporis partibus quamdiu vixit, passa est. Alij fuêre sancti, qui non tantum immissas infirmitates forti animo tulerunt, sed etiam eas à Deo petierunt. Qualis fuit religiosa Aldegunda Franciæ filia, quæ precibus à Deo grauem petijt morbum, vt sub finem vitæ suæ notabilem aliquem dolorem persentisceret. Item Sanctus Ægidius petijt ne sanaretur vulnere sibi sagittâ inflicto. Qui ambo exauditi fuerunt, & liberaliter eorum patientia & humilitas fuit remunerata. Veteres Philosophi multa dixerunt & fecerunt, quæ aliquo modo respiciebant patientiam, licet ignorârint eam fundatam esse in humilitate, & quod absque ea in numerum virtutum venire non posset. Vnus dicebat *magnum esse malum, non posse ferre malum*; alius: *marcêre sine aduersario virtutem, & eius valorem ostendi per patientiam.* Item, *quod ex ijs, quæ terribilia videntur, nihil esse inuictum.* Mutius superauit flammas, Regulus patibulum, Socrates venenum, Rutilius exilium, & Cato mortem.

Surius.

Circa Annum Domini 640 v. annotat. Baron. die 30. Ianuarij Mart. Rom.

Baron. in Mart. Rom. die 1. Sept.

Bion. Laert. lib. 4. c. 7.

Senec. lib. de prouid. diuina.

Senec. Epist. 98. v. 5. 6. serm. de patientia.

Lycosthen. tit. de patientia & conuitijs. mortem. Hi similesque discursus erant sententiæ & facta patientiæ humanæ, digna quidem apud homines laude; sed apud Deum nullius meriti: quia non prodibant ex radice humilitatis, sed maiori ex parte ex pura puta vanitate.

Admirabilis Martyrum patientia, innixa pari Humilitate.

SECTIO XVIII.

ISthæc est & dici debet Christianorum patientia, quæ corporis infirmitates & afflictiones fortiter suffert, digna admiratione & gloria: quia super diuinum amorem, & super virtutem humilitatis fundata est; nec non præsidio omnium pulcherrimarum virtutum munita; superans multis modis omnem omnium gentilium, etiam ita celebrem, vt ob eam in Catalogum excellentium patientiâ hominum relati sint.

Liuius l. 2. decade 1. Referebam paulò antè Mutium Scæuolam celebrari, quòd constanter tulerit combustionem propriæ manûs ad

ad lentum ignem, sed quid est ista patientia comparatione patientiæ Sancti Laurentij, qui dum supra craticulam assaretur, & tardam crudelem ac vniuersalem mortem sustineret, non in vna manu, vt ille, sed in omnibus simul corporis membris, suppliciorum violentiam & tyrannorum furorem ac crudelitatem irridebat? Quid referam de patientia Sancti Macedonij & eius sociorum? de Sancti Eleuterij, Sancti Duli, Sanctæ Dorotheæ, & aliorum Sanctorum, qui vti Sanctus Laurentius tormenta pertulerunt, combusti sunt, & vti ille, diuino igne intus accensi, victores euaserunt? Regulus equidem patienter excepit restem; Socrates toxicum, Rutilius exilium, & Cato mortem, sed quot milliones Christianorum, imò & eorum quilibet solus, pertulerunt omnia ista simul mala. quin millies maiora, idque cum palma in manu, & laurea in capite? quæ lingua enunciare poterit? quæ manus calamo exprimere carceres, torturas, ignes, eculeos, patibula, lebetes, ahena, sartagines, theatra, irrisiones, ignominias, lacerationes, puncturas, & prope

Baron. in Mart. Rom. 10. Augusti.

Mart. Rom. 7. Aprilis Surius Baron.

prope infinita alia tormenta, quæ sancti Martyres, victores vtriusque sexûs homines, omnis ætatis, senes, iuuenes, vsque ad teneras virgunculas sustinuerunt? quo non animo & constantiâ humilitas Sancti Petri, in extrema senectute constituti, crucis tulit supplicium? quo non & Sancti Andreæ fratris eius, nonaginta vel plures annos nati, qui in cruce duorum dierum spacio vixit? quo non & aliorum propè innumerabilium Christianorum humilitas, acerbitatem suppliciorum pertulit, superauit, triumphauit? quæ eloquentia satis laudare poterit patientiam & humilitatem admirandi bellatoris S. Clementis Episcopi Anchyretani? qui circumductus per diuersas mundi partes, diuersis temporibus, diuersis comprehensionibus, spacio viginti octo annorum, persecutiones & furorem trium barbarorum Imperatorum sustinuit, nimirum Diocletiani, Maximiniani, & Maximini, & octo crudelissimorum Præsidum, à dictis Imperatoribus constitutorum, qui vt in officio Præsidis sibi succedebant, ita & in crudelitate in eundem sanctum sæuiente?

Baron. in Mart. Rom. 29. Iunij.

Baron. in Mart. Rom. 30. Nouembr.

Baron. annot. in Mart. Rom. 23. Ianuarij.

ente? qui tamen omnes carceres, rotas, forcipes, calcem viuam, lapidationes, pectines, & scorpiones ferreos superauit, dum ei à diuina prouidentia corpus semper restauraretur, & renouaretur ad sustinenda noua tormenta, & referendas nouas Martyrij coronas, qui, vt ait Nicephorus, à mundi creatione parem non habuit in sufferendis corporis afflictionibus. Quis dignè valeat referre excedentem omnem admirationem Sanctæ Eulaliæ Virginis Hispanæ fortitudinem? quæ ætatis suæ anno decimo tertio in tenellulo corpusculo vicit flagellationes, scuticas, fustes, bullientium oleorum infusiones. demersiones in viua calce, plumbum liquatum, adustiones fornacium ardentium, crudeles eculeos, faces accensas, pectines, dilacerationes carnis, & omnia tormenta quæ furor Diaboli, tyranni omnium tyrannorum valuit suggerere crudelitati Imperatorum, & tyrannorum gentilium? & quis edissere poterit inuictam strenuitatem & fortitudinem Virginis Martinæ Romanæ, ætate Sanctam Eulaliam non multùm excedentis, quæ plurium dierum spatio

Nicephorus lib. 7. c. 14.

Beda & alij ad Rom. Mart. 11. Decembr.

V. Mart. Rom. 1. Ianuar.

ſpatio eâdem conſtantiâ horribiles pœnas ſuſtinuit, ac primo quidem aſſultu plurium carnificum colaphis fuit percuſſa, ſuſpenſa in aëre, & dilacerata vncis & pectinibus ferreis? pòſt, eius vulnera circumraſa acutis & pungentibus lapidibus, viciſſim ſecundò die ligata ad quatuor palos eſt cæſa virgis à ſeptem carnificibus, qui dum ſuâ in Virginem crudelitate fatigarentur, ſibi inuicem ſuccedebant ad immane ſupplicium continuandum abſque vlla interiecta quietis mora? tertio recluſa fuit in carcere horribili, & illic eius corpus vulneratum & dilaceratum, lotum oleo bullienti, & pòſt (cùm deſperaret Imperator, & eius furor, vltrà quod ageret neſciret) tradita eſt in manus Iuſtini præſidis. qui tertio die renouauit facta acutis pectinibus vulnera, & totum corpus denuo dilacerari iuſſit, & in ſpecie, mammis ſeu vberibus curauit infligi centum & octodecim vulnera: quæ viuens ſemper obtinet victoriam inter tot, ac tam acerbas mortes; tyrannus autem pene moriens furore, quòd eam cerneret ſemper plenam patientiâ, plenam alacritate, &

redeuntem

redeuntem etiam nunc ad carcerem pedibus, exponi eam iubet Leonibus mandato Imperatoris, qui volebat finem videre leonibus ipse crudelior. Hi siquidem eam halitu suo afflantes, positâ feritate, eius vulnera reseruata pro vltimo assultu humilitatis & patientiæ huius generosæ Amazonis lambebant. sola ossa, tota carne dilaceratâ, ei restabant, ea è vestigio ei confracta sunt, & corpus taliter contritum positum fuit supra rogum, comburendum dubio procul, nisi ignis repente, diuinitus adueniente pluuiâ, fuisset extinctus. sed nec hic quidem finis fuit crudelitatis, Diabolus enim adinuenit modum, etiam in fama eam lædendi: persuasit siquidem Imperatori hæc omnia vi carminum quorundam & incantationum crinibus Sanctæ Martinæ inuolutorum euenire. Vnde eum summa ignominia tonsa est, & spoliata ornamento sui capitis: deinde inclusa in templo Dianæ, ibique tribus diebus relicta absque vllo alimento: pugnauit cum fame eâ fortitudine, quâ cum omnibus alijs tormentis antea pugnauerat. Tandem capite plexa victis, ho-

minibus, bestijs, elementis, tyrannis, & infernis, ad cælum contendit, ibi præliorum suorum gloriosa coronas receptura. Et quis dignè poterit dicere, imò satis admirari patientiam & humilitatem huius Virginis, & mille aliarum in suis virtutibus perillustrium? Exempli causa, Sanctæ Teclæ, Sanctæ Barbaræ, Sanctæ Catharinæ, Sanctæ Anastasiæ, Sanctæ Agathæ, Sanctæ Agnetis, Sanctæ Luciæ, Sanctæ Blandinæ, & propè infinitarum aliarum nobilissimarum Virginum, Viduarum, & etiam Maritarum; quæ pugnantes in curriculo martyrij, munitæ omnibus virtutibus, fide, spe, charitate, magnanimitate, alijsque armis Christiano homine dignis, innixæ & reclinatæ supra vnam admirabilem humilitatis virtutem, diuinas retulerunt victorias cum stupore tum tyrannorum, tum infernorum: quin & totius naturæ, earum generositate & fortitudine superatæ?

Eusebius lib. 5. hist. Eccles. c. 1. 2. Vide not. Baron. in Mart. Rom. 2. Iunij.

Superbia Diaboli, & tyrannorum, causa eorum crudelitatis contra martyres; martyrum autem humilitas fundamentum

damentum eorundem patientiæ & fortitudinis.

SECTIO XIX.

NOtemus hic in fauorem virtutis, quam docemus, & in detestationem vitij ei contrarij: quòd Diabolus crudelem in modum intentus sit perniciei Christianorum, nominatim autem martyrum. nec id solùm propter commune odium, quo vniuersum genus humanum prosequitur (præcipuè autem homines virtutum studiosos) sed in specie ob superbiæ suæ immensitatem. quæ singulari martyrum humilitate prouocata [velut aspectu alicuius astri obnoxij] crepat præ iracundia, insanit, crescit magis & magis, irritata tantò vehementius, quantò homines simpliciores, viliores, & contemptibiliores, illius opinione, machinationibus eius & conatibus resistunt. insanit inquam, adinstar illius Gigantis Goliath, qui vrebatur iracundiâ, *& paruulo Dauidi maledicebat*, videns eum contra se venire *cum baculo & funda*, & non munitum armis bellatori- 1. Reg. 17.

minibus, bestijs, elementis, tyrannis, & infernis, ad cælum contendit, ibi præliorum suorum gloriosa coronas receptura. Et quis dignè poterit dicere, imò satis admirari patientiam & humilitatem huius Virginis, & mille aliarum in suis virtutibus perillustrium? Exempli causa, Sanctæ Teclæ, Sanctæ Barbaræ, Sanctæ Catharinæ, Sanctæ Anastasiæ, Sanctæ Agathæ, Sanctæ Agnetis, Sanctæ Luciæ, Sanctæ Blandinæ, & propè infinitarum aliarum nobilissimarum Virginum, Viduarum, & etiam Maritarum; quæ pugnantes in curriculo martyrij, munitæ omnibus virtutibus, fide, spe, charitate, magnanimitate, alijsque armis Christiano homine dignis, innixæ & reclinatæ supra vnam admirabilem humilitatis virtutem, diuinas retulerunt victorias cum stupore tum tyrannorum, tum infernorum: quin & totius naturæ, earum generositate & fortitudine superatæ?

Eusebius lib. 5. hist. Eccles. c. 1. 2. Vide not. Baron. in Mart. Rom. 2. Iunij.

Superbia Diaboli, & tyrannorum, causa eorum crudelitatis contra martyres; martyrum autem humilitas fundamentum

damentum eorundem patientiæ & fortitudinis.

SECTIO XIX.

NOtemus hic in fauorem virtutis, quam docemus, & in detestationem vitij ei contrarij: quòd Diabolus crudelem in modum intentus sit perniciei Christianorum, nominatim autem martyrum. nec id solùm propter commune odium, quo vniuersum genus humanum prosequitur (præcipuè autem homines virtutum studiosos) sed in specie ob superbiæ suæ immensitatem. quæ singulari martyrum humilitate prouocata [velut aspectu alicuius astri obnoxij] crepat præ iracundia, insanit, crescit magis & magis, irritata tantò vehementius, quantò homines simpliciores, viliores, & contemptibiliores, illius opinione, machinationibus eius & conatibus resistunt. insanit inquam, adinstar illius Gigantis Goliath, qui vrebatur iracundiâ, *& paruulo Dauidi maledicebat*, videns eum contra se venire *cum baculo & funda*, & non munitum armis bellatori- 1. Reg. 17.

 bus

bus consuetis. Et isthæc est malignitas & iracundia, quæ semper ducatum præbuit crudelitati huius inimici, & tyrannorum accendit & excitauit iracundiæ flammam aduersus martyres, non tantùm quia vincebantur, sed maximè quia vincebantur & contemnebantur ab ijs, quos ipsi contemptui & irrisioni habebant. Et quemadmodum stomachusiores fiebant Martyrum victorijs, ita etiam augescebat aduersus Martyres eorundem atrocitas & sæuitia: quam Diabolus, eorum Magister & superbiæ princeps, suggerebat, ad excogitanda noua & noua tormenta; & è cordibus eorum omnem humanitatem euellendam; eos reddendo magis feroces magisque furiosos quibusuis bestijs, quouis etiam maximo incitatis furore. Ex altera parte Deus, qui *superbis resistit, & humilibus dat gratiam,* eamque tantò ampliorem, quantò magis eos affligi & humiliari conspicit persecutione iniustâ: dat inquam, & suppeditat suis martyribus animum, fortitudinem, & arma ad omnes inimicorum assultus repellendos: humiliat insuper potentiam superborum infirmitate

Iacobi 4. 6. 1. Petri 5. 5.

tate paruulorum: vt humiliauit olim incircumcisum gigantem per fidelem & corpore exiguum Dauidem. vt & Pharaonem, eum impugnans non armis hominum, vel fortitudine & ferocitate Leonum, Elephantum, aut aliarum nobilium corporeque robustarum bestiarum; sed per muscas, ranas, & his similes contemptibiles bestias. Et hoc est, quod summè dolet Diabolo, & omnibus qui superbiæ veneno infecti sunt: dolent enim magis ob debilitatem & conditionem eorum, à quibus vincuntur, quàm quòd, vertente se fortunâ, vincantur. Ita olim Rex Sichem Abimelèch, oppugnans turrim Sichimorum, impulsus pessimo hoc superbiæ spiritu, sentiens fragmento molæ iacto desuper ab vna muliere confractum sibi cerebrum, *Vocauit armigerum suum, & ait ad eum: euagina gladium tuum, & percute me: ne forte dicatur, quòd à fœmina interfectus sim.* Non angustiabatur, quòd lethaliter esset læsus, sed quòd læsus ab vna fœmina. Ita etiam Assyrij, qui cinctâ obsidione Bethuliâ, duce & Principe exercitûs Holoferne, Hebræos per contemptum vocabant mu-

1. Reg. 17. 50.
Exod. 8. 21. 17.
Iudic. 9. 5.
2. Reg. 11. 21.

res, at quundo aduerterunt recisum à ceruicibus sui Imperatoris caput ab vna Iudith fœmina, exclamarunt: *Vna mulier Hebræa fecit confusionem in domo Regis Nabuchodonosor*: dolebant equidem suam ruinam & infortunium, sed longè magis eos premebat extrema confusio, quòd non à militibus, quos paulò antè mures vocitârant, victi essent, sed quòd ab vna sola fœmina Hebræa, longè inferioris ordinis viro Hebræo. Hoc hoc summum ijs afferebat dolorem & mœrorem. Insignem recepit Diabolus plagam, videns patientiam & humilitatem Beati Iob, sedentis, & spiritu simul lætantis in sterquilinio: tetigerat equidem Beatum Iob, sed non tulit id gratis hostis: *ne credamus, inquit Beatus Gregorius, Iob ita recepisse vulnera, vt ipse alia non inflixerit aduersario. suâ humilitate percussit Diaboli superbiam, & suâ tolerantiâ prostrauit eius sæuitiam: & quot voces patientiæ extulit, tot sagittas in eius pectore inflixit, eumq; magis ad viuum tetigit, quàm ab eo tactus fuerat.* In his equidem humiliatus fuit superbissimus Satan, & eius omnes asseclæ; sed maximè omnium confusus fuit in Passione & cruce Saluatoris,

Iudith. 14. v. 12. 16.

Lib. 1. moral. c. 12.

uatoris, humillimi & mansuetissimi agni: tunc ille Rex superborum recepit vulnus, quòd ei rodet cor, & fodicabit in perpetuas æternitates ingenti cum dolore & confusione; vulnus, inquam, quod millies ab eo tempore renouatum est, & in illo renouatur in dies per nouas victorias, tot & tantorum martyrum, & aliorum etiam non martyrum, sed vitam Christianis dignam agentium. Quibus non cessat etiam nunc procurare mortem, & persecutiones, nec cessaturus est vsque ad finem mundi. Quicunque igitur in suis tribulationibus vult sibi assistentem & auxiliantem Deum habere, & non timere molitiones, neque hominum, neque dæmonum aduersum se motas & excitatas, sit humilis. Aliæ virtutes petunt hunc Gigantem Diabolum ex lateribus, humilitas autem à fronte, facitque terram mordere, vti fecit Dauid Goliath. Homo qui in anima sua se infirmum animaduerterit, meminerit sæpe Deum esse omnipotentem, & quantò suis diffidit viribus, tantò magis fidere debere potentiæ sui protectoris, cui summè placet pugna & victoria

1. Reg. 17. 50.

de inimici sui superbiâ, per suorum seruorum infirmitatem obtentâ, & per infirma mundi confundere fortia. Hoc enim victoriæ genus aptissimum est ad gloriam eius potentiæ, magnitudinis & maiestatis manifestandam.
1. Corint. 1. 17.

Patientia in humiliatione priuationis aut indigentiæ bonorum temporalium.

SECTIO XX.

QVemadmodum in nonnullis exemplis sanctorum humilitatem in tolerantiâ & patientiâ malorum animæ, & corporis conspeximus; ita ea conspicienda est in malis fortunæ, quæ proportione contrariâ respondent bonis eiusdem fortunæ. Hæc mala iuxta hominum opinionem & sensum sunt defectus & indigentia bonorum temporalium: exempli caussa, nullis celebrem esse natalibus, incognitum & obscurum viuere inter mortales, & alia huiusmodi extrinsecus aduenientia, quæ fortunam vilem & abiectam reddunt. Egestatem & penu-

riam bonorum voco hic non amissionem diuitiarum, quibus quis aliquando abundârit, vti euenit Beato Iob; sed statum & conditionem, in qua nullas vnquam quis, vel perexiguas, quod propriè vocatur paupertas, possederit. conditionem hanc humiles filij Dei semper cum patientia tulerunt. Tobias in lege Mosaica in hac patientia fuit insignis, quia & in humilitate præclarus: vnde dicebat filio suo: *noli timere fili mi: pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum.* Tob. 4. 23. solabatur suam paupertatem spe futurorum bonorum, & inducebat filium suum ad tolerandam patienter fortunam captiuitatis, & exiguam substantiam bonorum temporalium. Saluator in Euangelio laudat viduam pauperem, quæ cùm duo tantùm haberet minuta, illa ipsa obtulit Deo, inijciens ea in gazophilacium pauperum in Ecclesia. vnde meruit liberalitatis nomen à Domino, præ omnibus diuitibus, qui magna obtulerant. quia exiguam eius oblationem commendabat humilitas, & singularis paupertas; aliorum autem dona propter abundãtiam Luc. 21. 3.

superbarum diuitiarum minus commendata sunt. Bonus LAZARVS non
Luc. 16. 20. 21. 22. solùm pauper, sed etiam mendicus, morbisque varijs afflictus, nec potens obtinere micam panis ante portam diuitis Epulonis, patiens fuit vsque ad mortem: quâ obitâ, ab Angelis deportatus est in sinum Abrahæ, quia humilis fuerat; DIVES autem, quia superbus & in delicijs iuxta libitum corpus suum enutrierat, sepultus est in inferno.

Notandum verò, patientiam tolerandi egestatem, nunquam tantâ admiratione dignam occurrisse, atque post Christi in cælum ascensionem. qui singularis huius virtutis, sicut & aliarum Doctor fuit & regula. Nam vt taceamus multorum millium exempla, (qui ob eius amorem sua pauperibus distribuerunt, & voluntariè strictam admodum paupertatem amplexi sunt) res erat celeberrima videre per totum mundum triumphantem Christianorum alacritatem cum pari lætitia ferentium indigentiam bonorum temporalium; quin & gehennas, aliaque martyrum tormenta in proprijs corpori-
Hebr. 10. 34. bus. Ac in primis in Palæstina; deinde in

in alijs mundi partibus, ad quas nomen Saluatoris, eiusque gratiæ lumen primos suos radios iecerat. fundamentum huius patientiæ Christianæ erat humilitas, quæ ad oculum diuitiarum vanitatem, & pericula eas possidendi, ostendebat, simul & bona, quæ Deus ijs præstabat, in statu paupertatis eos relinquendo, & auferendo per huiusmodi paupertatem, mille occasiones eum offendendi. Insuper docendo internè pretium eorum patientiæ præponderare auro totius mundi. Item diuitias esse dona, non solùm suâ naturâ periculis subiecta, verùm etiam in ipsa earum possessione periculosa, ne eos perdant, vti infinitos propè alios re ipsâ perdiderunt. Loco paupertatis patienter toleratæ in hac vita eos deducebat ad thesauros in cælo inueniendos, & cum requie sempiterna possidendas. Hæc omnia documenta beneficio & possessione humilitatis ijs suggerebantur, quibus discebant fortiter excipere obuios fortunæ casus. Qui igitur humilitate est præditus, nullo modo timere debet paupertatem, sed eam fortiter ferre, & instar dilectæ

Patientia in paupertate plus valet quam diuitiæ.

matris

matris adamare. Neque enim is pauper esse potest, qui in animo suo habet thesauros huius tam feracis, & in omni bonorum genere abundantis virtutis. Post paupertatem, homines mundani magnum malum, obscuro in loco natum esse (quod talis fere semper conflictetur cum continua paupertate) arbitrantur.

Patientia in obscuris natalibus.

SECTIO XXI.

PAuperes superbi meditatione suæ nobilitatis se consolantur, & cogitationibus se oblectant, omniq; oblatâ occasione se iactitant, vt fumosis & vanis suorum maiorum imaginibus diuites appareant: sed illi, qui diuites sunt in humilitate, esto obscuris nati sint natalibus, & pauperem ducant vitam, æquè patienter ferunt pauperibus se progenitos parentibus, nullaque mundana claris nobilitate, atq; carere magnis opibus. Benedictus Papa, hoc nomine vndecimus, istiusmodi erat: cùm enim infimæ sortis parentibus

Hiero. Plat. lib. 2. de bono statu Religiosi c. 28.

Humilitas Benedicti Vndecimi.

tibus prodijsset, & deinde ad summum inter mortales dignitatis ecclesiasticæ fastigium euectus esset, videns quodam die matrem suam ad se adduci veste splendidâ & sumptuosâ indutam, negauit ille suam esse matrem. Vnde necesse fuit, vt, qui eam adduxerant, tantisper ab eius conspectu abducerent, donec veste conueniente, constante nimirum materiâ & formâ plebeiâ eam amicirent. Quo in habitu vt matrem eam excepit & honorauit. In quo ostendit Sanctus Pastor, & sapientiam & generositatem suam, quâ & summam & infimam fortunæ sortem æquali animo ferre sciret; simulque dedit documenta ijs, qui ex infimo gradu ad honores sunt euecti, frequenter reminiscendi conditionem infimi sui statûs, in quo aliquando fuêre. Insuper recognoscendi cum humilitate suam originem; docuit quoque veram nobilitatem, vti & diuitias non nisi in virtute posse consistere, per quam plebeij fiunt nobiles, & sine quâ, vice versâ, nobiles fiunt plebeij; Quin etiam insinuauit maximos titulos hominum in honoribus constitutorum esse egregia eorum facta

Idem Plat. lib. 2. c. 1.

&

& actiones, FIDEI verbi gratiâ, SPEI, CHARITATIS, PRVDENTIÆ; aliósque huiusmodi fructus ex similibus arboribus decerptos. Maximi Heroes & heroinæ Domûs Dei olim non alias notas nobilitatis sibi assumebant, quàm nomen Christianorum, quòd tamen & perquam contemptibile, & crimini obnoxium erat inter superbos idololatras. Vnde quando interrogabantur, cuius patriæ, ex qua familia, tribus his verbis respondebant. NOS SVMVS CHRISTIANI: omittentes omnes sanguinis & nobilitatis, si quos habebant titulos. Et hoc solo nomine gloriabantur, idemque omnibus alijs etiam Regio præferebant. Ita gloriosa Virgo Agatha tyranno, Siciliæ prætori, his verbis obijcienti vilem Christianorum conditionem, & seruitutem: *nonnè te pudet nobili genere natam, humilem & seruilem Christianorum vitam agere?* respondit: *multò præstantior est Christiana humilitas & seruitus regum opibus ac superbiâ.*

Idem Plat. lib. cit.

Idem de D. Blandina Martyre. Eusebius lib. 5. hist. Eccles. c. 1. & 2.

Virtus solum vitium vnicum suum hostem, & non res humiles & viles (quas illa nobilitat, & naturæ suæ splendore illustrat) erubescit. stabulum

ilum Bethlehemiticum humili Christi Natiuitate nobilius euasit omnibus palatijs Orientis; mons Caluariæ, locus alioquin ignominiosus, ignominiosâ eiusdem Christi cruce & morte honorabilior effectus est monte Tabor. Plures familiæ infimæ aliàs conditionis, sanctitate eorum, qui ex illis prodierunt illustratæ & nobilitatæ sunt. Ecquis hodie recordaretur parentum Sancti Antonij, Sancti Hilarionis, Sancti Francisci, nisi illi ipsi sancti suam prosapiam fulgore suæ sanctitatis illustrassent? sed nonnè & nobilitas familiæ Sancti Thomæ, Sancti Bernardi, Sancti Dominici, & plurium aliarum magnarum familiarum, perpetuâ obliuione sepulta iaceret, nisi lumen pietatis & scientiæ dictorum sanctorum, eas illustrasset, & de sæculo in sæculum quasi per manus vitam & famam protulisset, ac vsque nunc continuasset? Homo igitur Christianus & generosus habet quo se consoletur, si diuinæ prouidentiæ dispositione, vilis & infimæ conditionis parentibus est oriundus; hoc ipso enim ei abstulit occasionem vanè gloriãdi, ob magnificos maiorum suorum

Consolatio pro ijs qui humili loco sunt natu.

suorum titulos; dedit autem ei modum & ansam (dum modo velit) omnem suam parentelam virtute suâ nobilitandi, & facem eidem illustrandæ præferendi: quod longè honorabilius & optabilius est, quàm mutuato ab altero lumine illustrari.

Desumpta nonnulla exempla à gentilibus, quæ præ se ferunt imaginem supradictæ humilitatis.

SECTIO XXII.

QVamuis inter gentiles nulla reperiretur solida humilitas, quia neque fundamentum, neque fidem veræ religionis habebant, nonnulla nihilominus eius lineamenta in suis factis & dictis, quæ ex naturali bonitate prouenie bant, exhibuerunt: quæ stimulo nobis esse possunt, vt animo æquo & lubenti feramus humiliationem, quam infima nostrorum progenitorum fortuna secum adfert. Agatocles filius vnius figuli, factus post multa egregia facinora rex Siciliæ, vt infimæ suæ originis recordaretur, & in summo fortunæ

Plut. de dicto Reg.

fortunæ gradu ac fastigio constitutus; exorbitantes animi motus & affectus sub freno contineret, iubebat ad suam mensam inferri cibos in vasculis fictilibus cum argenteis, dicens, illa esse Agathoclis; hæc autem Regis Siciliæ. Reges Mogor vt excludant superbiam à suis subditis, & in humilitate eos contineant, simili vtuntur artificio: quos enim ex infimo statu ad aliquas magni nominis dignitates extulerunt, iubent conficere sua insignia ex instrumentis suæ artis: imposito in ijs, verbi gratia ligone, si fuerunt agricolæ, dolabrâ asciâ, si fuerunt fabri lignarij, palo vineæ, si vinitores, & ita de reliquis, vt recentem memoriam primi sui nihili conseruent, & in secunda ac summa constituti fortuna intra humilitatis & modestiæ limites sese contineant. Solebat Marcus Antonius obijcere Cæsari Augusto, quòd in Pago, patre aurifabro natus esset: Imperator Augustus ex eo nullum commoti animi signum edebat, neque generis sui nobilitatem altiùs, quàm erat, vnquam extollebat. Titus Vespasianus insignis Imperator, non tantùm non occultabat

conditionis suorum maiorum medio-critatem, sed passim & liberè eam profitebatur, ludibrio habens illos, qui contextis falsis quibusdam genealogijs ortum eius deducere volebant ex summis ducibus, Herculis quondam commilitonibus. Quod si hi & plures alij viri illustres & Imperatores, qui summum inter mortales Maiestatis gradum conscenderant, & veram humilitatem nesciebant, non æstimarunt imminui dignitatis suæ reputationem vilitate & obscuritate originis, neque eam palàm profiteri erubuerunt; quid faciendum erit Christianis, membris humillimi capitis, & doctoris humilitatis? & quâ animi submissione, moderatione, ac patientiâ mediocris, vel etiam infimus, natalium ortus erit ferendus?

Et genus & proauos, & quæ non fecimus ipsi, vix ea nostra puto dicebat Aiax Ouid. 13. metam.

De humilitate, quæ consistit in hoc, vt ab inferioribus addiscamus.

SECTIO XXIII.

HVmilitas huius quarti gradus etiam resplendet in submissione & patientia plurium aliorum, quæ accidunt

accidunt & eueniunt, vt videtur, contra reputationem, & nominis existimationem. inter quæ vnum illud est, vt libenter ab ijs, qui sunt, aut videntur inferiores, simpliciores, & longè minores nobis in scientia, quam illi nos docent, addiscamus: vt esset verbi gratia, si Magister disceret à discipulo, Dux à milite gregario. superbus enim credit suæ existimationi detrahi, si addiscat ab inferiori, qui hoc vnum intendit, vt credatur vel saltem ad apparentiam viros nominatos Magistros habuisse, exempli causa in Philosophia Platones, Pythagoras, in militia Cæsares, Pompeios, aut his similes; non vt maiorem faciat profectum, sed vt magis sese iactitet, & maiorem vanitatem ex alterius fama consequatur. Contrà, qui spiritu humilitatis & sapientiæ agitur, addiscit libenter ab omnibus, qui docent veritatem, sicut & modum bene intelligendi & benefaciendi: imò etiam libentius ab infimis, si ita res ferat, quàm à maximis instrui exoptat. Pacomius doctrinâ, sanctitate, ac ætate venerabilis discebat inter religiosos, ab vno iuuene nouitio

Vide sect. 28. huius gradus.

S. Bonauentura in eius vita

apud Surium 4. Octobris.

artem conficiendi corbes. Atque ita in re minima maximam exercebat virtutem, & bono exemplo alijs præibat. Alter quidam sanctus, integris septuaginta septimanis austerum admodum seruârat ieiunium, semel tantùm in septimana sumens refectionem, vt loci cuiusdam scripturæ intelligentiam à Deo consequeretur, sed cùm voti compos non fieret, statuit ad fratrum quendam suorum se iuniorem conferre, cumque itineri se dedisset, vidit Angelum missum à Deo, qui, quod scire desiderabat, eum edocuit: simul addens humilitate, quâ decreuerat fratrem illum conuenire, & non longâ inediâ & abstinentiâ rem intentam obtinuisse. Et iste est spiritus, quem Deus, in genere quidem suæ indidit Ecclesiæ; in specie autem eius membris: dum ei pro primis doctoribus præfecit duodecim piscatores, homines simplices & idiotas: vt sapientes & potentes mundi humiliaret, eosque doceret per angustam & humilem portam ad regnum Ecclesiæ suæ, ac deinde ad cælorum ingressum sibi parare. Ita in specie voluit S. Paulum gentium Doctorem destinatum,

Infirma elegit Deus vt confundat fortia. 1. Corinth. 1. v. 28.

Intrate per angustam portam.

natum, ab Anania addiscere rudimenta fidei. esto ei aperuerit tertium cælum, quo alta diuinitatis secreta cognosceret. Sed & in natura apparet diuinam prouidentiam quendam instinctum, & quasi regulam ei indidisse, ad mortalium superbiam deprimendam, & ad inijciendam eorum collo veluti collariam humilitatis, in ventoso scientiarum commercio (in quo maximè superbia laborat, vt sua vela impleat vento vanitatis) quando ordinauit vt homines non tantùm ab hominibus artes & virtutes addiscerent, sed etiam à bestijs: artem verbi gratia exstruendi muros, ab hirundinibus, clementiam à rege apum; diligentiam à formicis; medicinam à mustellis, modum aperiendi venam ab hypopotamo, militiam à canibus, lupis, apris, & alijs bestijs, quæ & offensiuè & defensiuè pugnant. Sed & hæc submissio accipiendi instructionem à bestijs, sicut & ab hominibus simplicibus, & infimæ conditionis cum fructu humilitatis, parit etiam homini laudem prudentiæ, & sapientiæ. est enim hominis tum humilis, tum etiam bonis moribus instructi, non contemnere

Matth. 7. 13. 14. Luc. 13. 24. Act. 9. 7. Surge & ingredere ciuitatem.

Prou. 6. 6. Plin. lib. 18. c. 30. V. hic sect. 18.

mnere res vtiles, & à Deo ordinatas, per quemcunq; placuerit diuinæ sapientiæ illas addiscendas ei offerre. Talis fuit primorum Christianorum humilitas, qui ab Apostolis, hominibus secundum mundum contemptibilibus, fidei capita didicerunt; talis etiam pene innumerabilium aliorum postea hominum, qui lumen fidei ab hominibus longè se inferioris conditionis receperunt; senes à iuuenibus, imò & tenellis virginibus. Qua de re illustre, inter alia, Ecclesia habet exemplum, de quinquaginta Philosophis, qui neque infantiam, neq; sexum Sanctæ Catharinæ contempserunt, sed eius perceptis documentis supercilium Philosophiæ humanæ, quam edocti erant, humiliter demiserunt, & oculos fulgori doctrinæ Christi crucifixi, per os huius iuuenculæ Virginis reuelatæ aperuerunt: & ita discipuli humilitatis, & æternæ beatitudinis filij facti sunt. Quod si ad aliquid addiscendum quilibet se debet humiliare coram quolibet, & in addiscendo obedire, quantò magis coram superioribus & gubernatoribus à Deo datis, esto subinde inferioris nobis conditionis

Philosophi conuersi per S. Catharinam. V. not. Baron. in mart. Rom. 25. Nouemb.

conditionis sint, scientiâ verbi gratia, nobilitate & similibus titulis, quæ à mundo magni fieri solent.

De Humiliatione, qua patienter ferimus nos contemni, vel iniurijs verborum, aut factorum appeti.

SECTIO XXIV.

AD hunc etiam humilitatis gradum spectat, vt patienter feramus nos contemni vel iniurijs affici: cuius rei insignia plurium hominum suppetunt exempla, ac inter alia Constantij Mansionarij, laudati à S. Gregorio: is humile & exiguum ad apparentiam humanam in Ecclesia Sancti Stephani Anconæ exercebat munus concinnandi lampades: erat ille præclarum omnis virtutis lumen, sed præcipuè humilitatis, quod signanter quodam die monstrauit, dum quidam rusticus tractus cupiditate (vt plures alij) eum videndi, propter auditam famam eius sanctitatis: huic rustico ingresso Ecclesiam, & querenti de sancto, S. Gregor. lib. I. Dial. c. 5.

quem videre desiderabat, dictum est ei illum esse, qui stans super gradus lampades emungebat: quem oculis cernens rusticus, corpore admodum exiguo & vultu contemptibili, more rurali metiens spiritum corpore: quomodo, inquit, illéne est magnus ille vir, de quo inaudiui? cumque plures asserent illum esse: contrà ille, eum irridendo, ac cum indignatione despiciendo dixit, non credo: putabam, inquit, magnum aliquem virum esse, sed in hoc nihil virile deprehendo: ad hæc verba, quæ probè perceperat Constantius, relictis quæ præ manibus habebat, eum amplexatum & magno cum affectu ei gratias actum iuit, dicens, illum solum oculos habere apertos, quibus eius paupertatem & nihilum conspexisset. Vnde D. Gregorius præclarè dixit de illo: *pensandum est, cuius apud se humilitatis fuerit, qui despicientem se rusticum amplius amauit.* Sacra scriptura plura nobis huiusmodi subministrat exempla de sanctis: ac inprimis de Dauide. qui cùm à proprijs fratribus reprehensus, & contemptus fuisset, & tunc maximè, quando innotescere in aula Sauli, & singulare

Ibidem.

singulare certamen inire cum Gigante Goliath, & per victoriam, de eo (diuinâ manu cum illo pugnante) reportatam gloriosum se reddere statuerat, patienter verba fratris sui primogeniti Eliab, plena indignationis & iracundiæ pertulit. Ea autem sic se habent: *quare venisti, & quare dereliquisti paucular oues illas in deserto? ego noui superbiam tuam, & nequitiam cordis tui, quia vt videres prælium, descendisti.* 1. Reg. 17. 28. Dauid declinans paululùm irati fratris vultum, aliud non respondit, quàm hoc: QVID FECI? Certum est Dauidem neq; malitiâ, neque curiositate tractum, sed inspiratione diuinâ venisse, vt ad congrediendum & vincendum infensissimum hostem populi Dei, qui omnes & singulos ex fideli Hebræorum exercitu ad singulare certamen superbissimè prouocabat, adhiberetur, & præclaro ac insperato artis militaris edito facinore celeberrimus omnium, qui exercitui Hebræorum intererant; imò & generosissimorum Ducum totius vniuersi redderetur: ideoque voluit Deus, vt prius fratris sui verbis humiliaretur, &, præmiâ humilitatis virtute, postea glorio-

mittebat lapides aduersus eum, & eius comitatum, gradiens sat longo spatio per iugum montis ex eius latere. Hanc iniuriam optimus princeps magnâ humilitate & patientiâ excepit, certissimo sibi persuadens persecutionem hanc de manu Dei, qui eam permittebat, prouenire: proinde Abisai volentem se ad Semei conferre, & ei caput amputare, efficacibus verbis cohibuit. Hæc humilitas longè gratior fuit Deo, & ipsi Dauidi magis fructuosa, quàm fuisset vindicta, esto iustissimè sumi potuerit à legitimo Principe de reo læsæ Maiestatis. Præclarum & notabile hoc est patientiæ & humilitatis exemplum, in persona regiâ dignitate fulgente; & eò notabilius, quò occasione hominis maligníoris & regis subiecti proueniebat. Hoc exemplo discant magni & potentes mundi in patientia sese continere, & non continuò choleræ suæ laxare frena, quando forte fortuna à quopiam iniuriâ afficiuntur. nec tantùm magni hoc exemplo prouocati, conseruandæ studeant patientiæ, sed omnes, quotquot quouis modo humiliari contigerit: siue id fiat eos contemnendo,

1. Reg. 16. 9.

monendo, siue eorum scientiam, siue consilium, aut quamcunque aliam industriam, eos irridendo, aut auersando & indignando. Sciunt humiles & sapientes, veluti periti nauarchi, vti hoc contrario vento ad impellendas suas naues, & pergendum viâ virtutis & meritorum, humillimè gratias Deo referentes; quòd mediante diuinâ eius prouidentiâ ansam habeant se humiliandi & benefaciendi: sperantes interim adfuturum in sui humiliatione diuinum succursum, & in afflictionibus patientiæ præmium, nec non post nubila Phœbum, & post turbatum mare tranquillitatem.

Post tenebras lux. Iob 17. 12. Prou. 89. chil. 1. cent. 4. sequitur ver hyemem.

Adumbratio aliqualis huius virtutis humilitatis inter modestiores Ethnicos.

SECTIO XXV.

FVêre interPaganos bonitate naturæ instructos aliquæ huius virtutis vmbræ, quæ Christianis documento esse possunt, ad prosequendam veram humilitatem: quin & simulachra quædam

apud Surium 4. Octobris.

artem conficiendi corbes. Atque ita in re minima maximam exercebat virtutem, & bono exemplo alijs præibat. Alter quidam sanctus, integris septuaginta septimanis austerum admodum seruârat ieiunium, semel tantùm in septimana sumens refectionem, vt loci cuiusdam scripturæ intelligentiam à Deo consequeretur, sed cùm voti compos non fieret, statuit ad fratrum quendam suorum se iuniorem conferre, cumque itineri se dedisset, vidit Angelum missum à Deo, qui, quod scire desiderabat, eum edocuit: simul addens humilitate, quâ decreuerat fratrem illum conuenire, & non longâ inediâ & abstinentiâ rem intentam obtinuisse. Et iste est spiritus, quem Deus, in genere quidem suæ indidit Ecclesiæ; in specie autem eius membris: dum ei pro primis doctoribus præfecit duodecim piscatores, homines simplices & idiotas: vt sapientes & potentes mundi humiliaret, eosque doceret per angustam & humilem portam ad regnum Ecclesiæ suæ, ac deinde ad cælorum ingressum sibi parare. Ita in specie voluit S. Paulum gentium Doctorem destinatum,

Infirma elegit Deus vt confundat fortia. 1. Corinth. 1. v. 28.

Intrate per angustam portam.

natum, ab Anania addiſcere rudimenta fidei. eſto ei aperuerit tertium cælum, quo alta diuinitatis ſecreta cognoſceret. Sed & in natura apparet diuinam prouidentiam quendam inſtinctum, & quaſi regulam ei indidiſſe, ad mortalium ſuperbiam deprimendam, & ad inijciendam eorum collo veluti collariam humilitatis, in ventoſo ſcientiarum commercio (in quo maximè ſuperbia laborat, vt ſua vela impleat vento vanitatis) quando ordinauit vt homines non tantùm ab hominibus artes & virtutes addiſcerent, ſed etiam à beſtijs: artem verbi gratia exſtruendi muros, ab hirundinibus, clementiam à rege apum; diligentiam à formicis; medicinam à muſtellis, modum aperiendi venam ab hypopotamo, militiam à canibus, lupis, apris, & alijs beſtijs, quæ & offenſiuè & defenſiuè pugnant. Sed & hæc ſubmiſſio accipiendi inſtructionem à beſtijs, ſicut & ab hominibus ſimplicibus, & infimæ conditionis cum fructu humilitatis, parit etiam homini laudem prudentiæ, & ſapientiæ. eſt enim hominis tum humilis, tum etiam bonis moribus inſtructi, non conte-

Matth. 7. 13. 14. Luc. 13. 24. Act. 9. 7. Surge & ingredere ciuitatem.

Prou. 6. 6. Plin. lib. 18. c. 30. V. hic ſect. 18.

mnere res vtiles, & à Deo ordinatas, per quemcunq; placuerit diuinæ sapientiæ illas addiscendas ei offerre. Talis fuit primorum Christianorum humilitas, qui ab Apostolis, hominibus secundum mundum contemptibilibus, fidei capita didicerunt; talis etiam pene innumerabilium aliorum postea hominum, qui lumen fidei ab hominibus longè se inferioris conditionis receperunt; senes à iuuenibus, imò & tenellis virginibus. Qua de re illustre, inter alia, Ecclesia habet exemplum, de quinquaginta Philosophis, qui neque infantiam, neq; sexum Sanctæ Catharinæ contempserunt, sed eius perceptis documentis supercilium Philosophiæ humanæ, quam edocti erant, humiliter demiserunt, & oculos fulgori doctrinæ Christi crucifixi, per os huius iuuenculæ Virginis reuelatæ aperuerunt:& ita discipuli humilitatis,&æternæ beatitudinis filij facti sunt. Quod si ad aliquid addiscendum quilibet se debet humiliare coram quolibet, & in addiscendo obedire, quantò magis coram superioribus & gubernatoribus à Deo datis, esto subinde inferioris nobis conditionis

Philosophi conuersi per S. Catharinam. V. not. Baron. in mart. Rom. 25. Nouemb.

conditionis sint, scientiâ verbi gratia, nobilitate & similibus titulis, quæ à mundo magni fieri solent.

De Humiliatione, qua patienter ferimus nos contemni, vel iniuriis verborum, aut factorum appeti.

SECTIO XXIV.

AD hunc etiam humilitatis gradum spectat, vt patienter feramus nos contemni vel iniurijs affici: cuius rei insignia plurium hominum suppetunt exempla, ac inter alia Constantij Mansionarij, laudati à S. Gregorio: is humile & exiguum ad apparentiam humanam in Ecclesia Sancti Stephani Anconæ exercebat munus concinnandi lampades: erat ille præclarum omnis virtutis lumen, sed præcipuè humilitatis, quod signanter quodam die monstrauit, dum quidam rusticus tractus cupiditate (vt plures alij) eum videndi, propter auditam famam eius sanctitatis: huic rustico ingresso Ecclesiam, & quærenti de sancto,

S. Gregor. lib. 1. Dial. c. 5.

quem videre desiderabat, dictum est ei illum esse, qui stans super gradus lampades emungebat: quem oculis cernens rusticus, corpore admodum exiguo & vultu contemptibili, more rurali metiens spiritum corpore: quomodo, inquit, illéne est magnus ille vir, de quo inaudiui? cumque plures asserent illum esse: contrà ille, eum irridendo, ac cum indignatione despiciendo dixit, non credo: putabam, inquit, magnum aliquem virum esse. sed in hoc nihil virile deprehendo: ad hæc verba, quæ probè perceperat Constantius, relictis quæ præ manibus habebat, eum amplexatum & magno cum affectu ei gratias actum iuit, dicens, illum solum oculos habere apertos, quibus eius paupertatem & nihilum conspexisset. Vnde D. Gregorius præclarè dixit de illo: *pensandum est, cuius apud se humilitatis fuerit, qui despicientem se rusticum amplius amauit.* Sacra scriptura plura nobis huiusmodi subministrat exempla de sanctis: ac inprimis de Dauide. qui cùm à proprijs fratribus reprehensus, & contemptus fuisset, & tunc maximè, quando innotescere in aula Sauli, & singulare

Ibidem.

singulare certamen inire, cum Gigante Goliath, & per victoriam, de eo (diuinâ manu cum illo pugnante) reportatam gloriosum se reddere statuerat, patienter verba fratris sui primogeniti Eliab, plena indignationis & iracundiæ pertulit. Ea autem sic se habent: *quare venisti, & quare dereliquisti paucul as oues illas in deserto? ego noui superbiam tuam, & nequitiam cordis tui, quia vt videres prælium, descendisti.* 1. Reg. 17. 28. Dauid declinans paululùm irati fratris vultum, aliud non respondit, quàm hoc: QVID FECI? Certum est Dauidem neq; malitiâ, neque curiositate tractum, sed inspiratione diuinâ venisse, vt ad congrediendum & vincendum infensissimum hostem populi Dei, qui omnes & singulos ex fideli Hebræorum exercitu ad singulare certamen superbissimè prouocabat, adhiberetur, & præclaro ac insperato artis militaris edito facinore celeberrimus omnium, qui exercitui Hebræorum intererant; imò & generosissimorum Ducum totius vniuersi redderetur: ideoque voluit Deus, vt prius fratris sui verbis humiliaretur, &, præmiâ humilitatis virtute, postea glorio-

 sus

sus exaltaretur. nam, vt sapienter notauit Sanctus Bernardus: *res magna non obtinentur absq; humilitatis merito. vnde qui exaltandus est, per correctionem humiliatur, vt per humilitatem mereatur. Quare, addit ille, quando te videris abiectum, crede esse signum bonum, & argumentum breui adfuturæ gratia. quia vt ante ruinam spiritus & cor exaltatur, ita ante exaltationem humiliatur.* Deinde diuina prouidentia idem fere egit circa Iosephum Patriarcham, & sanctum Iob: quorum ille in Ægypto, hic in propria patria humiliatus est, & post humiliationem, vt dictum est suprà, glorificatus. Ad hoc accedit sterilis Anna mater Samuelis, quam Deus volens efficere matrem tanti Prophetæ, quantus fuit Samuel, prius eam humiliari voluit: nam cùm amaro esset animo, & oraret ad dominum, flens largiter ob suam sterilitatem, vidit eam Heli summus Pontifex, & credens eius lacrymas & suspiria ex vino, & non ex interna deuotione, prouenire, his verbis sat aculeatis eam reprehendit ac pupugit: *Vsquequo ebria eris, digere paulisper vinum, quo mades.* Hanc reprehensionem

In cant. serm. 34. qui est de patientia & humilitate ante ruinam exaltatur spiritus

Prou. 16. 18. Antequam conteratur exaltatur cor. Prou. 18. 11.

Gen. 39. 20. 41. 40.

Iob c. 1. 27. Item 42. 8. 10. 12.

1. Reg. 1. v. 14.

henſionem bona Anna humiliter excepit, declarans tantummodo ſuam afflictionem & innocentiam, dicens: *nequaquam,* inquit, *Domine mi, nam mulier infelix nimis ego ſum, Vinumq́; & omne quod inebriare poteſt, non bibi, ſed effudi animam meam in conſpectu Domini, ne reputes ancillam tuam quaſi vnam de filiabus Belial, quia ex multitudine doloris & mæroris mei locuta ſum vſq; in præſens.* Hæc animi ſubmiſſio humili reſponſo declarata, meruit vt Pontifex accuſationem & reprehenſionem mutaret in benedictionem, & Deus eam benedictionem, ab homine datam nouâ benedictione adaugeret, & afflictæ matronæ humiles preces exaudiret, dans ei filium. Qui eidem ipſi Pontifici Heli in ſummo ſuccederet ſacerdotio, & duos primos Hebræorum Reges, Saul nimirum, & Dauid inungeret. Hæc equidem humilitas magna fuit, ſed longè maior ſuprà nominati Dauidis, quando declinans perſecutionem filij ſui Abſalonis, atroci iniuriâ ab occurrente in itinere Semei ſubdito ſuo appetitus eſt, his verbis: *egredere egredere vir ſanguinum, & vir Belial: reddidit tibi dominus vniuerſum ſanguinem Domus Saul, quoniam inuaſiſti regnum pro eo. & hæc dicens,*

1. Reg. 1. 1.
1. Reg. 16. 13.
2. Reg. 16. 8.

mittebat

mittebat lapides aduersùs eum, & eius comitatum, gradiens sat longo spatio per iugum montis ex eius latere. Hanc iniuriam optimus princeps magnâ humilitate & patientiâ excepit, certissimo sibi persuadens persecutionem hanc de manu Dei, qui eam permittebat, prouenire: proinde Abisai volentem se ad Semei conferre, & ei caput amputare, efficacibus verbis cohibuit. Hæc humilitas longè gratior fuit Deo, & ipsi Dauidi magis fructuosa, quàm fuisset vindicta, esto iustissimè sumi potuerit à legitimo Principe de reo læsæ Maiestatis. Præclarum & notabile hoc est patientiæ & humilitatis exemplum, in persona regiâ dignitate fulgente; & eò notabilius, quò occasione hominis maligniotis & regis subiecti proueniebat. Hoc exemplo discant magni & potentes mundi in patientia sese continere, & non continuò choleræ suæ laxare frena, quando forte fortuna à quopiam iniuriâ afficiuntur. nec tantùm magni hoc exemplo prouocati, conseruandæ studeant patientiæ, sed omnes, quotquot quouis modo humiliari contigerit: siue id fiat eos contemnendo,

2. Reg. 16. 9.

mnendo, siue eorum scientiam, siue consilium, aut quamcunque aliam industriam, eos irridendo, aut auersando & indignando. Sciunt humiles & sapientes, veluti periti nauarchi, vti hoc contrario vento ad impellendas suas naues, & pergendum viâ virtutis & meritorum, humillimè gratias Deo referentes; quòd mediante diuinâ eius prouidentiâ ansam habeant se humiliandi & benefaciendi: sperantes interim adfuturum in sui humiliatione diuinum succursum, & in afflictionibus patientiæ præmium, nec non post nubila Phœbum, & post turbatum mare tranquillitatem.

Post tenebras lux. Iob 17. 12. Prou. 29. chil. 1. cent. 4. sequitur ver hyemem.

Adumbratio aliqualis huius virtutis humilitatis inter modestiores Ethnicos.

SECTIO XXV.

FVêre inter Paganos bonitate naturæ instructos aliquæ huius virtutis vmbræ, quæ Christianis documento esse possunt, ad prosequendam veram humilitatem: quin & simulachra quædam

quædam virtutum & vitiorum in nonnullis animalibus reperiuntur: quæ homines edocent modum veras virtutes acquirendi, & vitia fugiendi. Missa facio animalia. Certè complures lego Philosophos, & mundi principes ac monarchas, qui patienti animo iniurias & detractiones pertulerunt. In quibus primo loco occurrit diuinus (vt aliqui vocant) Plato, qui ei, à quo iniurijs afficiebatur, dixit: *perge porrò, amice mi, mihi maledicere, fortaßis enim nunquam benedicere didicisti.* Deinde Socrates Platonis Magister, qui verbis iniuriosis oneranti se cuidam iuueni adeo petulanti, & insolenti, vt etiam calce eum peteret (magnâ cum impatientiâ & indignatione eorum, qui id fieri videbant, non solùm aduersus illudentem tam impudenter Socrati, sed etiam aduersus ipsiusmet Philosophi nimiam, eorum iudicio, patientiam) respondit dicens: *quid enim, si me calce asinus petijsset, num illi diem dixissem?* Idem Socrates indignè ludificatus, & ineptis dicterijs punctus in comœdia Poëtæ Aristophanis, dum quidam ex ei assistentibus eum rogaret dicens: nonne ægrè

Plato. Laert. lib. 3. v. apoph. Licost. tit. de patientia. Plut. de educ. pue. Laert. lib. 2. c. 5.

ægrè fers, ita te in publico contemni & irrideri? respondit. *Videor mihi, inquit, in hoc theatro esse, velut in conuiuio, in quo conuiuantibus faciam ludos & præbeam delicias.* Philippus Alexandri Magni Pater sæpe laudatur ob similem patientiam, cùm aliquando eius militum nonnulli, complures iniurias verbis in eum, prope eius augustale, seu papilionem, congererent, foras porrigens caput illis dixit: *commilitones, inquit, ne tam clarà voce, ne vos Philippus audiat.* Videtur hic Princeps per modum habitûs virtutem hanc habuisse, & in eius exercitatione omni tempore sibi complacuisse. Vnde dicere solebat, se pluribus ex primis Atheniensium (alioquin suis inimicis, qui ei maledicebant) multùm obligatum esse. animaduertebat enim id sibi stimulo esse ad benedicendum & benefaciendum, quo aduersarijs materiam & argumentum subtraheret ad iustè de se malè loquendum. quàm quodam die exercuit patientiam, valde deprædicatur: sic se res habet: postquam diutius & nonnihil largius in aliquo bibisset conuiuio, cæpit inter mancipia, quod eius personam videbatur indecentius

Plutarch. apoph. l. 1. cost. tit. de pat.

decentius, ducere choreas; Demades eius domesticus rem ægrè ferens, *quomodo, inquit, Rex, non te pudet agere Thersitem velut alter Agamemnon?* hanc reprehendendi libertatem quamuis perimportunam & audaciorem, regio & patienti excepit animo, & ex ea profectum fecit. Fuêre & alij, qui contemptum & sui neglectum patienter tulêre: inter quos fuit Pedaretus Lacedæmonius, re & opinione optimus, & sapientissimus ciuis, qui cùm in electione trecentorum prudentissimorum & optimorum, qui inueniri poterant, neglectus & posthabitus fuisset, egrediens è concilio hilaris: *dixit ijs, qui eum neglectum obstupescebant, se valde gaudere inueniri Sparta trecentos viros se meliores.* Hæc & similia facta & dicta notæ quædam erant & signa eximiæ naturæ; sed non item fructus veræ humilitatis, quia ex bona & germana radice veræ religionis non proueniebant: nihilominus auxilio & documento esse debent Christianis ad sectandam patientiam, & ad faciendum Dei amore, quæ illi faciebant intuitu gloriæ mundanæ, aut alicuius boni temporalis.

Acceptare cum patientia reprehensionem, & pati accusationem, & infamiam iniustè.

SECTIO XXVI.

ÆQuè, aut etiam magis, difficile est, & signum magnæ humilitatis, præsertim hominibus illustribus, æquo & patienti animo acceptare salutares admonitiones, & reprehensiones per inferiorem factas, ac pati eodem animo calumnias & falsas accusationes, quando non expedit (vel etiam modus deest) eas refutare. Hoc modo fuit humilis Dauid, quando reprehensus per Prophetam Nathan, sese reprehensioni submisit, & peccatum suum humiliter recognouit, Deumque pro eius remissione submissè orauit & exorauit. & postmodum totius vitæ tempore, in varijs humiliationum generibus asperam pœnitentiam egit. Hunc in hac virtute humilitatis imitatus Imperator Theodosius, correctionem Diui Ambrosij Pastoris sui libenter admisit. Is à fidelium communione

Dauid. Peccaui Domino. 2. Reg. 12. 2. 13.

V. Ambr. ep. 28. & Theod. lib. 5. c. 17.

27.& Baron. §. 4. Anno Christi 390, num. 12. 21.
Gal. 2. 11.
Baron. an. Christi 51. tom. 1. num. 34. 37. 38.

propter excessum commissum Thessalonicæ illum excluserat. cui communioni cùm ab eodem esset restitutus, impositam sibi pœnitentiam humillimè peregit. Diuus Petrus Christi in terris Vicarius patienter audiuit Sancti Pauli reprehensionem. quæ fuit vel propter aliquam dissimulationem, aut exiguum aliquem errorem, qui nascentibus tunc Christianis scandalo esse poterat.

Hæc relata sunt equidem latu difficilia, verùm quæ sequuntur longè difficiliora, ideoque longè excellentioris humilitatis sunt argumenta. dum scilicet falsæ perferendæ sunt accusationes, & læsio bonæ famæ. quod fit quando deest modus & via conuenienter eas declinandi. Huius rei experientiam in sua humilitate & patientia celebris illa Susanna exhibuit, quando per iniquos illos iudices adulterij commissi falsè fuit accusata, & atrocissimè ad imminens vsque iam iam lapidationis periculum, & ipsas portas mortis diffamata. Modus & ratio hæc declinandi alius non occurrebat, quàm in cōspectu iusti iudicis Dei se humiliare,

Danielis 13. 22. 35. 42.

&

& cum patientia & animo præparato gradi ad supplicium, implorando diuinum succursum, qui, interueniente iuuene Daniele ad hoc à Deo suscitato concessus fuit. dum pristinus honor ei restitutus, vita in tuto posita, & iniquitas confusa fuit. Calumnia ex composito structa contra Simeonem Monachum fuit quidem minus periculosa, sed vix inferioris patientiæ. Hic vir sanctus accusatus fuit, tanquam puellam quandam violasset ac impregnasset, ad quam accusationem auidus occasionis se humiliandi, ex industria ita respondit, vt crederetur reus impositi criminis. Vnde accusatrici suæ, exinde necessaria ad vitam subministrari curauit. Verùm Deus, qui conseruat suorum sanctorum famam, testimonio ipsiusmet puellæ eum innocentem declarauit. cùm enim illa magno partùs dolore laboraret, nec ab eo liberari posset pariendo, verum facinoris auctorem prodidit.

Euag. lib. 1. cap. vltimo. calumnia contra Simeonem.

Insignis etiam fuit humiliatio Sanctæ Marinæ, quæ cùm longo tempore in habitu virili sub nomine Martini vitam Monasticam laudabiliter duxisset,

Marina. In vitis S. dist. 2. ex xem. 21.

 &

& de eodem, quo Simeon, accusata fuisset crimine, respondit suo superiori, non negans peccatum, sed pœnitentiam humiliter petens: quare cùm turpissimè mandato Abbatis, rem talem indignissimè ferentis, eiecta esset ex monasterio, infantem sibi ab illa meretrice impositum, eleemosynis circa monasterium commorans, pro modulo suo enutriendum suscepit, & tanquam suum magna solicitudine & charitate verè maternâ (fœmina enim erat) & etiam paternâ, quia hominum opinione vir habebatur. Elapsis tribus annis, religiosi & confratres, qui nunquam de hoc religioso quicquam sinistri inaudierant, & tam miserum eius statum, & tanti temporis afflictionem viderant, comiseratione permoti, vnanimi consensu Abbatem adierunt, eumque supplices rogarunt, vt vel saltem intra monasterij septa, si non in communi, posthac illi viuere liceret, quod ille ægrè quidem, sed tamen hac conditione concessit, vt omnes monasterij immunditias expurgaret, & aquam, vbi necessaria esset, deferret. Quam conditionem magno & alacri animo suscepit,

pit, & magna cum patientia, humilitate, & charitate vsq; ad mortem continuauit. eâ autem obitâ, cùm de more illius temporis religiosi eum lauare vellent, eius sexum, innocentiam & humilitatem cognouerunt. Quare pectus suum pugnis tundentes, & præsertim ipse Abbas, quòd tam duriter cum ea processisset, Deum simul rogarunt, vt ignorantiæ suæ peccatum sibi indulgeret. Atque ita detecta fuit calumnia ei falsò imposita, & eius virtus per diuinam prouidentiam in fauorem humilitatis illustrata.

Humilitas & patientia Sancti Paphnutij, cùm falsè accusatus fuisset furti.

SECTIO XXVII.

Paphnutius falsò accusatus. Cassian. coll. 18. c. 15.

PAphnutij humilitas & patientia meretur, vt pro exemplo eorum, qui impigrè student acquirendæ perfectioni humilitatis huius gradûs, & desiderant sustinere patienter calumnias & contemptûs, hoc loco adscribatur. Hunc sanctum virum inuidiâ

ac liuore religiosus quidam eiusdem monasterij ætate quidem maior, sed virtute longè inferior persequebatur. dixi inferior, quia exteriora tantùm, seu quæ de foris parent hominibus, sectabatur, & malebat bonus, & virtutum studiosus apparere hominum oculis, quàm coram Deo, & apud semetipsum in veritate talis esse. sed audiamus eius inuidiæ factum: die quodam è suis libris vnum ad Paphnutij cellam detulit, eumque inter palmas, quas in monasterij vsum Paphnutius elaborabat, abscondit: quo facto è uestigio ad superiorem suum, nomine Isidorum, omnibus fratribus congregatis grauiter questum se contulit, dicens sibi è cellula sua furto sublatum librum (quod in tali congregatione magnum erat delictum) orare se proinde, ne fratres è loco sineret abire, quoadusq; omnium cellæ exactè lustrarentur. Omnes obstupuêre, & indignissimè tulêre audientes rem talem inter religiosos commissam. Tres ex omnibus, viri discreti & fide digni constituti sunt: qui postquam ordine omnes cellas lustrassent, in Paphnutij librum repererunt,

runt, & repertum ad Isidorum, fratribus adhuc omnibus præsentibus, attulerunt, tunc adhuc maior omnes inuasit stupor, propter bonam quam de Paphnutio habebant opinionem. sino nunc te conijcere, quid tunc cogitârit bonus Paphnutius, conscius suæ innocentiæ: sed non minus occasionis se humiliandi auidus, ita respondit, vt facti reus videretur: proinde supplex veniam petijt, & in genua prouolutus ad omnem satisfactionem se humiliter obtulit. postquam omnes ex Ecclesia exiêre, alij quidem murmurâbant contra hoc crimen, alij autem commiseratione moti eius senectuti condolebant, & hoc euenisse intimè sentiebant, postremò ille egreditur humiliatus quidem coram hominibus, sed non coram Deo, in cuius protectione omnem suam ponebat fiduciam.

Pluribus diebus ieiunauit, & pluribus alijs austeritatibus & pœnitentijs se afflixit, & ideo fine, vt pro peccato suo satisfacere videretur. Sed ecce vix duabus elapsis hebdomadis, Deus iustus calumniatorum vltor, & innocentiæ protector, non tulit virum inno-

centem diutius falsâ infamiæ notâ laborare: quandoquidem doli patrator, proprij libri ablator, alteriusque famæ iniquissimus raptor, publicæ auctor calumniæ & criminis, per ipsummet Diabolum, qui ad id facinus patrandum eum incitarat, declaratus fuit. siquidem eius corpus occupans, illius ipsius ore fraudis auctorem propalauit, & cùm longo tempore crudelissimè eum tractasset, & sine fine, frustrà per multos illius CONVENTVS Sanctos Patres; qui aliàs vel solo verbo spiritus immundos eijcere solebant, coniuratus esset, fixus & constans in eo perseuerauit, vsque dum oratione Sancti Paphnutij victus, coactus fuit exire. Voluit enim Deus patientiam & humilitatem serui sui hac victoria honorare. Patientia hæc magnam in animo huius religiosi submissionem latentem indicat; & docet insuper in similibus occasionibus, nos humiliter & patienter habere debere; nec non ad perfectionem per gradûs similium humiliationum omni conatu scandere.

De

De morte Sancti Ludouici Regis Galliæ, quem Deus sub vitæ finem per humilitatem probauit.

SECTIO XXVIII.

OCcasione harum humiliationum nequeo silentio præterire patientiam & humiliationem, quâ placuit Deo, sub vitæ finem exercere gloriosum suum Confessorem Sanctum Ludouicum Regem Galliæ. Quæ cum non fuerit exigua, non exigua etiam subministrauit argumenta redigendi & reducendi in opus regulas humilitatis, præsertim cùm ea humiliatio contra iudicium hominum, Dei iudicio valde contrarium, euenerit. Hic Sanctus postquam bis mare ad expugnandam infidelitatem gentilium, & ex eorum manibus terram sanctam, primum Christianorum patrimonium, eripiendam cum exercitu transmisisset, & vtrâque quidem vice præclara tum belli, tum pacis facinora gessisset, quæ Dei Ecclesiæ essent perutilia, & dignissima rege Christianissimo, primâ vice ca- S. Ludou. 41. Rex Gall. 9. hoc nomine rectè suscepit bellum. Baron. supra mare.

 ptus.

Rom. 25. Augusti. ptus, permulta tulit incommoda; secundâ autem multò plura. in quibus ipse & fere vniuersus eius exercitus dirâ pestilentiâ fuit extinctus. Dubium non est, quin homines prophani aut Deum, aut homines ob tales sinistros euentus accusent; alij enim sic loquuntur. Si Rex bellum istud suscepit pro Dei gloria, aut eius religionis defensione & profectu Ecclesiæ, atque Christianorum incolumitate, Cur Deus, cuius ille gloriam, animo prorsus regio defendendam susceperat, eum deseruit? alij autem contumeliosis verbis hunc principem traducunt, ac reprehendunt, quasi minus sapienti consilio has contra infideles profectiones susceperit. Erat ea, tunc temporis hominum prophanorum, & fors etiam hodie nonnullorum Christianorum peior prophanorum sermocinatio. pro quorum instructione, vel etiam nonnullorum confusione, tria sunt respondenda. PRIMO qnidem bellum istud susceptum esse tam sapienter, quam iustè, & illatum magnanimiter, siue intentionem, siue potentiam, & modos illud ad finem perducendi, spectes. Intentio

V. Ioannem Tilium anno 1226. &

tentio fuit non inuadendi per iniustitiam alienas terras & regiones, vti Alexander Magnus inuadendo Persas, & plures alij prophani reges, qui non rarò modò has, modò illas mundi partes iniustè inuaserunt; neq; vt se per auaritiam ditaret, vt fecit Antiochus & Crassus susque deque vertentes orientem, sed vt patrimonium Ecclesiæ Dei, iniquè per barbaros & infideles occupatum recuperaret; & vt multos Christianorum milliones in captiuitatem abductorum, & sub iugo tyrannico ac barbaro, vti quondam in Ægypto Hebræi, ingemiscentium in libertatem vendicaret. Modi etiam fuêre legitimi: bellum apertè denunciatum, gestum absque fraude, absque iniuria & concussione vllius innocentis, susceptio illius accuratè examinata circa motiua & causas suas, non potuit non vocari & esse sapientissima & iustissima, præsertim cùm esset fundata super exempla plurium principum Christianorum, qui olim relictâ patriâ & domesticis commoditatibus etiam bella similia susceperunt, in quibus suum sanguinem, si res postularet, pro eius gloria funderent,

seq. Genebrard. in Innocentio Quarto ex Platin. Æmilio &c.

funderent, qui pro ipsis suum prius effudit. quos nemo vnquam hominum, nisi nostri temporis Hæretici aut homines sine Deo & sine lege, aut demum penitus ignorantes res in virtute positas, cōdemnauit. En primum responsum seu instructio.

SECVNDVM est, quod Deus singulariter bono huic regi suâ gratiâ astiterit: præterquam enim quòd eo, vt instrumento suo, vsus fuerit ad reducendos infinitos prope homines ad fidem Christianam, & ad liberanda millena & millena è manibus Saracenorum mancipia, iuuit recuperari plures ciuitates & loca à Saracenis occupata, ædificari Ecclesias, & restitui cultum Christianum pluribus in locis, cuius minimum factum iudicio eorum, qui sciunt discernere veritatem à vanitate, & sanè iudicare de solida gloria, splendorem victoriarum omnium Imperatorum longè superauit.

TERTIVM, quod respondendum diximus, est, quod finis huius principis, & totius eius exercitûs, valdè laudabilis coram Deo, & hominibus, qui rectè iudicant, fuerit; quia si ad diui-

num

num honorem spectat, vt quis ob sanctum finem mortem patiatur, potuitné esse honoratior & dignior finis regiâ Maiestate, quàm vitam suam exponere, sanguinem suum fundendo pro defensione Christi Saluatoris nostri, & recuperatione terræ, in qua vitam suam exposuerat & sanguinem pro genere humano fuderat? Imò dico ego illud ipsum, quod primo intuitu mirum & durum admodum videtur, videlicet, quod ex infirmitate potius, quàm in pugna vitam finierit, quodque nec triumphans, nec victor in suum regnum redierit, illud ipsum inquam continere singulare diuini fauoris argumentum. hoc ipso enim ei sustulit magnam occasionem superbiendi, & perdendæ aut ad minus imminuendæ gloriæ immortalis, quam ei Deus in cælo, loco mundanæ laudis, quam à mortalibus habere poterat, præparârat. Egregiæ Alexandri, Cæsaris, Pompei, & aliorum ducum ac Imperatorum gentilium res gestæ alium scopum non habebant, quàm honorum vanitatem, & pomparum mundanarum ventum, illorum bella, pugnæ, prælia, & victoriæ, aliud illustrius

illustrius & sublimius non spectabant, quàm triumphos & vanas ostentationes rerum ab ijs gestarum, ac regionum bello acquisitarum. Hic eorum erat finis & scopus, eorum merces, eorum gloria terminata limitibus terræ admodum exiguis, & decursu temporis finem accepturis. At Deus seruos suos facit maiora spectare, dum cælum pro scopo, & patriam æternam proponit, & ne soliciti sint de hac terra, & eius pronentibus suauiter & fortiter inducit.

In terris, eorum gloria est humiliari, & eorum iter regium ad gloriam immortalem, est humilitas. quæ est via crucis, trita per filium Dei: per quam hic Princeps deductus fuit ad regnum sui Saluatoris, pro quo & mortuus est. Nec per aliam portam intrarunt, quotquot nunc triumphant in cælo ciues & membra eius Ecclesiæ triumphantis: Sed & in terris nomen celebrius, & famam reddidit clariorē, quàm vnquam vllius Imperatoris Ethnici, referens eius nomen cum primis Sanctis in Catalogum Ecclesiæ suæ militantis, & conseruans suauem & iucundam memoriam in animis & cordibus non solum

Gallorum,

Gallorum, sed etiam omnium extera-rum nationum, ad quas pertigit fama eius virtutis; continuans insuper in eius prosapia per successionem nunquam interruptam Gallici sceptri manutentionem. Cessent igitur homines Athei obscurare nomen & gloriám pij & strenui Monarchæ, per suas voces mordaces & blasphemos calamos; & discant melius loqui, & melius scribere de Sanctis, quos aliquando in extremo die iudicij triumphantes videbunt & (ni tamen se emendârint) audient decretum suæ damnationis & confusionis æternæ, pronunciari iustissimo ore eius, qui vindicabit iniurias eorum, qui sibi in hac vita seruierunt.

S. Ludouicus Canonizatus per Bonif. VIII. mortuus 1270.

De impatientia superbiæ, & superborum in genere.

SECTIO XXIX.

VT melius hic quartus gradus aptetur & perpoliatur (qui consistit, vt sæpius diximus, vt patienter tolerentur omnes humiliationes, quas Deus immittit, vel sinit euenire in

illustrius & sublimius non spectabant, quàm triumphos & vanas ostentationes rerum ab ijs gestarum, ac regionum bello acquisitarum. Hic eorum erat finis & scopus, eorum merces, eorum gloria terminata limitibus terræ admodum exiguis, & decursu temporis finem accepturis. At Deus seruos suos facit maiora spectare, dum cælum pro scopo, & patriam æternam proponit, & ne soliciti sint de hac terra, & eius pronentibus suauiter & fortiter inducit.

In terris, eorum gloria est humiliari, & eorum iter regium ad gloriam immortalem, est humilitas. quæ est via crucis, trita per filium Dei: per quam hic Princeps deductus fuit ad regnum sui Saluatoris, pro quo & mortuus est. Nec per aliam portam intrarunt, quotquot nunc triumphant in cælo ciues & membra eius Ecclesiæ triumphantis: Sed & in terris nomen celebrius, & famam reddidit clariorē, quàm vnquam vllius Imperatoris Ethnici, referens eius nomen cum primis Sanctis in Catalogum Ecclesiæ suæ militantis, & conseruans suauem & iucundam memoriam in animis & cordibus non solum

Gallorum.

Gallorum, sed etiam omnium extrarum nationum, ad quas pertigit fama eius virtutis; continuans insuper in eius prosapia per successionem nunquam interruptam Gallici sceptri manutentionem. Cessent igitur homines Athei obscurare nomen & gloriam pij & strenui Monarchæ, per suas voces mordaces & blasphemos calamos; & discant melius loqui, & melius scribere de Sanctis, quos aliquando in extremo die iudicij triumphantes videbunt & (ni tamen se emendârint) audient decretum suæ damnationis & confusionis æternæ, pronunciari iustissimo ore eius, qui vindicabit iniurias eorum, qui sibi in hac vita seruierunt.

S. Ludouicus Canonizatus per Bonif. VIII. mortuus 1270.

De impatientia superbiæ, & superborum in genere.

SECTIO XXIX.

VT melius hic quartus gradus aptetur & perpoliatur (qui consistit, vt sæpius diximus, vt patienter tolerentur omnes humiliationes, quas Deus immittit, vel sinit euenire in

animâ, aut in corpore, aut in bonis fortunæ) describenda est perdita indoles superbiæ, & iuxta methodum, quam hactenus seruauimus, conferenda est cum ingenuitate humilitatis, vt pulchritudo virtutis, opposita deformitati vitij contrarij, perspiciatur, ameturque. Ostendimus verò quod is, qui est humilis, patienter ferat se humiliari quacunq; occurrente occasione, iuxta placitum diuinæ prouidentiæ, quia primo, secundo, & tertio gradu edoctus est, vt se nihili faciat, minorem se alijs credat, & pro tali, qualem se agnoscit, haberi velit; ita è contrario superbus per causas contrarias in omni occurrente occasione, & aduersitate, est impatiens, vbi videt se humiliari & abijci. Et quemadmodum neque se, neque suos defectus & infirmitates valet sufferre, ita impatiens est in sufferendis sui proximi. Vtrumque ideo illi euenit, quia in corde suo aliquid se esse credit, alijs se præfert, & desiderat ijs anteponi, iuxta arrogantes suas cogitationes: Vnde eueniente re aliquâ, contrà quàm in animo suo proposuit, & designauit, altercatur in suo intellectu, in

Qualitates hominis superbi.

in voluntate seipsum irrîtat & inquietat, fit impatiens, irascitur, commouetur contra eos, qui ei resistunt, & si potest, de ijs se vlciscitur: fit inuidiosus, vanè suspiciosus, tristis, pusillanimis, ignauus, insanus, & desperatus; vno verbo, erigit & fouet seminarium omnium vitiorum in sinu superbiæ suæ; & tandem in confusionem & ruinam suam ea in lucem educit, quod iam videndum est, in nonnullis obiectis particularibus.

Superbia causa est impatientiæ, odij, & furoris Diaboli, estq; ipsius infernus; sicut & damnatorum.

SECTIO XXX.

QVemadmodum Filius Dei vindex nostræ salutis, omnium hominum fuit humillimus, & eius patientia humilitati proportionata, constantissima quæ vnquam extitit: ita Lucifer superbissimus, & rex omnium superborum impatientissimus omnium Angelorum sibi adhærentium. Et vt

saluator impertijt suis membris spiritum humilitatis & patientiæ; ita è contra, hic spiritum superbiæ & impatientiæ ijs omnibus, quos catenâ suâ ligatos tenet. Si oculis corporeis cernere liceret habitum & statum huius elati ac rebellis spiritus, simul & eius asseclarum toties, quoties in suis scientijs, in actionibus, molitionibus, erroribus, & lapsibus humiliantur, videremus rabie exagitatos vti furias, longè turpiores & horribiliores in suis gestibus, quàm sint monstrosæ eorum figuræ, per sacram scripturam nobis ob oculos positæ, & expressæ penicillis pictorum
Iob 40. in tabellis passim obuijs. Hic rex filio-
10. 20. rum superbiæ se æstimat scientem [vè-
&c. 41. verè sciens est] & ex hoc inflatur, quia
1. Apoc. 12. eius scientia vana & perniciosa est:
3. cùm aliud non intendat, quàm vnumquemque decipere & seducere: vult omnia scire, & quando eum Deus sua celat secreta, quæ credit se aut desiderat scire, indignatur & furit extremè.

Cum Saluator mundi natus esset, videns eum celebrari & laudari ab Angelis, cantantibus in cælo eius Natiuitatem, & reges venientes ab extremo oriente

oriente in Iudæam, ad eius cunas adorandas, suspicatus est esse Filium Dei; sed ex altera parte cernens tam exiguum tantæ Maiestatis apparatum in terris, imò maximam paupertatem huius infantis, perdidit oculos & radios superbæ suæ scientiæ in profunditate tantæ humilitatis; & cùm penetrare nequiret, quod desiderabat, in maximam incidit rabiem, quam vertit & fouit in sinu Herodis exequutoris eorum, quæ animo ipse moliebatur. Hic Herodes perplexus, vt Diabolus, alio motiuo factus est impatiens, vt ille, dum aduertisset non potuisse se per Magos detexisse id, quòd sua sibi astutia promittebat, *dum per aliam viam reuersos in regionem suam*, se insalutato, animaduertisset. Itaque ad alia se vertit argumenta, crudele & impium excogitans facinus, scilicet cædem quatuordecim millium innocentium infantium, vt ijs permixtum IESVM è medio tolleret, quem solum & vnicum successorem sui regni formidabat: qui tamen solus atroces eius manus euasit. Vnde in omnibus istis factis apparet superbiam fuisse finem & principium suspicionis,

Matth. 2. 16.

hypocrisis, odij, iniquitatis, impietatis, crudelitatis, & omnium vitiorum, quæ in tyrannica illa tragœdia personam aliquam repræsentarunt.

Matth. 4. 1. Marc. 1. 12. Luc. 4. 1. In deserto, quando superbus iste spiritus eundem Saluatorem ausus est aggredi, vt de veteri suo dubio certior fieret, an nempe is esset Filius Dei, fuit etiam humiliatus: dum antiquum vulnus ei renouatum est, non valens cognoscere, quod maximè cupiebat. Matth. 4. 4. imò post tertium cum Christo congressum, magis fuit dubius, quàm antè: in primo enim fere certus erat, quòd esset Filius Dei: vnde ei proposuit experimentum, quod non nisi ab omnipotente & mundi creatore fieri poterat, videlicet vt substantiam vnam in aliam, lapides nimirum in panem transmutaret. Verùm audito humili Saluatoris responso, quo id se facturum negabat, credidit non posse id eum facere, quod recusabat, & magnam illius, quam de eo habebat opinionem, partem deposuit. Matth. 4. 6. quare effectus audacior non dubitauit eius corpus aggredi, & illud deferre ad supremum templi pinnaculum, suadens vt inde (cùm illi id facile

facile esset) pro experimento se mitteret deorsum. Videns, quòd id nollet facere, & credens id ex timiditate prouenire, abiecit omnem fidem & opinionem eius diuinitatis: ac ideo tertio assultu eum tentare aggressus est, vt purum hominem, & puram creaturam per auaritiam nimirum & vanam gloriam: & ita astutia superbi tentatoris ex dubio in tenebras, & ex crepusculo vespertino in obscurissimam intrauit noctem. Verùm, præ omnibus antè dictis, maximè ex passione saluatoris eius scientia fuit profligata, quia cùm tot per eum patrata vidisset miracula, verè sibi persuaserat esse Filium Dei, opinionem iterum contrariam imbibit, aduertens quòd se capi, arctè ligari, trahi ad iudices, & fieri lusum & obiectum Carnificum, absque vlla resistentia, & ostensione vllius potentiæ permisit, ita suam sapientiam, virtutem & bonitatem sub humilitatis pallio abscondens. Vt nequiuerit superbissimus & curiosissimus spiritus penetrare, quod desiderabat, vsque dum gloriosa Redemptoris anima egressa de corpore, ad inferos eum aggressura, victura, & in medio

Matth. 4. 9.

dio regni eius, quod est infernus, spoliatura, descendit. Tunc scientiæ eius fastus, per humilitatem illius, quem ad cædem & mortem per Iudæos inferendam adduxerat, confusa fuit, & tunc singulariter quod comminatus olim fuerat Deus cõpletum est. *perdam sapientiam sapientũm, & reprobabo prudentiam prudentũm.* Vti præsumebat de sua scientia, ita etiam de fortitudine. & ideo per infirmitatem humilium impatientissimè se victum ferebat, sicut & suam scientiam per simplicitatem eorum omni confusione repleri. Et quemadmodum semper suo malo atque damno virtutem iustorum in Ecclesia Dei expertus est, ita continuâ agitatus est furiâ, dum suam non ferret confusionem: furiam hanc & rabiem abundè effudit in eos, qui eo auctore & procuratore omnia persecutionum & crudelitatum genera per tyrannos illata sustinuerunt: & quidem effundere nunquam cessabit, quia in omnem æternitatem superbus permanebit. QVOD VNICVM eius est infernus à tempore rebellionis, & erit etiam post diem iudicij in perpetuas æternitates. Si posset

set esse humilis in pœnis sufferendis, esset patiens: & si patiens fieret, pro illo non esset magis infernus, quàm sit pro animabus, quæ expurgantur in purgatorio. quæ quidem grauibus admodum afficiuntur tormentis, & ex ijs complures grauioribus, quàm multæ aliæ, quæ sunt in inferno; sed quia humiles sunt, ideo etiam patientes; contrà, quæ in inferno superbæ sunt, ideóque earum pœnarum acrimonia & vehementia ex eorum superbia & deprauata voluntate proueniens, semper rodit, sed nunquam consumit ægritudinem animi, cùm cogantur sustinere, quod maximè detestantur. Atque ita dolor & infernus dæmonum, vti & damnatorum consistit potius in malitia superbiæ, quàm in pœnarum acerbitate.

Impatientia in defectibus spiritualibus causa est superbia. Exempla maleficorum.

SECTIO XXXI.

DIxi supra humilitatem suos defectus & indigentias spirituales & pro-

proximi patienter ferre; dico hìc superbiam per operationem contrariam hominem impatientem reddere in seipso, & in tolerandis naturalibus aliorum defectibus animi, & corporis. quod plurium experientiâ discimus, qui miseros se arbitrantur dum vel parum intellectu, vel memoriâ & alijs animi donis valere se deprehendunt: imò omnem abijciunt & perdunt animum, si quinque non habeant talenta, id est plurima & sufficientia dona gratis data præter cæteros, ad splendidè, & cum vanitate agendum, & conuersandum inter homines; ad docendas profundas & sublimes scientias, ad concionandum & exhortandum ex primis cathedris cum applausu; ad exequendas res aliquas singulares: quæ eis splendorem & commendationem pariant in publico. Vnde per iracundiam aut indignationem, aut ignauiam abscondunt talenta, quæ Deus ijs mediocris alicuius scientiæ aut facultatis elargitus est. quibus nihilominus cælum absque periculo vanægloriæ acquirere poterant, ac ita ingrati & perfidi sunt ob suam superbiam, quæ in nonnullis cò

vsque procedit, vt eos impellat ad vias extraordinarias & indecentes inuestigandas, vt per eas, quod diuina prouidentia eis negauit, adipiscantur, æternæ damnationi se mancipando. Tales sunt ij, qui ad Diabolum recurrunt pro auxilio, quo indipiscantur aliquam scientiam, quam exoptant. Horum exempla historiæ prophanæ nobis subministrant: quæ desumuntur ab ijs, qui dæmones consulunt. Vt erant olim Magi, Arioli, & diuinatores Regum Ethnicorum, Nabuchodonosorum, Pharaonum, Regum & Imperatorum Romanorum, & aliarum nationum. qui secretas instructiones ab hoc spiritu versuto & maligno accipiebant, vt prompti ad dicendum & respondendum admirandique hominibus apparerent. quibus nostris temporibus BONZII, sacerdotes Idololatræ IAPONIÆ, CHINARVM, PERV. & aliarum infidelium regionum successerunt. Atque vtinam non reperirentur inter Christianos! Sed ô rem deplorandam, vt olim in Synagoga Iudaica & populo Dei, esto pœna eis esset statuta per diuinas & humanas leges, nonnulli

Dan. 2. 10. & 4. 4. Exod. 7. 22.

De Numa Liuius de Nerone Sueton.

Exod. 22. 18. L. nullus cod. de malecficis.

nulli inueniebantur; ita inter Christianos inueniuntur subditi & mancipia Diaboli, Balaami, homines magi & sortilegi. Vnum illius hominis exemplum inter cætera, qui recens, nimirum anno M.DC.XI. viuus combustus fuit in ciuitate Prouinciæ, dictâ Aquis, decreto Parlamenti dato vltimo aprilis. Hic mente superbus, sed obscurus ingenio ac natalibus, ægrè admodum ferebat, se exiguam & insufficientem habere capacitatem intellectûs ac iudicij, qui parochum ageret (quod summè affectabat) vt confessiones posset excipere, concionari, & alias functiones, quæ curam animarum concomitantur, obire; quibus celebris, iuxta suum votum, fieret. Diabolus, qui semper circumit tanquam Leo quærens prædam, & animas quas deuoret, & qui secreto modo iam cum eo egerat, die quadam ei se stitit, & petita atque audita ex eo, esto id ante sciuerit, causâ eius tristitiæ ei promisit, modò fidem sibi adhiberet, futurum vt modos & rationes ei suppeditet, quibus inter sui temporis homines euadat dexterrimus & nominatissimus. Quid multis?

V. Petrum Gegorium lib. 34. Syntag. c. 14. num. 15. 16. 17.

Dictus is fuit Ludouicus Gaufrid.

V. historiam conscriptam per Patrem Michaelem cuius copia impressa est Parisijs 1613.

1. Petri 5. 8 tanquam Leo rugiens. Iob 1. 2. circuiui terram, & perambulaui.

multis? miserandus homo superbiâ inductus, absque sufficienti discussione acceptationis rei oblatæ, statim ei credidit, seque tradidit: & cùm illâ ipsâ horâ in se sentire cœpisset, nonnullas nouas illustrationes, & illusiones maligni spiritûs; nec non facilitatem linguæ, in tantum sibi nomen & existimationem apud homines peperit, vt & ab ijs amaretur, & vt vir singularis celebraretur. Et quia superbia vitiorum regina nunquam est absque comitatu; ex ea enim est omnis progenies peccatorum. (vt memini me sæpius dixisse) accidit, vt interuenientibus ipsis functionibus, quas obibat, nominatim autem administratione BAPTISMI, EVCHARISTIÆ & POENITENTIÆ fieret detestabilis Veneficus, insignis hypocrita, scortator, incæstuosus, sacrilegus, blasphemus, homicida corporum & animarum: breuiter execrabile instrumentum satanæ, qui tandem monetâ ex suis thesauris deprompta ei persoluit, quâ solet remunerari eos, qui sibi seruiunt. Ille enim ipse eum prodidit, & supplicium ac condemnationem procurauit in oculis eorum, quos deceperat.

Diabolus proditor suorum seruorum.

ceperat. Et hoc quidem parum esset, si eius anima euasisset flammas & confusionem inferni. Hoc exemplum sat ostendit, quòd superbia inueniatur tam in paruis, quam in magnis. Quanquam propriè loquendo non nidificet nisi in animabus humilibus & abiectis, nunquam autem in generosis. ostendit item quòd hoc vitium vbique sit fertilissimum; docet quoque ac tacens suadet, vt homines sectentur humilitatem, si velint euitare æternam damnationem; sint patientes in sua exiguitate & indigentia, & æqui boniquè consulant ea, quæ Deus illis elargitus est, quæ semper sufficiunt, gratiâ Dei adiuuante, ad consequendum cælum & felicitatem æternam. æd quam creati sumus, & pro qua adipiscenda Deus in hunc mundum nos induxit.

Impatientia ob defectus spirituales proximi.

SECTIO XXXII.

ALiud deprehenditur genus superbiæ, quod non valet ferre defectus

ctus proximi; ideoque, minimâ interueniente illius imperfectione, cum ingenti fastu & indignatione in eum exardescit: & hæc superbia contraria est huic humilitatis gradui, qui, vt diximus suprà, suffert æquè patienter proximi infirmitates, ac proprias. Christus sæpe hoc vitium notauit, dum suos discipulos instrueret, vt ab eo cauerent. Vno in loco dixit: *Beati mites*: in alio, *estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est.* Quod intelligendum est, non solùm ad subueniendum proximo eleemosynis & beneficijs alijs, sed etiam ad commiserandum eius infirmitatibus, & noxam condonandam, si quam contra nos commisit. Alio etiam in loco taxat eos, qui nimiùm acutè vident & reprehendunt defectûs aliorum. *Quid vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?* innuit superbos impatientes, qui cum mansuetudine non tolerant paruos proximi defectus, & maxima sua vitia ac peccata non notant. Et hoc ideo, quia superbi sunt, & ijs calîgant oculi, vt neque se, neque alios rectè discernere queant. Alibi etiam scriptum est, quòd *offerebantur ei paruuli.*

Beati mites Matth. 5. 4. Lucæ 6. 36.

Matth. 7. 3.

Matth. 19. 14.

Marci 10. 13. *nuli, quos tangeret*, & cùm discipuli hoc
Luc. 18. 15. viderent, & reprehenderent eos, qui illos offerebant. Forte quia ægrè ferebant, quòd molestarent Christum, vel quòd tales paruuli tali & tanto præsentarentur Magistro, illos ipsos suos discipulos reprehendit Dominus dicens:
Matth. 19. 14. *Sinite paruulos, & nolite eos prohibere ad me venire: talium est enim regnum cælorum, & cùm imposuisset eis manus, abijt inde.*

Superbia hæc inijcit obicem, quò minus quam plurimi sint boni superiores, boni Patresfamilias, boni Senatores, boni iudices, boni duces, boni præceptores: impossibile siquidem est bene administrare hæc & similia munia absque humilitate, & animo deliberato ad patienter ferendos defectûs subditorum, cum eâ, quâ decet, commiseratione. Superbia reddit superiores imperiosos, cholericos, impatientes, capitosos & inexorabiles. Quibus vitijs inferiorum animos à se alienant, & seipsos reddunt contemptibiles, vel omnino intolerabiles: vnde eorum gubernatio est infelix & inutilis. Ad euitandum hoc vitium scribit Sanctus Petrus ad Pastores Ecclesiæ hoc modo:

Pascite

Pascite qui in vobis est gregem Dei, prouidentes non coactè, sed spontaneè secundum Deum: neq; turpis lucri gratiâ, sed voluntariè: neq; vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. 1. Pet. 5. 2. & 3. Elati etiam parentes obliti temporis suæ iuuentutis, in quo sæpe errarunt, & in sua senectute adhuc errant, non rarò nimiâ suâ seueritate & rigiditate suam perdunt prolem, nescientes dissimulare & compati infirmitatibus eorum, quos genuerunt, ac per hoc reddunt eos seruiliter timidos & pusillanimes. *Et vos Patres,* scribebat S. Paulus, *nolite ad iracundiam prouocare filios vestros, sed educate illos in disciplina, & correptione domini* Qui præsunt, siue in bello, siue in pace, nisi sint humiles, & ex cõsequenti patientes, efficiuntur odiosi, & sæpe per nimiam suam choleram, occasionem dant rebellioni: & nolentes sufferre patienter aliquas paruas imperfectiones in fauorem & bonum subditorum, illos inducunt in desperationem, & ordinem suæ gubernationis inuertunt. Comprimis autem superbiam & impatientiam cauere, & euitare debent ij, qui agunt & instruunt iuuentutem: habenda enim est compassio & commiseratio cum tenella hac ætate,

instillando

instillando illi virtutem per doctrinam, & bona exempla, eiusque lapsus suauiter, & sine cholera ac sine verbis exasperantibus corrigendo. nimia Pythagoræ in vnum suorum discipulorum animaduersio, eum ad desperationem & restem adduxit. Magister fuit impatiens in ferendo discipuli lapsu, & discipulus in toleranda Magistri reprehensione. vnde vterque in impatientiæ crimen, defectu humilitatis prolapsus est.

Plut. de discer. amicis.

Impatientia ob incommoda, quæ eueniunt corpori.

SECTIO XXXIII.

TRia petenda à Dijs immortalibus, scilicet sanitatem, pulchritudinem, & diuitias suadebat Pythagoras. dando hoc consilium, dicta bona magni facere se ostendebat. Qui huius Philosophi Ethnici opinioni adhærent, & inde vanè se extollunt ob dona, quæ periculo amittendi in singula momenta exposita sunt, impatientes fiunt toties, quoties aliqua aduersa valetu-

valetudine aut alio aduerso casu (qui eos aliquantulum concutiat & priuet donis, quæ plus æquo amant) afficiuntur. Ex tali impatientia, superbiæ filia, plurima alia nascuntur vitia, vt sunt exempli causa; nimium desiderium sanitatis recuperandæ, importuni & exotici modi eam acquirendi; curiositas in medicinis conquirendis, excessus expensarum in ijs, qui eas facere possunt, inconuenientes modi, & media iniqua; crudelitas & maleficia, ac tandem desperatio. nimius sanitatis amor effecit in ijs, qui eam perdiderant, vt, non contenti medijs ordinarijs (quæ in eorum hortis non magno labore & expensis reperiebantur, vt dicit quidam naturalista) extremas mundi plagas inuestigaturi rebarbarum, & raras ac magni pretij radices adirent; adhiberent insuper serpentes, vnicornes, & alia animalia ex longinquis regionibus petita; item metalla & lapides pretiosos; aurum efficerent potabile, & eousque mutarent naturam, vt perscrutarentur humana corpora in sepulchris Ægypti, vt inde mumiam colligerent, ad conficiendas medicinas

Nimia cura sanitatis.

Naaman Syrus 4. Reg. 5. 6.

Hemorohissa marc. 5. 26.

Plin. 24. natur. historiæ. c. 1.

 dicinas

dicinas ex morte, contra ipsam mortem; nec non verterent omnes creaturas tam viuas, quàm mortuas in potum & bolum. Et hoc ideo tantùm, vt conseruaretur vel restitueretur corpori mortali sanitas. quod tamen lege necessitatis semel debet perdere sanitatem, & redigi in puluerem. Constantinus Magnus consilio suorum medicorum curabat sibi præparari balneum ex vita & sanguine plurium & tenellorum infantium, qui iam iam iugulandi erant ad eius sanandam lepram, nisi diuinitus fuisset monitus & inspiratus, vt meliora remedia inquireret; nimirum vt se sacris baptismi aquis, redditis salutaribus per effusum Christi sanguinem, quæ à lepra tum corporis tum animæ eum sanarent, lustrari curaret. Eadem impatientia non raro inducit, vt ad ipsum dæmonem, auctorem mortis, pro remedio vitæ producendæ impiè recurratur, ita Ochozias filius Achab rex Israël, cùm lethaliter decumberet, misit ad consulendum Beelzebub, vt infirmitatis suæ exitum intelligeret, & remedium apud eum, desperatum apud homines inueniret. Qui desperatus

Gen. 3. 19. Heb. 9. 27. Niceph. lib. 7. c. 33. Baron. annal. tomo 3. anni 124. ex actis Siluestris de quibus Gelasius de libb. authent.

4. Reg. 1. 2.

desperatus ipse mortuus est, & factus victima mortis æternæ, & medici diaboli, quem sui morbi auxiliatorem inuocârat. Quot sunt inter Christianos, qui non acquiescentes communibus medicamentis, quæ apothecæ subministrant, idem per magos faciunt, eligentes & inuocantes Diabolum pro salute corporis: & sic animæ & corporis simul iacturam faciunt? Eadem impatientia multos eò desperationis inducit, vt qui, postquam omnia promiscuè remedia quæsiêrint, adimpleant tandem id, quod summè ab ijs Diabolus desiderat. sibi ipsis nimirum violentas manus impiè inferendo. Ita Adrianus Imperator Romanorum magnos sustinens dolores, impatientiâ percitus mandauit seruo suo, Mastori dicto, vt se perimeret, quo recusante, nouâ impatientiâ & furiâ exagitatus fuit, quòd qui se è medio tolleret, nequiret reperire. Diogenes Sinopensis infirmitatis suæ acerbitatem non ferens ex ponte quodam in Ilissum fluuium, scholæ vicinum, in qua languerat, præcipitauit. Ælius Romanus miles, pressus magnis doloribus, nolens mori

Leuit. 19. 31.

Dio. in Adrian & Spart. ibidem Textor. in officina.

Ælianus lib. 8. c. 14. in variis histor.

infir-

Philipp. in 3. epigram. græc. V. Theatrum vitæ humanæ.

infirmitate, vt solent supremum Numen reuerentes, propriâ manu se occidit. Viden' quantorum peccatorum causa sit superbia? & quantò fructuosior, & honore dignior sit humilitas Christiana? quæ quidem permittit, sed absque excessu, conseruare sanitatem, & cum moderata solicitudine, quæ haberi possunt & licent, inquirere remedia, quibus pellatur aduersa valetudo; vel si Dei sit voluntas, vt corpus doloribus & infirmitatibus affligatur, subministrat patientiam & animum ad constanter ferendas infirmitates, & mortem ipsam pro Dei honore obeundam, vt ex talibus afflictionibus qui ægrotat, consequatur subsidium vitæ & sanitatem æternam.

Impatientia ob amißionem virium & pulchritudinis corporalis.

SECTIO XXXIV.

Vires & pulchritudo corporis non æquè necessaria sunt, vti est sanitas, vt dictum est: iactura tamen eorum multum affligit superbos: & vbi

vbi eos effecerit impatientes & ignauos, eisdem eripit mentem, & persæpe præcipitat in barathrum damnationis. Milo Crotoniates elatus ob prodigiosas corporis sui vires, in sylua quadam exoticum experimentum facere aggressus est: illud erat diffindere brachijs truncum quercûs immensæ crassitiei in duas partes. quod cùm fecisset, & nequiret tenere manibus partes separatas, præ desperatione, ob vires deperditas, mortuus est, & à lupis deuoratus. Robur eum effecit arrogantem, arrogantia temerarium, & temeritas eum prorsus perdidit. solicitudo conseruandi vires corporis permagna in ijs fuit, qui eas magni æstimabant, aut quibus erant necessariæ; vt fuêre ij, qui per eas studebant consequi gloriam. Tales fuêre omnes Athletæ in ludis Olimpiacis. Illi enim ea de causa ab omnibus delicijs & cupedijs, tum in cibo, tum in potu se abstinebant, ne eorum corpora emollirentur & deprauarentur; vtebantur autem ijs solùm, quæ neruos & musculos fortificare poterant. Eorum finis vanus erat, sicut & media. Vnde Sanctus Paulus per-

Val. Max. lib. 9. c. 12. & Aul. Gell. lib. 15. c. 9. humeris sustinebat bouem viuum Cic. de senect.

Alexander ab Alexand. gen. dierum lib. 5. c. 18. Tyraquel.

modum comparationis elicit salutarem doctrinam, quam communicat Corinthijs, & in eorum persona omnibus Christianis. sic autem habet textus: *nescitis quòd ij, qui in stadio currunt omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium, sic currite, vt comprehendatis, omnis autem qui in agone contendit ab omnibus se abstinet, & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* vult dicere hic Sanctus Apostolus: si homines mundani ad conseruandas & augendas vires corporales, quibus coronas confectas ex myrtho, lauro & graminibus adipiscantur, ieiunant, aquam bibunt, corpora sua pluribus modis, ijsq; per asperis, & duris exercitant, quid nobis faciendum erit in abstinentijs, in ieiunijs & macerationibus ad fortificandas animas nostras, & ad bene currendum in stadio virtutum Christianarum, atque ad indipiscendam coronam cælestem? Hæc cùm dixisset, eius rei seipsum proponit exemplum: *ego igitur sic curro, inquit, non quasi in incertum: sic pugno non quasi aerem verberans, sed castigo corpus meum & in seruitutem redigo, ne forte cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Vno verbo, ô mei Corinthij, facio quod vobis

1. Corint. 9. 24.

Ibid. v. 26. 27.

bis prædico, & vos meo exemplo addiſcere poteſtis, qualiter domandum ſit corpus, vt anima fortis efficiatur.

Quod ad amiſſionem pulchritudinis corporalis attinet, nulli, neque damnum, neque impatientiam procreat, niſi ijs, qui ob illam ſe extollunt, & pluris æſtimant, quàm deberent. non conſiderantes eſſe bonum perfragile, & proprium fœminarum. Iſtiuſmodi homines nimium ſunt curioſi, & ſoliciti in ea conſeruanda: ac proinde eâ amiſsâ cogitationibus moleſtiſſimis effœminantur, & vltra modum affliguntur. Iuuentus nobilitatis Romanæ fuit in cauſa, quòd Pompeius victoriam non obtinuerit, dum nimiùm ſolicita fuit, ne facie aduerſâ pugnando contra Cæſarem, vt alibi dictum eſt, acceptis vulneribus dedecoraretur. Acco vetula, quæ olim formoſa fuerat, videns in ſpeculo nunc ſe turpiſſimam effectam, ſpeculum proiecit in terram, & poſt iacturam pulchritudinis, fecit etiam cerebri. qui actus planè dignus erat tali fœminâ; quæ cum ſuperba & ſtulta fuiſſet ob ſuam pulchritudinem, mutauit priſtinam ſtultitiam in nouam,

Grad. 2. ſect. 39.
Acco vetula amiſſa pulchritudine, amiſit & mentem.
Sel lib. 17. c. 2. tom. 2.

dum stulta nunc facta est ob vultus sui turpitudinem: vtriusque autem causa vnica extitit superbia. Multis olim fuit contemptui, & maledicto senectus (quæ tamen ætas habetur maximè honorabilis) non alia de causa, nisi quia in ea corpus priuatur viribus, & pulchritudine. Isti contemptores senectutis, non erant digni, qui ad hunc honoris terminum viuendo pertingerent. Vnde hac falsâ suâ opinione ostendebant, se semper amentes fuisse, & etiam nunc continuare stultitiæ suæ cursum, vsque ad vltimum vitæ suæ terminum: qui magis neruos, & colorem corporis laudant, quàm vigorem & pulchritudinem animæ: quæ magis in huius ætatis gradu, quàm in nullo alio solent relucere.

Impatientia superbiæ ob mala fortunæ, & in primis in iactura, vel indigentia diuitiarum.

SECTIO XXXV.

QVemadmodum humilitas in suscipiendis cum patientia, & ferendis

rendis cum constantia malis animæ, malis corporis, & fortunæ sese patefacit; ita superbia in omnibus istis cum impatientia & recipiendis, & tolerandis se omnibus palàm ostendit. monstraui id breuitèr in malis animæ & corporis, restat nunc, vt id etiam in tertio eorum genere, quod consistit vel in iactura, vel in defectu & carentia diuitiarum, propriæ existimationis, famæ & similium inconstantis fortunæ bonis demonstremus. Iactura opum admodum est efficax succussus, & occasio ad hominis constantiam conturbandam, & concutiendam, & etiam ad eundem deijciendum in profundos tristitiæ fluctus, & desperationis, nisi sit egregiè firmatus in soliditate profundæ humilitatis. Sunt enim bona, quæ à mortalium plerisque plus amantur, & diligentius procurantur, quàm alia quæcunque. Hoc desiderium, comite superbiâ, & superbia hoc desiderio inflata, & inflammata, eos impellunt, & inducunt in cogitationes elatas, efficiuntq; vt nullos non inquirant modos, & media quibus auctoritatem, & magni nominis existimationem inter cæte- Amissio diuitiarum multùm earum amantes vexat.

 ros

ros mortales consequantur. Vnde animaduertentes diuitijs, quippe vt sublimibus, & potentibus machinis, eleuari sese, & extolli super alios homines, auidè eas inuestigant, inuestigatas iniquè possident, & possessas cum inquietudine, & difficultate conseruant: perdunt autem cum magno animi angore, & tristitia, & tandem se ipsos in eadem perdunt ruina. Vxor
Iob 2. 9. Iob, etsi fortassè ante fuerat bona, & virtutis studiosa, tamen insperata fortunæ reflantis rotâ perculsa & euersa, quâ domum suam pessundatam videbat, eò pusillanimitatis, & desperationis deuênit, vt dicere non vereretur marito afflictissimo: *benedic Deo & morere.* suadebat istâ peruersâ enunciatione, vt Deum blasphemaret, & prouocaret ad iracundiam, & furorem, quo penitus ipse Iob è terris exterminaretur. Quod aliud non erat, quàm voluntariè in desperationem, & inferni barathrum
1. Machab. 6. 2. sese præcipitare. Antiochus inter plurimos Ethnicos reges opulentissimus, & planè diuitijs insatiabilis, frustratus spe expilandi thesauros Elymaidis ciuitatis Persiæ, Babylone desperauit, & animam,

animam, auaritiæ deditissimam, doloribus, & angoribus corpore expulsam, morte non minus crudeli, quàm abominabili euomuit. Crassus Romani exercitus Imperator celebris (non tam strenuitate suâ, & rebus in bello præclarè gestis, quàm diuitiarum splendore, & copiâ) ingenti cum exercitu orientem penetrauit, & adeo desperatè cupiditati suæ frena laxauit, vt terram mordens, in fluctibus auaritiæ suæ, amisso exercitu, bonis, & vitâ, sepultus fuerit. Et huiusmodi sitis diuitiarum & desperatio, qualis est auaritia, & superbia non solùm inter magnos in rebus magnis, sed etiam inter paruos in paruis rebus, passim inuenitur. Iudas triginta argenteis vendidit suum dominum. quo facto in exiguo lucro ingentem suam ostendit auaritiam, in sua proditione malitiam, & extremam stultitiam, dans tam exiguo pretio thesaurum, qui præponderabat decem millibus mundorum. Menippus Philosophus Cynicus non multa possidebat bona, ijs tamen per infortunium amissis, desperauit, & laqueo se suspendit. Zenon alius Philosophus,

Valer. Max. lib. 9. c. 4.

Luc. 23. 4. Matth. 26. 15. Marci 14. 11.

Laer. in eius vita lib. 6. de vitis Phil.

accepto

accepto nuncio non vero quidem, quòd eius nummi perijssent, adinstar mortui expalluit. erat is nuncius ex industria, Regis Antigoni iussu procuratus. qui hoc modo probare voluit constantiam dicti Philosophi, verbis magni contemptoris mundi, sed qui in proba & facto sensibus destituebatur. Superbia, qui eum iactatorem fecerat, eundem cupidum diuitiarum reddiderat, & simul earum iacturæ (esto per imaginationem tantùm) impatientissimum. Nec hic pedem figit superbia, sed vltrà progreditur, extendens sese non solùm ad eos, qui ex diuitibus facti sunt pauperes, sed etiam ad illos, qui cum impatientia existentes pauperes, per vim fieri volunt diuites. vnde & possibilia, & impossibilia inquirunt, & arripiunt media, quibus acquirant opes, & graui paupertatis iugo se exonerent. Ex vna Prouincia, & regione currunt in aliam, vniuersumque peragrant mundum, & ingentes suscipiunt labores, subeunt angustias, & sexcentis se exponunt periculis, vt, quod in fine eos deserit pereundo, aut ipsi moriendo illud deserunt, acquirant. Et

si medijs humanis scopum suum attingere nequeunt, ad extraordinaria, illicita, & diabolica, relicto tantisper Deo, & sanctissimis eius legibus, se conuertunt. Societatem ineunt cum Diabolo, & cum eodem negotiantur, vt terram acquirant, naufragium interim facientes super terram animæ & corporis; idque siue furando, & rapiendo, eodem instigante, bona proximi, & mille homicidia, ac iniustitias patrando, siue per artes, & vias magicas ad eum recurrendo. Cuius rei plura, quàm oporteret in manibus sunt exempla, sed vnico ex Historijs Hispaniæ desumpto, contenti erimus.

De quodam, qui cùm obsequio Diaboli vt diues fieret se mancipasset, miserando exitu vitam clausit.

SECTIO XXXVI.

QVidam illic superbus & suæ paupertatis vsq; ad desperationem impatiens, vidit die quodam Diabolum in sylua, figura & habitu similem

milem cuipiam mercatori, qui vicinius accedens (iuxta suum solenne) causam tristitiæ, quam vultu ostendebat, interrogauit, quâ auditâ, promisit, modò tamen sibi inseruire velit, futurum vt intra breue tempus in ditissimum hominem euadat; consensit miser, & ei se tradidit. Diabolus ei dat in mandatis vt caueam ex filis æreis duos pedes in quadro sibi conficiat. in ea, iuxta datam formam confecta impostor Diabolus sese collocat, in figura tenelli infantis, formâ, & lineamentis pulcherrimi & iucundissimi; monuit tunc Diabolus clientem suum, vt per ciuitates & loca celebriora sese deferret, & ab ijs, qui se videre vellent, pecuniam colligeret. Exequitur mandatum, circumfert caueam per loca celebria, munitam lare & genio masculo: omnes dæmonem sub specie infantis ob totius corporis habitum summæ pulchritudinis summè admirantur: nunc sedet, nunc stat, iam quiescit, iam se mouet, nunc in vno situ est, nunc in alio. dat subinde acuta responsa ijs, qui se interrogant: totus pene ad eum visendum concurrit mundus, nec sine

pecunia

pecunia: ea enim ad eum contemplandum faciebat accessum. Nouo hoc prodigio pene vsque ad mentis alienationem omnes præ admiratione abripiuntur: qui semel viderunt, secundo, tertio & sæpius ad eum videndum recurrunt. Nec cessauit hic concursus prius, quàm aliquot millia scutatorum acquisiuit. sed nullum fictum perpetuum, magistratus enim suspicatus, quod erat, hominem capi curauit cum sua cauea: ex qua quàm primùm euanuit Diabolus, & suâ fugâ artem suam prodidit, & stultitiam eius, quem deceperat; declarauit. Is magiæ conuictus, factâ pecuniæ & animæ iacturâ viuus combustus fuit.

Plures alij idem fecerunt, & etiam hodie faciunt, & verò qui latrocinijs, vsuris, & alijs modis illicitis diuitias inordinatè congerunt, si non magiæ titulo, certè peccati, enormibus diaboli efficiuntur mancipia. qui infallibiliter (nî tempestiuè pœnitentiam agant, & quæ iniustè rapuerunt, restituant, antequam ad Christi tribunal euocentur, vt igne æterno excrucientur) cum Diabolo peribunt. Quantò optabilior est

humilitatis

humilitatis possessio, quæ docet mundum contemnere, paucis boni consulere, ad immortalia bona aspirare, vitam tranquillam & frugalem, quæ Cræsi & Crassi, omniumque mundanorum diuitias superat, ducere?

Vana iactantia nobilitatis, & superba impatientia ob humiles natales.

SECTIO XXXVII.

VT humiles non solent vnquam iactitare nobilitatem sui sanguinis, si verè nobiles sunt; neque magnanimi erubescere humilem suam, & suorum antecessorum conditionem, & vbi necesse est, eam ingenuè confiteri; ita superbi importunè suum ortum, esto parum claritudinis habeat, omnibus deprædicant; aut si eâ careant, ignaui id verentur fateri. Proinde omnibus, quibus possunt artificijs obscuritatem sui generis obtegunt, vel quod peius est per mendacium, & fallaciam docent, se ab Hercule genus ducere. Ex his inter primos erat dux ille, magis

magis iactabundus miles, quam sapiens Capitaneus, qui dicebat:

Atq; ego si in me fors virtus infirma videtur. Ouid. Metam. 13.
Nobilis ast ego sum forti Telamone creatus.

Ad quod sapienter, & maturè eius aduersarius Vlysses respondet.

Nam genus & proauos, & quæ non fecimus ipsi Ouidius ibid.
Vix ea nostra puto.

Et ideo quemadmodum generis nobilitas egregium est donum & stimulus ad benefaciendum illi, qui vero gaudet nobilitatis titulo, ita etiam stulta est vanitas iactare nomen suorum maiorum, & eorum virtutis non esse imitatorem. Vnde vt vanitas ista procul abest ab ijs qui verè nobiles sunt, ita vicina valde ijs, qui degenerârunt ab ea bonitate, quâ olim eorum prosapia fuit nobilitata. Eorum proaui fuêre pij, liberales, strenui, humiles, comes; hi sunt timidi, arrogantes, fastuosi. & qui genus suum illustrius reddere deberent, ignominiæ notam eidem inurunt: dum non solùm videri volunt rami veteris prosapiæ trunco insertì; sed etiam inde captant occasionem audacius, & impudētius tradendi

se vitijs, acsi nobilitas, quæ virtuti non innititur, deberet esse basis, & velamen iniquitatis. Tales nobiles, rami sunt perniciosi, producti quidem ex bonis arboribus, sed qui maiorum suorum nobilitatem indignis factis dedecorant, terminant, & præbent principium suæ posteritati, vt in plebeium ordinem redigatur. *Et talis nobilitas est ea, quam sapiens socrates dicebat esse fontem omnium malorum. Diogenes autem velamen, & prætextum effusæ malitiæ.* Bonum frumentum non est illud, quod in pulchro crescit agro, sed quod pulchram & bonam efficit farinam, & sapidum panem; Verus nobilis est ille, cuius vita & actiones rationi, & virtuti sunt consentaneæ, non is qui prodijt ex nobili radice, nullum interim aliud suæ nobilitatis signum gestans præter vetera, & vana insignia. Qui ex vilibus prodiêre natalibus, & suam conditionem erubescentes dici volunt nobiles, sunt peiores quam ij, qui vanè suam iactant nobilitatem: præterquam enim quod eorum superbia vana sit vt aliorum, est etiam mendaciter impudens, & fraudulenter vana. quod aliunde pro-

uenire

uenire non potest, quàm ex animo abiecto & vitioso. Quicunque igitur in omni conditionum genere vir bonus, & honestus esse, & haberi desiderat, sit humilis: & si ex nobili prosapia sit oriundus, nobilitas à maioribus accepta illi esse debet stimulo, & incitamento, vt eos imitetur; humilitas autem per generosam æmulationem inducere debet ad facta nobilitatis propria, per quæ adaugeat splendorem suæ familiæ; quod si sit ex infimo, & plebeio ordine modestia, & constantia longè altius eum exaltabit, quàm multis retrò sæculis recensitus sanguis, & insuper præter alios nobiles, habebit, quod propria virtute sit auctor, & principium nobilitatis in sua posteritate, & parentela.

Dedignatur superbus addiscere ab inferioribus.

SECTIO XXXVIII.

COr humile nunquam non est docile, nunquam non præbet libenter aurem omnibus, quantumuis

 longè

longe sint inferiores, vt boni quidpiam, vt dictum est, addiscat; elatum autem & superbum præpostere & inuersim incedens putat auctoritati, & existimationi suæ plurimùm detrahi, si eò se demittat, vt ab ijs addiscat, quos

S. Bern. l. sent.

sibi inferiores arbitratur. *Superbi, inquit Sanctus Bernardus, erubescunt esse discipuli; si eos in humilitate præcesserint Magistri*: vnde varia se priuant scientiâ, quam nullis pene sumptibus acquirere possint: ostendunt suam ignorantiam & stultitiam, dum facto ipso fatentur nescire se manifestam supremæ sapientiæ ordinationem, *quam insculpsit vniuerso*; in quo (vt supra ostendi) nulla prorsus est creatura, ducto à maxima vsque ad minimam numero, verbi gratia, apiculam, & acarum; quæ homini magistri loco esse nequeat, modo humilis velit esse discipulus; & non poterit, aut nolet homo hominis disciplinæ, si quid boni doceat, quia non sit verbi gratia, neque Pythagoras, neq; Plato, neque quispiam magnæ auctoritatis vir; sese subijcere? Non minor ea est stultitia, quam esset nolle vti balsamo, verbi gratia, aut vuas comedere, quia

Hic sect. 2. grad. 2. 23.

quia hi terræ fructus, producti sunt per viles plantas, & contemptibiles; velle autem vesci nucibus à magna nuce productis, aut pomis è pinu decerptis, quia proceræ sunt arbores. Dei filius sese abiecit, & paruus factus est, vt in sua humilitate altissimas res edoceret: *discite*, inquit, *à me, quia mitis sum & humilis corde.* Et sanè si à rebus mutis, à bestiolis, formicis exempli causa, passeribus, turturibus, floribus, rosis, violis, lilijs, & alijs creaturis vult nos addiscere, multò magis ab hominibus (nî tamen nostra superbia eorum doctrinæ nos reddat incapaces) quorum nemo tam vilis, & simplex est, qui non aliquam virtutem eos, qui addiscere desiderant, docere possit. Confirmat id Ioannis Maldonati (cuius Vniuersa Gallia non ita pridem profundam scientiam admirata est, vt profundiorem longe humilitatem taceam) dictum, quo asserebat nunquam se audisse, aut Nouitium, aut Scholarem aliquem ex ijs, qui priuatim in triclinio tantisper se dicendo exercere solent, dum refectio sumitur, à quo rem aliquam bonam, quam ante ignorârat, non didicerit.

Matth. 11. 29.
Vade ad formicam. Prou. 6. 6.
Passer inuenit sibi domum &c. Psal. 83. 4.
Considerate lilia &c. Matth. 6. 28.
Luc. 22. 27.

cerit. Spectat igitur ad sapientiam hominis præditi humilitate aures præbere paruulis, & ab ijs addiscere. Superbus videri vult habere, aut habuisse eximios doctores, & fit stultus. Iron eremita quamdiu fuit humilis, tamdiu progressum in vita spirituali fecit, quàm primùm autem seipsum incepit ignorare, & de se præsumere, dicens: *nolle alium se audire Magistrum, quàm Christum, perdidit fidem, & cerebrum, vsque dum castigatus ad pristinam redijt humilitatem.* Ad hanc sententiam spectat pessimus quorundam mos, & consuetudo mentiendi, qui quicquid docent, falsis argumentis persuadere conantur, se nescio, à quo spiritu, absque dubio, à maligno didicisse: vitium hoc olim gentilibus admodum fuit familiare, & post Christi in terras aduentum etiam Hæreticis. Ita Numa Romanorum rex vt auctoritatem conciliaret scientiæ, & legibus quas obseruandas dabat populo, persuadebat se ab Egeria Nympha, quæ eius dæmon erat succubus accepisse. Huius generis erant Pythagoras & Apollonius Thyanæus Pythagoræ sectator, & Simon Magus, primus hæreticus.

Plut. in Numa Arnob. lib. 9. cont. gent.

reticus, qui insurrexit contra caput Ecclesiæ Christi. Apollonius vti & Pythagoras dicebat se familiarem intelligentijs cælestibus. erant eæ dæmones, & aëriæ potestates: eò autem opinionis, & existimationis vana sua iactantia venit dictus Apollonius apud homines, vt minus sensati, & minus sapientes eum existimarent Deum. Eodem modo Simon Magus, qui post multas incantationes: Imperatori Neroni, & pluribus alijs persuasit se supremum Numen esse. qui postea de impostura, vt satanæ mancipium, conuictus fuit, & Diui Petri oratione ex altissima aëris regione, quo eum dæmones quasi per miraculum eleuârant, ad terram præcipitatus. Quanquam nec hoc spectaculo omnibus palam facto, cæca superborum amentia lucem veritatis aspexerit; siquidem ei, vt Deo, templum ædificatum est. Omnes antiqui hæretici eodem vanitatis vento à recto abducti, familiares habuerunt malignos spiritus, quibus doctrinæ suæ conciliabant auctoritatem. Vt Menander, Marcus, Priscilianus, & alij postea. Nostro autem sæculo Lutherus gloriatur à Diabolo

V. Philostrat. tom. 3. in eius vita lib. 1. c. 1. 2. &c.

Sanctus Clemens constit. lib. 6. c. 9.

Vide Baron. ann. 68. tom. 1.

Tract. de missa priuata pau-

 bolo

lò post initium, tom. 7. bolo se sæpius visitatum, & stimulatum ad scribendum contra sacrosanctæ missæ sacrificium. nec non ab eodem fortissima sibi subministrata esse argumenta, quæ post se typis reliquit excusa. Quin & ab eodem maligno spiritu idem iam olim Berengario Hæresiarchæ, & Mago, in Gallia longo ante Lutherum tempore fuisse suggestum. Zvinglius, Bucerus, Carolstadius, auctores & Coryphæi particularium sectarum, talibus etiam cum spiritibus habuêre commercium. Discipuli profectò digni huiusmodi præceptoribus, quia dedignati erant humilitatem Ecclesiæ. quæ dedignatio & superbia, prô dolor! etiam nunc continuatur in eorum posteritate. Ministri siquidem, eorum asseclæ, licet exigui momenti homines, siue ingenium, siue doctrinam spectes, pergunt dedignari, auersari, & reijcere antiquos Ecclesiæ Doctores, sicut & eorum doctrinam ac auctoritatem, quasi nimiùm viles & indigni sint, à quibus instruantur, & edoceantur veritatem. Ideoque nihil recipiunt nisi puram & putam, vt vocant, scripturam, tanquam rectissimam excellentis-

V. Baron. ann. 1028 Nicol. Sera. in opusc. de magistro Caluini.

Pro magistro solam scripturam.

cellentissimamque veritatis normam, & magistram: quam falsissimè exponunt, & pro se, & suo dogmate facere, vanissimè mentiuntur. Non est scriptura, quæ in eorum fauorem loquitur, sed mendacium, & Diabolus mendacij pater, qui iamdudum eorum euacuauit cerebrum, eosq; eò præsumptionis & audaciæ adduxit, vt se solos veros sacrarum scripturarum interpretes arbitrentur: suaque somnia & deliria sapientissimis, & sanctissimis antiquorum & orthodoxorum Ecclesiæ Doctorum expositionibus præferant. Hic, sicut passim aliàs, apparet, quomodo superbia euertat statum intellectûs & voluntatis, omnisque generis vitia proseminet atque producat in anima.

iam recipiunt hæretici.

Superbia impatiens contemptûs.

SECTIO XXXIX.

CONTEMPTUS directè in oculis petit superbiam, & eam crepare facit præ impatientia & cholera, quia contra inclinationem suam, quæ semper alta spectat, humiliatur. Porrò

contemptus iste tot modis potest contingere, quot sunt genera bonorum, quæ laudantur, in quorum nullo superbus vult humiliari. Vnde qui magni ingenij & iudicij haberi vult, cælum & terram mouet, vbi aduertit se contemptui haberi. Achitophel vnus ex intimis Regis Dauidis Consiliarius credebat se, & verè talis vulgò habebatur inter Hebræos, in consilijs dandis optimum. hinc est, quòd de eo dicat scriptura: *Consilium Achitophel quod dabat in diebus illis, quasi si quis consuleret Deum:* Quare posthabito consilio eius, ei, quod dederat Chusai, in tantam & tam desperatam prolapsus est melancholiam, vt præ indignatione se suspenderit. Eodem desperationis spiritu agitur is, qui magnam habet opinionem de sua habilitate & scientia, si aduertat se non æstimari. Dionysius tyrannus Syracusanorum, pangens quædam malè tornata Poëmata, tantam huius suæ artis concepit opinionem, vt quædam ex pulchrioribus mitteret in Græciam ad ludos olympiacos, in quibus Poëtis præcipuus habebatur honor: ea cùm irrideri intellexisset, fere in maniam

2. Reg. c. 16. 13.

Diodor. Sicul. lib. 13.

maniam incidit. Aiax delirus & furiosus factus est, quia Vlysses strenuitate & rebus in bello præclarè gestis, sibi erat prælatus. Arrius Sacerdos Alexandrinus non valens ferre socium suum Alexandrum, in munere Episcopali sibi præpositum, se à fide Catholica segregauit, & detestandis suis erroribus vniuersam Ecclesiæ Christi œconomiam turbauit. Quod plures alij alijs occasionibus, sed eâdem superbiâ stimulati, fecerunt. Ex quibus nostris sæculis fuit Lutherus, qui ex Cathedris impiè detonare cæpit contra Papam, quia primæ partes in concionando sibi delatæ non essent. Contemptus pulchritudinis corporalis non mouet, nec tangit vllum præter fœminas, aut viros effœminatos, qui in formoso corpore gestant animam tam deformatam, quàm effœminatam. Canunt Poëtæ in suis operibus Iunonem Iouis coniugem, vltra modum offensam & immortali odio accensam fuisse contra Troianos, quia Paris filius Priami prætulerat pulchritudinem Veneris, illius formositati. Fabula hæc tres docet veritates. PRIMA est, quòd fœmina impos

V. Prou. Aiacis risus.

Vide Baron. ann. 315. idem de Aerio Epiph. hæresi 75. & Aug. hær. 53.

Cochleus in vita Luth. Geneb. in Leone 10.

I. Æneid. v. 26. manet alta mente &c.

pos mentis pluris faciat pulchritudinem corporis, quàm animæ. Iuxta dictamen suæ stultitiæ: SECVNDA, quòd odium fœminæ superbæ magis sit tenax, magisque diuturnum, quàm viri superbi. quia illa est mollioris & debilioris ingenij, & minus rationis capax: TERTIA est, quòd appetitus vindictæ libenter se plantet in animis fœminarum, & ibi altas agat radices, ex infirmitate animi, ac defectu iudicij. Verumenimuero generalis causa omnium imperfectionum fœminæ, est superbia, & vanitas, quæ facilius in ea sedem suam figunt, quàm in viro, qui magis est virtutis capax, & fortior ad resistendum vitijs. ideoque eum sui minus mouet contemptus, qui concernit bona corporis, quàm is, qui lædit famam & existimationem, vt animæ ornamenta eius sexu longè digniora. proinde in his facile superbiæ vento abripi se sinit, quia rationabiliter se agere sibi persuadet. Quod in nonnullorum exemplis videndum est.

Plures

Plures viri impatientes & stomachosi ob contemptam suam strenuitatem.

SECTIO XL.

VIR humilis est instar rupis, quæ immobilis suo loco inhærens, omnes fluctus & impetus aduersi maris excipit; superbus autem est fragilis, mobilis & flexibilis ad flatum cuiusuis venti, velut arundo, impatiens laudis æquè ac contemptûs. Si laudetur præ stulta lætitia sese non capit; si vituperetur præ indignatione instar histricis seu herinacei intra suam pellem sese contrahit. Marius Dux Romanus, fortis & formidabilis erat in prælijs, sed in ambitu & repulsa honorum erat impotens, imbellis & pusillanimis. vt de eo scribit Plutarchus. quare cùm in bellis gerendis totis viribus hostes impeteret, in rebus tamen, quæ superbiam spectabant, contra seipsum, & suas passiones illi certandum erat. & quod difficilius erat, &rei caput, superbia extremam ei pariebat ambitionem; ambitio

Plut. in eius vita.

bitio autem eum summè timidum reddebat, ita vt auditâ inter homines aliquâ laude se concernente, statim prae vanitate, sui obliuisceretur; sin autem se vituperari inaudiebat, & animum & intellectum amittebat. vnde tunc & audaciâ & strenuitate bellicâ se destitutum deprehendebat. quia assueuerat solùm premere hostes externos, & non domesticos, propria scilicet vitia. quibus semper succumbere solebat. Pompeius maior Mario bellator de eodem vitio notatur à Plutarcho, quod ostendit cùm adesset occasio sui contemptum animo generoso pro bono patriae ferendi & contemnendi. cùm enim sapientiores, qui eius partibus adhaeserant, dissuaderent pugnam contra Caesarem ineundam, suaderent autem patientiâ eum superandum, & vincendum; alij verò vt timidum arguerent, vocantes eum regem regum, id est, effoeminatum instar regis Persarum: non ferens punctūras & maledicta obtrectantium, pugnam intempestiuè iniuit, quam perdens temerè, simul perdidit & Rempublicam. Ad pugnam autem ineundam solo fuit indu-

Plut. in Pompeium.

Strabo lib. 15, Amon. Marcell. lib. 17. Plut. in Pompeium. Daniel. 2. 37. Nabuchodonosor 1. Esd. 2. & 7. 12.

ctus timore, & pusillanimitate non ferendi in hoc genere pugnæ sui contemptûs. Et ita strenuitas, quæ triumphârat de subiugatis tribus mundi partibus, victa fuit, & in gyros acta nonnullorum vanorum verborum sufflatione, quæ verba cùm percepta essent ab animo humilitate destituto, eum adeo leuem tum propriæ, tum aliorum superbiæ vento reddiderunt, vt de recto statu deiecerint.

Artaxerxes. V. Brisson. de regno Persarum. lib. 1.

Contra eos, qui duellum seu singulare certamen ineunt.

SECTIO XLI.

QVi singulare certamen seu vt vocant duellum ineunt, seque inuicem in loco, velut in laniena, quapiam cancellis clauso iugulandos offerunt, carnifices & homicidæ propriorum corporum, sicut & animarum verentes ne timidi habeantur, vehementi superbiæ & vanitatis insaniâ laborant, exuti omni Christianâ humilitate, & prudenti ratione.

Dixi VEHEMENTI, quia eorum infirmitas

infirmitas videtur expers omnis remedij, excepto illo, quod ex legum rigore desumitur, quodque instar ferocium bestiarum eos ligat, pœnisque adigit, vt vel inuiti rationem admittant, dum frenum indomitis & furiosis eorum passionibus inijcit: vti non ita pridem sapientissimè & æquissimè nostri Reges Christianissimi seueris suis decretis statuerunt.

His, si eorum aliqui capaces sint rationis & admonitionis, vti non dubito, hoc caput dedico: ijs ob oculos ponens deliram suam ignorantiam, & horribile periculum, quod incurrunt non solùm salutis, de qua fors parum cogitant, sed vel maximè honoris quem, ineuntes duellum, imaginantur sapienter se tueri, cùm furiosè illum prodigant.

Dico ergo pro generali documento & assertione infallibili, tam eos qui aggrediuntur, quàm qui se defendunt, dum pugnam declinare possunt, non solùm non esse strenuos (quod tamen videri volunt, vt honorentur) sed ignauos, & omni confusione dignos mancipiaq; sui timoris; & lusûs suarum imaginationum;

ginationum; suam vmbram timentes, & instar ebriorum in nocte densissimarum & horribilium tenebrarum titubare; credentes esse id vitium, quod est virtus, & virtutem id, quod est enorme vitium; æstimantes generositatem id, quod purè purè est ignauia, & vicissim id ignauiam, quod vera est generositas. Incæptor duelli credit se strenuum, dum suo aduersario offert duellum, vt de prætensa iniuria sumat vindictam, vt strenui & animosi nomen acquirat; & non videt, ô miserandam cæcitatem! aliunde id non prouenire, quàm ex mero suæ passionis fumo, esseque effectum superbiæ & stoliditatis, quod cum temeritate & furore incipit, & cum crudelitate duplicis homicidij ad finem nititur perducere. in quo nihil prorsus est Christiani; imò quicquid in eo est, directè repugnat mansuetudini Christianæ, nihil etiam strenui cùm proueniat ex passione tyrannica, quæ eum vile efficit mancipium; nihil humani, quia est contra leges, tum humanas, tum etiam diuinas; sed mera est amentia, inconsideratio, impietas, insania, quin & bestialitas: imò & aliquid peius: bestiæ enim expertes

Incæptor duelli ignauus in sua audacia.

rationis, suo modo vtuntur ratione, & non occidunt alias bestias suæ speciei, nisi aliquâ extraordinariâ necessitate ad id impellantur; at verò hic sine vlla necessitate, imò repugnante naturâ, fratrem suum Christianum aggreditur, illaturus ei mortem corporis, & animæ, vel effecturus vt ab eo sibi inferatur; cùm non magis ei constet, quod aduersarium sit iugulaturus, quàm quòd ab eo sit iugulandus. siquidem non raro homines, qui fungi putantur, è certamine redeunt victores. Nec est, quòd hic, FLABELLVM SEDITIONIS, ideo quòd certaminis sit incæptor prætendat nomen hominis animosi & strenui; siquidem temeritate in id præcipitium inducitur, dum timet ne imbellis habeatur, nisi temerè periculo se obijciens suum inimicum aggrediatur, quamuis etiam fortiorem, & potentiorem. Et certè sæpius contigit, quòd ignauissimi tali timore desperationi permixto impulsi, eos sint aggressi, quibus certò certius viribus se inferiores sciebant. Porrò quis vocabit strenuitatem (quæ pernobilis virtus est) quod ex temeritate, ex timore, & despera-

desperatione, tribus execrandis vitijs profluit? Porrò qui acceptat prouocationem oblatam, non minus est ignorans & ignauus, quàm is, qui offert: quia & ille æstimat id spectare ad vitium, quod spectat ad virtutem, & è conuerso, spectare ad virtutem, quod spectat ad vitium: dum arbitratur esse inertiæ & timiditatis recusare iniustum & perniciosum singulare certamen, quod tamen prudentûm iudicio, non minus est actus strenuitatis, atque est nolle patrare facinus quodcunque indignum homine. Credit è contrario esse virtutis actum stolidè vitam, & salutem suam exponere, ne timidus habeatur. quæ est insignis & plusquam bestialis ignauia: bestiæ siquidem naturâ duce, & magistrâ edoctæ, vitæ periculum, quod solius est corporis, fugiunt: homini verò tantò magis est fugiendum quantò à ratione clarius instructus est, vt id faciat; & quantò plus situm est in eius morte, quam in alicuius bestiæ. moritur siquidem non solùm corpore, sed animâ maximè, & quidem morte æternâ. in quam isti, qui dici & haberi volunt generosi (sunt

Acceptans duellum æque ignauus ac inceptor.

autem phrenetici) desperati voluntariè sese præcipitant, mero timore adacti, ne æstimentur imbelles, cùm tamen sint insani. Allêgant pro sua excusatione, quod si non prouocent aduersarium, aut prouocati non compareant, sibi cum perpetuâ ignominiæ notâ viuendum; cum certò sibi constet, futurum vt ostendantur, & designentur digito, vt homines ignaui, & nihili: cogi se proinde timore amittendi boni nominis ad arma capienda. Eorum hæc ratio stolida est, siquidem eorum timor fundatus est super delirium imaginarij honoris: quod delirium velut phreneticos impellit in præcipitium, à quo cautè sibi præcauerent, si imaginario honore excæcati non essent. Agedum, quod fit timore, potestné habere nomen fortitudinis, quæ si vera est fortitudo, rationem, & audaciam rationi consentaneam semper habet comitem? actusné stultitiæ & timoris dici potest actus virtutis? homo delirus & timoris mancipium faciat quicquid velit, strenuusné habebitur? Talis igitur actus aliud non est, quàm factum quoddam fœmineum, & quædam larua pusillanimi-

Stultus prætextus duellistarum.

Nulla strenuitas sine ratione.

sillanimitatis. Sed ostentatores isti homines né sunt absque ratione, & intellectu, vt nequeant intelligere, neque strenuitatem, neque gloriam posse esse, vbi vitium inchoat, & finit pugnam; neque è contra vllam ibi esse ignominiam, vbi ratio suadet, & præcipit fugam? quis honor esse potest stultè inimicum suum prouocare ad homicidium, & quod dedecus talem prouocationem respuere? quis, inquam, honor aut dedecus nisi fors per imaginationem aut delirium? si enim Princeps prohibuit duellum, in illo nullus est honor, sed aperta rebellio illud contra legem & iudicium proprij principis procurare; neque nota aliqua infamiæ esse potest, sed eximia gloria, vt principi tuo obtemperes, illud recusare. Quis igitur Christianorum, nomen & famam sibi procurârit comparendo in loco, in quo pugnandum est pro vita; vel dedecoris notam sibi inusserit fugiendo actionem legibus supremæ sapientiæ iudicatam, & prohibitam, vt rem prorsus detestabilem? quæ isthæc est amentia sibi imaginari, sperare, vel timere quod non est? nonné istud supe-

Gloriosum est recusare duellum.

rat imaginationem Narcissi propriæ suæ imaginis amantis? vel Thrasylli suam vmbram timentis? Inter Iapones & nonnullos alios populos orientales illi strenui habentur, qui ab hostibus obsessi, & in angustijs, ac vitæ periculo constituti, aperto sibi ventre, sese occidunt; contrà, ignaui & pusillanimes, qui id non faciunt. Quis illorum strenuitatem, & horum ignauiam non iudicabit esse vanas imaginationes? quis item tam grauiter errantibus non commiserebitur? Sed quis Christianos, qui fidei lumine illustrati sunt, talia tenebrarum opera facientes, dum honorificum existimant, quod prorsus est vitiosum, & ignominiosum quod est honorificum, non condemnabit? Sed dato, falsum tamen est, quòd in prouocando ad duellum aliquid inesset honoris; & in recusando illud, inter mundanos aliquid inesset dedecoris, & quòd tum hoc, tum illud esset verum, & non imaginatio tam falsa, quam etiam stulta, certè summo quo æstimari poterunt pretio, erit ea reponere in classe bonorum temporalium, & pereuntium: quæ, vbi agitur vel de bonis

Athenæus l. 12. c. vlt. grad. 1. sect. 72.

In Epistolis Indicis.

bonis æternis (quæ quocunque pretio & labore inquirenda ſunt) curari non debent; vel de malis item æternis, morte, & eius comite ignominiâ, duellum certiſſimè conſequentibus, quæ mala quilibet ſummè timere, & ſupra alia omnia fugere debet. Ea enim qui non timet, enormiter ſtultizat, & tam ignominiosè, quàm miſerè eſt ignauus. Porrò certiſſimum eſt eum, qui pugnat in duello, eſſe in ſtatu damnationis, in quo, ſi vita ſpolietur, ei aliud nil reſtat præter damnationem & infernum. En, domini Chartelliſtæ, ſeu ignauè generoſi, ſingulare certamen ineuntes, effectus & progenies ſuperbiæ: ingeniorum ſcilicet tenebræ, imaginationes vanæ, timores & terrores panici, inimicitiæ plus quàm barbaræ, inſultus & irruptiones crudeles, funeſtæ ſanguinis effuſiones, mortes & ignominiæ omnibus lacrymis deplorandæ, iactura terræ cælique, ſicut corporis & animæ. Ergóne his turmis ſtipati ad duellum properabitis, ad gloriam acquirendam? talibuſq; expenſis ad vanitatem mundanam emendicandam pergetis, quæ temporis momento euanescet,

nescet, & eodem vos momento in perpetuæ mortis & confusionis damnatorum carceribus recludet? VIDE PLVRA LIBRO PRIMO, TOMI PRIMI AVLÆ SANCTÆ, P. NICOLAI CAVSSINI, EXCVSÆ LATINIS TYPIS VIENNÆ, ANNO 1635. FOLIO 98. & seqq.

Superbia impatiens iniuriarum, reprehensionum & accusationum.

SECTIO XLII.

QVali cum patientia humiles, illatas iniurias, reprehensiones & accusationes ferant, vidimus suprâ; superbi è contra horum nihil (cum iuxta eorum demerita longè plura pati meruerint) volunt sustinere. Aman superbus admodum aulicus Regis Assueri, credens se summâ affici iniuriâ à Mardochæo primario Iudæo, quia sibi, vt alij aulici, non flectebat genua, tantâ irâ & insaniâ abreptus est, vt non solùm perniciem & exterminium moliretur ei, à quo se contemni ægrè ferebat, sed vniuersæ vbique terrarum dispersæ

Esther 6. 2. 3. 4. 5. 6.

Baiazet Rex Turcarum. Grad. 2. sect. 44.

spersæ Iudæorum nationi. Baiazet turcarum Rex superbus & crudelis, profligatus & captus in pugna à Tamberlano Tartarorum Imperatore, vt dictum supra, non ferens suam calamitatem, spinis piscium in cauea, quâ inclusus per exercitum militibus ludibrio circumferebatur, se suffocauit. Cato ne in potestatem victoris Iulij Cæsaris deueniret, violentas manus sibi intulit: erat id factum superbiæ, & non generositatis, quæ ad eas illum redegerat angustias, vt nequiret, neque gloriam inimici, neque propriam confusionem sustinere. Paulò pòst Cleopatra Ægypti regina, insignis omni superbiæ genere, cùm Antonium amicum suum perdidisset, & præuideret fore, vt ab Augusto, qui vicerat Antonium, in triumphum duceretur, non valens ferre vel solam imaginationem istius pudoris & dedecoris, mamillis applicuit aspides, quæ morsu suo & veneno, vt factum est, mortem adferrent. Cùm Diocletianus, relicto imperio, priuatus ageret, non ferens plurima de se ad Imperatorem Constantinum deferri, hausto veneno, miseram euomuit

Plut. in Catone.

Plut. in Antonio.

Diocletianus se interemit veneno.

 animam,

animam, dignam prorsus tali exitu, propter continuas tyrannicas persecutiones in Christianos. Palatinus quidam cùm delatus esset ad Boleslaum, Poloniæ Regem, quòd causa extitisset arreptæ ab exercitu fugæ, rex ei pellem leporinam, colum & fusum, nullâ aliâ ei illatâ confusione, aut pœnâ, transmisit: quo dono Hieroglyphico timidæ & fœmineæ ignauiæ ita perculsus fuit, vt victus impatientiâ ferendæ ignominiæ, seipsum interfecerit. Herodes & eius pellex Herodias non minus superba, quàm ille, non valentes iustam Ioannis Baptistæ reprehensionem ferre, eum è medio sustulerunt. Sed caro eius mors ijs constitit, siquidem, cum sua illa filia saltatrice egestate & confusione, prout tantæ superbiæ atrocitas merebatur, viuere debuerunt. Alius Herodes non rex, sed superbus orator Atticus, cum coram Marco Antonio Imperatore perorarer, memoriâ nimiùm breui verba ei denegante, mutus vt piscis factus est: ex quo tantam hausit tristitiam, vt hominum conspectum fugiens, desertum petiêrit, in quo & vitam finiuit. Romæ proximè

Palatinus quidam accusatus apud Regem se interfecit.

Matth. 14. 5. 8. 10.

Philost. in eius vita

proximè elapso sæculo, vir quidam in flore ætatis existens, simili euentu sibi confregit cerebrum, ex quo penitus impos mentis factus est. Ibidem tempore Gregorij decimi tertij quidam insignis, vt credebatur architectus, de inuentione quadam sua, vt putabat valde ingeniosa gloriatus fuerat, ei, cum sola hæc verba ridens prænominatus Papa dixisset: ET NIHIL ALIVD EST QVAM HOC? Hæc verba adeo profundè in animum demisit, vt incidens in infirmitatem, præ melancholia intra paucos dies extinctus sit. Hi vltimi in Academia Christiana non didicerant, saltem practicè, SVVM NIHIL; neque humilitatis arma induerant, quibus ab aduersis se tuerentur; præcedentes autem, vt magis elati, in magis absurdam impatientiam prolapsi sunt, & funestiori fine vitam clauserunt. Iste est quartus superbiæ gradus, quarto humilitatis in principio, in progressu, in fine, & per omnia oppositus. Restat quintus nunc conscendendus.



Quintum



Quintum Fulcrum ACADEMIÆ HONORIS

SVPRA QVINTVM HVMILITATIS GRADVM.

QVI EST QVÆRERE VIAS ET MODOS SE HVMILIANDI.

Differentia quarti & quinti humilitatis gradûs, paßio & actio.

SECTIO I.

EOusque in ACADEMIA HONORIS processimus, vt iam quintus Humilitatis gradus nobis sit conscendendus. Hic in eo consistit, vt omni occasione omnes expugnemus vanita-

In quo consistat hic quintus gradus.

tes, & inquiramus, ac in vsum nostrum redigamus omnis generis licitas humiliationes: animæ, corporis, in cogitationibus, in verbis, & in operibus: & per hæc humilitatem acquiramus, & acquisitam, vnà cum alijs virtutibus Christianis, quarum illa fons & origo est, exerceamus. Perfectior est, hic gradus, quàm præcedens, quia non solùm oblatas humiliationes docet ferre patienter, vt ille: sed etiam eas inuestigare, & rectâ intentione procurare; ille immotus resistit hosti; hic audacter eum aggreditur: in vno patiendum est constanter, in altero agendum viriliter; in vno est pia & studiosa subiectio, in altero generosa actio; vnus patienter se subijciendo refert victoriam, alter non sine inflictis aduersario vulneribus pugnat.

Perfectior est præcedentibus.

Continentur hoc gradu omnes ij Sancti Benedicti gradus, qui per actiones exteriores corporis, animâ interius concurrente, exercentur: vt sunt humilem se demonstrare corde & corpore; tenendo oculos in terra defixos, qui est primus; & secundus qui est parum loqui & voce submissâ; sicut & tertius, qui

Hoc eodem continentur quinque S. Benedicti. qui versantur circa res externas.

qui est non facile ridere: quartus non loqui nisi interrogatus: & quintus, qui est obseruare regulas suæ vocationis; item octauus, qui docet confiteri suos defectus & peccata. Omnes isti exercentur actionibus externis, habentque principaliter radicem suam ab & in anima: & tandem duodecimus, qui in dicta anima sedem suam fixit, & docet Deum timere, & recentem eius mandatorum memoriam semper corde gerere. Continetur etiam tertius Sancti Anselmi, qui est fateri se contemptibilem. Saluator noster tantò excellentius hunc gradum exercuit, quantò efficacior in eo consistit modus addiscendi, & amandi humilitatem. Idem tertius S. Anselmi.

Saluator verus humilitatis Doctor in hoc quinto gradu.

SECTIO II.

CHRISTVS Saluator noster, vt in principio huius operis diximus, è summo cælo ad terras descendit, vt mortales humilitatem, verum vnicumque remedium eorum infirmi- Grad. 1. sect. 2.

tatis, & rectum ad cælum iter edoceret. quod nemo ante ipsum ex professo fecerat. Hæc propositio euidenter est elucidanda & firmanda; maximè autem hoc gradu, in cuius compositione splendor & efficacia Christi doctrinæ mirè relucet. Laus omnis & excellentia præstantis Doctoris est, præcipuas veritates scientiæ, quam profitetur, elucidare, & per claras demonstrationes, adhibitâ methodo facili & efficaci easdem patefacere. Moyses quidem in hoc, quod docuit, talem se exhibuit doctorem, vt ante se, neque meliorem, neque parem sibi habuerit: scribens enim historiam mundi, eiusque principium, progressum, & perfectionem, simul eius ostendit creatorem, primam totius boni causam, & supremam veritatem. Item eius leges & præcepta, quæ sunt veluti surculi dictæ veritatis per pulcherrima, eaque optimo ordine disposita tradidit documenta. At verò Saluator in hac sua HVMILITATIS SCHOLA, & HONORIS ACADEMIA infinito interuallo anteiuit Moysem. non enim veritatem quæ extra se esset, vti Moyses homines docuit, neque

neque dictatam per alium, aut communicatā per maiorem se Magistrum, sed semetipsum quis esset, per semetipsum, SVPREMAM SCILICET VERITATEM, VIAM, & VITAM mortales docuit: inque seipso factus est diuinum virtutum omnium exemplar & forma, vt omnibus numeris absolutus Doctor. Hanc veritatem in persona discipulorum communicans mortalibus dixit: *discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Vnica hæc veritas acquirit regnum cælorum, alijs siquidem non emitur nummis, quàm quos humilitas cudit, nec absque ijs modus aut ratio est, illud obtinendi. nec verò solùm verbis, sed vel maximè exemplis & demonstrationibus omni exceptione maioribus, nec non methodo, meliori, faciliori, & efficaciori, quàm ab vllo præceptore adhiberi potest, vt quæ dicit percipiantur, & percepta in vsum deducantur, docet. Exemplum Prælati loquitur sine verbis, & magnum intellectui præfert lumen, voluntatemque inflectit, vt liberè consentiat, & quod docet ille, ea exequatur. Dux præeundo ad assultum, milites vt

Joan. 14. 6.

Matth. 11. 29.

sequantur efficacius mouet, quàm multis verbis perorando. Porrò saluator tam exacta & copiosa tum in propria persona, tum in proprijs actionibus huius virtutis exhibuit exempla, ad præscribendam mortalibus excellentem formam, eamque ad imitandum tantò commodiorem, quantò facilius est eam admirari, quàm verbis explicare. Quod hactenus in diuersis descriptionibus vidimus, & posthac in fabrica huius quinti gradus clarius videbimus: dum nonnulla per modum ruminationis, absque tamen, vt spero, fastidio, resumemus, quæ in alijs dicta sunt, & quæ ab ipsa incarnatione cæpit, & post eam continuauit saluator, vt cordibus filiorum suorum lectionem humilitatis nunquam delendis characteribus insculperet. Notandum verò est, vias humiliationis, quas ipse triuit, non esse fortuitas, aut casu oblatas, vt sæpe sunt hominum, quando ex insperato humiliantur, sed designatas, præuisas, & in æterno eius consilio præelectas, vt suo tempore executioni mandarentur, quod huic quinto gradui proprium est. dixi enim eum consistere

consistere in ACTIONE, & non in PASSIONE, ac proinde eximium esse ad excellentiam humilitatis Christi exaltandam.

Exempla Humilitatis Saluatoris in Incarnatione, Natiuitate, Circumcisione, & in templo Præsentatione.

SECTIO III.

INcarnatio Filij Dei, vt primo gradu obiter dictum est, & sæpius repetendum est, continet exemplum humilitatis, quæ ex altiori loco non potest prouenire, nec ad inferiorem descendere. docet enim Deum factum hominem; supremum minimum, creatorem creaturam, & altissimum infimum; duo extrema infinitè inter se distantia, in vna persona esse vnita, idq; contra molitiones primi Angeli, qui cùm esset pura creatura, æquare se voluit creatori. Cùm enim in cælo præpositus esset omnibus creaturis tam terrestribus, quàm cælestibus, suiipsius, præ superbia, oblitus dixit: *in cælum*

Grad. 1. sect. 1.

Isaiæ 14. 17. *conscendam, & ero similis altissimo.* Filius Dei Creator & Dominus omnium rerum creatarum, verè similis altissimo, & altissimus ipse, vti & Pater, dixit: *descendam, & ero similis infimo,* magnitudinem meam minimæ inter creaturas rationales familiæ vniam, homo fiam, vt hominibus adferam remedium suæ infirmitatis, & meo descensu eorum ruinam reparem. vnde in memoriam & recordationem huius infiniti beneficij & ineffabilis humilitatis, Ecclesia quotidie flectit genua, & se humiliat, quando in mysterijs sacrosancti sacrificij Missæ, hæc diuina verba pronunciantur. *Homo factus est;* item, *Verbum caro factum est.* quod est dicere: immortalis factus est mortalis; omnipotens infirmus, sapientissimus vt simplicissimus, optimus velut peccator. Nec hic est finis: non enim solùm, dum homo factus est, se humiliauit, sed etiam, dum minimus hominum factus est. Poterat matrem re ipsâ existentem reginam eligere, & in regio palatio & apparatu, splendoreque regio nasci, vt rex, & quidem rex totius vniuersi, cum iure naturali talis esset rex. Elegit equidem

Antitheta filij Dei & Luciferi.

Ioan. 1. 14.

dem matrem natalitijs nobiliorem & virtutibus ditiorem, quàm vlla extaret in toto mundo fœmina, sed quæ nihilominus tunc temporis erat infimæ conditionis in oculis hominum: quia nimirum vxor æstimabatur simplicis fabri lignarij, qui tamen regio sanguine, vt illa, erat oriundus: sed decursu annorum & reuolutione rerum mundanarum, quæ iuxta secretam Dei prouidentiam dantur & accipiuntur, reuolutus erat ad statum simplicissimi ciuis, qui vitam suam labore & arte sustentabat; voluit haberi filius istius fabri lignarij, & sub humili matris tegumento & nutritij ac putatitij Patris abscondere Maiestatem, quam ex quadraginta duobus, tum Patriarchis, tum regibus antecessoribus traxerat, vt clarissimum mortalibus præberet humilitatis exemplum, & totidem titulis eosdem doceret splendorem mundi, & vanitatem ortûs contemnere, nullamque aliam nobilitatem æstimare, quàm quæ ex virtute proficiscitur. Sed eius natiuitas qualis extitit? in qua ciuitate? quo in loco, & tempore? in Bethleem parua ciuitatula; in stabulo,

Matth. 1. 18.

Matth. 1. 20. Item 13. 55.

Luc. 2. 4. & seqq.

Asinus cognouit præsepe Domini sui.

Isaiæ 13. QVIA NON ERAT LOCVS IN DIVERSORIO; inter animalia, hyeme
Sapient. perrigidâ, mediæ noctis tempore. Qua-
18. 14. le spectaculum videre filium Dei, ipsam supremam Maiestatem in tantum humiliatam, vt ea in tenelli infantis formâ, in abiectione & inopia vix ante mortalibus visa, inuoluta insuper panniculis, & loco cunarum reclinata in præsepio, plorans super fœnum, & omnes temporum & locorum iniurias sufferens? quod si, cùm filius Dei existeret, moderatorque ætatum & temporum, in tali corporis perfectione, in quali primum hominem creauit, nasci poterat, absque eo, quod se legibus & incommoditatibus infantium subijceret; si causas secundas taliter poterat contemperare, vt in celebri aliqua ciuitate, in lecto, auro, gemmisque splendente, omnique alio commoditatum apparatu, quem vel nobilissimorum parentum filij habere possunt, nasceretur; si tempora, si loca, si personas ita aptare ac disponere poterat, vt concurrerent ad manifestationem suæ magnitudinis & Maiestatis, quare humilitatis & abiectionis infimas elegit partes.

partes, nisi vt tenorem suæ humilitatis respondentem humili Incarnationi cõtinuaret? & cùm se humiliasset, humanos artus induens, humiliauit etiam se infra omnes homines, nascendo vt paruulus, & docens mortales qualiter se humiliare debeant, non solùm sub manu supremæ & diuinæ Maiestatis, sed etiam hominum infimæ conditionis ob eius amorem & gloriam. Deus bone, qualis fuit & illa humilitas, qua DVRÆ CIRCVMCISIONIS legi (quæ posita erat solis peccatoribus) se subiecit, & in Catalogum peccatorum referri voluit? cùm esset ipsa suprema sanctitas, sanctus sanctorum, qui in mundum venerat, vt tolleret peccata mundi? Quæ & illa, quâ per gloriosæ Matris suæ humilitatem in templo præsentari voluit, cum donis & sacrificijs, quæ peccatorem & peccatricem indicarent: donis sanè pauperum proprijs, pari nimirum turturum, non agno, aut hædo, vt maiori adhuc ac profundiori, patentiorique submissione legi se submitteret? sed qualis iste debet esse præceptor humilitatis, qui adhuc in Virginali matris suæ vtero existens;

Lucæ 2. 21.
Gen. 17. 12.
Leuit. 12. 3.
Lucæ 2. 22.
Exod. 13. 2.
Num. 8. 16.

mundum

mundum docet? iacens item tenellus infantulus in cunis & sugens vbera? Ecquid faciet vbi excreuerit, quandoquidem tam maturè, & per demonstrationes tam claras docere incipit? Ecquid aliud denotat, quàm humilitatem esse primum aditum, & primam originem omnium virtutum, perquam necessariam mortalibus, & thesauros diuinæ gratiæ inueniendos, & ad cælum conscendendum, vbi bene edocti fuerint in terris, ad imitationem sui redemptoris se humiliare?

De eius humilitate in vita, ab anno duodecimo vsque ad trigesimum.

SECTIO IV.

TOtus eius vitæ mortalis decursus ab infantia vsque dum in publicum prodijt, aliud non fuit, quàm quoddam continuum humilitatis curriculum. scriptura nihil de eius miraculis, nihil de occupationibus, nihil de orationibus, nihil de verbis, nihil de actionibus, neque mentis, neque corporis, in prima illa ætate factis dicit

(quæ

(quæ tamen omnia admiranda fuisse; nemo debet dubitare) neque de obsequijs ab angelis ei præstitis, neque de ijs, quæ ipse in domuncula illa Nazareth patri & matri, iuxta suum artificium exhibuit; sicut nec de alijs domesticis seruitijs, quæ vtique exercuit: nihil inquam de omnibus istis loquitur scriptura; sed mystico hoc silentio nobis suggerit argumentum loquens de eius humilitate: quod, nullo exterius prolato verbo, nos docet, cum integris triginta annis homines latere voluisse, & diuina opera, absque sui manifestatione, patrare, ac vulgò fabri lignarij & simplicis mulieris filius reputari. Videbant enim omnes eum scholas, præter consuetudinem aliorum puerorum, non adire; nec non cum simplicioribus conuersari; quod admirans Sanctus Bernardus occasione verborum à Patre prolatorum: *hic est Filius meus dilectus, ipsum audite*, ita ipsum alloquitur: *quousq; siles Domine IESV, quousq; dissimulas? diu tacuisti & valde diu, vel iam nunc loquendi licentiam habes à Patre. Quamdiu virtus & Dei sapientia quasi infirmus aliquis & insipiens lates in populo? quamdiu*

Silentium mysteriosum & loquens.

Matth. 13. 55.

Matth. 17. 2.

din nobilis rex, & rex tali fabri filium te pueris appellari & putari? ô humilitas virtus Christi, quantum confundis superbiam nostræ vanitatis? Parum aliquid scio, vel magis scire mihi videor, & iam silere non possum, impudenter me & imprudenter ingerens & ostentans, promptulus ad loquendum, velox ad docendum, tardus ad audiendum, &c. Et statim pòst hæc, ostendens hoc saluatoris silentium & declinationem ab oculis hominum fuisse propter nostram instructionem: adiungit sequentia: *Et Christus cùm tanto tempore filebat, cùm seipsum abscondebat, nunquid inanem gloriam metuebat? Quid timeret ab inani gloria, qui est gloria patris? Vtiq; timebat, sed non sibi, nobis timebat ab illa, quibus noverat esse timendum, nobis cauebat, nos instruebat, tacebat ore, sed instruebat, & quod postea dicit verbo, iam clamabat exemplo: discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.*

Matth. 11. 29. Hæc Diuus Bernardus. Hoc ergo silentium erat quoddam sacrum velamen modestiæ, & prælectio humilitatis summæ sapientiæ, quæ abscondita erat sub inuolucris nostræ naturæ, nec non Matris ac Patris putatitij humili conditione. Scriptura nihilominus describens

bens eius peregrinationem anno eius ætatis duodecimo Hierosolymam susceptam, & trium dierum subtractionem à conspectu matris, paucis verbis continuum & constans eius humilitatis notat exercitium: nam, postquam retulisset eum tertio die inuentum in templo, in medio doctorum, audientem & interrogantem eos, qui obstupescebant in tali puero tam raram modestiam; nec non prudentiam in interrogando & respondendo, & quòd cum gloriosa sua matre & Sancto Iosepho rediјsset Nazareth, dicit: & ERAT SVBDITVS ILLIS. Postrema hæc verba peculiari emphasi declarant humilitatem Saluatoris, probatam & illustratam præstitâ obedientiâ & subiectione ab illa ætate duodecim annorum, vsque ad trigesimum, quando ei comparendum fuit in publico & obediendum Patri in summo actu charitatis, & profundæ humilitatis, & per illum consummandum admirabile opus nostræ Redemptionis. Si Euangelista dixisset eum descendisse ex Hierusalem in Nazareth, obseruando semper summè humilitatem, sat euidenter eminentiam huius

Lucæ 2. 45.

Lucæ 2. 51.

huius virtutis in illo expressisset: sed cùm dicit *subditum fuisse*, generalem & principem effectum humilitatis Saluatoris ponit ob oculos: qui effectus in causa erat, vt illis esset subiectus. Vnde Euangelista tacens in specie omnes alias eius virtutes & actiones, vnius solius humilitatis meminit, vt thesauri cuiusdam, qui omnes alias eius virtutes & actiones comprehendit, & sinu suo reconditas habet. si roges semel vel sæpius Sanctum Lucam, quid faciebat Christus in domo suæ Matris & Patris nutritij spacio decem & octo annorum, quibus in ea moratus est? aliud non respondebit nisi hoc: ET ERAT SVBDITVS ILLIS, & si vicissim ab eo petas, quid autem egerat prioribus duodecim annis, nihil respondebit: vt rem notam nobis relinquens, quod humilitatem totis illis exercuerit, obediens & subiectus fuerit, creator creaturis, omnipotens inferioribus; supremus dominus seruis; ERAT SVBDITVS, ERAT OBEDIENS, ERAT HVMILIS, pulcherrimis operibus formans exemplar illius virtutis, quam te addiscere volebat, ô Christiane! eam igitur

igitur addisce, si bonus eius discipulus esse cupis; addisce inquam in Academia tanti & tam præstantis Præceptoris. tutò enim hac virtute, tanquam libello assertorio, munitus ad cælum perges.

Notæ & signa eius humilitatis ab anno trigesimo, & quomodo fugerit & euitàrit ostensionem bonorum intellectûs & ingenij.

SECTIO V.

POstquam Saluator vitam priuatam agens, silentium humilitatis operibus egregijs humiliationis, subiectionis & omnimodæ obedientiæ spacio triginta annorum exercuisset; toto reliquo vitæ suæ tempore actionibus & verbis tot documenta & exempla tradidit, quot modis erat necessarium, vt mundo excellentia huius virtutis manifestaretur, & Academia diuina, æterna, & digna tali doctore stabiliretur. Academia hæc peculiari ratione fundata est super basim & latitu-

dinem huius quinti gradûs, cuius est omni occurrente occasione vanitates & superbiam impugnare, & expugnare; inquirere ac exercitare omnes licitos modos se humiliandi, vt dictum est. Porrò Saluator hæc omnia diuinissimè & copiosissimè expleuit. bellum enim apertum verbis & operibus absque vlla intermissione & misericordia indixit superbiæ, & omnibus eius asseclis. Primo siquidem modo plane diuino se habuit circa humilitatem, quoad bona animæ, tum naturalia & studio acquisita, tum supernaturalia & diuina, vt sunt ingenij, scientiæ, & similia, in quibus humana vanitas nimiùm quantùm solet sibi complacere. Cùm enim animam haberet exornatam nobilioribus & pulchrioribus donis naturalibus & supernaturalibus, intellectûs, iudicij, & memoriæ, & gereret insuper omnes scientiarum, naturæ & gratiæ thesauros; ijs non obstantibus conuersabatur inter mortales, ea non solùm non ostentans, aut in re aliqua signum dans alicuius vanæ complacentiæ aut ostentationis, sed planè ea occultabat, nisi in quantum necessaria erant,

erant, ad manifestandam eius diuinitatem, & apud homines fidem conciliandam suæ legationi pro eorum bono & salute susceptæ. Probè nôrat profundiora naturæ spiritualis secreta; item essentiam perfectionis Angelorum, ornamenta, virtutes, & actiones eorundem; essentias quoque rerum omnium corporalium, cælorum, astrorum, eorumque motûs & influentias, sicut & elementorum, terræ, maris, aëris, ignis cum proprietatibus eorum. Tenebat notitiam totius hominis, animalium, plantarum, cæterarumque creaturarum infinitis modis perfectiorem, quàm Salomon: qui tamen egregius extitit totius naturæ indagator & scriptor: & tamen cùm his diuitijs & perfectionibus excellentissimè exornatus esset, & pari eloquentiâ ad ea omnia hominibus manifestanda instructus, eâ viuebat & conuersabatur inter homines moderatione, vt ex eius actionibus & sermonibus nullum haberi posset argumentum alicuius in eo latentis scientiæ. Vnde non defuêre calumniatores & blasphematores maligni & superbi Hæretici, qui nolentes

Sapientia Salomonis 3. Reg. 3. 11. de qua c. 32. & Matth. 12. 42. Luc. 11. 31.

Calninus & alij hæretici bla-

tes aut non valentes penetrare secreta tantæ illius modestiæ, sed metientes regulâ suæ vanitatis opera Saluatoris, eum ignarum fuisse iudicarunt. cùm in eius silentio admirari debuissent raram humilitatem. In quo ignaros seipsos & infideles ostenderunt, non intelligentes impossibile esse animam hanc beatam & à primo instanti suæ existentiæ vnitam diuinitati, aliquid ignorare: nec credentes Deum, qui primo Adamo, & Regi Salomoni puris & simplicibus hominibus infusam totius vniuersi contulerat scientiam, huic secundo Adamo, filio longè chariori, quàm vel primus erat, vel Salomon, easdem, quas illis, & longè maiores tum ingenij, tum scientiæ prærogatiuas & priuilegia communicasse. Quantum ad scientias scripturæ & Theologiæ attinet, quas ille solus plenissimè & multò perfectius, quàm omnes Prophetæ simul accepti, callebat, eas solito ponderè & mensurâ consuetæ humilitatis, & prudentiæ communicabat. loquebatur de altissimis mysterijs, stylo simplici, & qui facilè intelligi poterat, sine vlla affectatione, sine sermonis & elocutionis

[Margin: Blasphematores contra scientiam Saluatoris. Caluin. in harmon. in Matth. 21. 18. & 24. 36. Luc. 2. 40. Gnostici Christum ignorantem dicebant. Iren. lib. 1. c. 17. Arrian. Athan. serm. 4. contra Arrian. & Hilarius lib. 9. de Trin. Agnoitæ Prateol. Verbo Agnoita.]

cutionis apparatu, referens omnem suam scientiam, quam nonnulli subinde admirabātur, acceptam Patri. Ita, vt Iudæi, dum quodam die diuinissimè de altissimis & sacratissimis rebus eum disserentem audissent, admiratione rapti, dicerent: *quomodo hic litteras scit, cùm non didicerit?* respondit cum omni humilitate & modestia, dicens: *mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me*: nimirum declarabat diuinâ methodo veritatem sine dissimulatione, & declinabat arrogantiam in humilitate; operaque talia patrabat, qualia nulli vnquam Sanctorum, quæ non mediocriter laudem & applausum mundi comparare poterant; sed in omnibus relucebant radij eius humilitatis & potentiæ, siue attribuendo miracula, quæ faciebat, Patri, siue opera sua vocando Patris, siue contemnendo laudes, quibus eum prosequebatur populus, siue prohibendo, ne ea manifestarentur: siue deniq; fugiendo honores, qui ei deferebantur, vt apparuit, quando in montem secessit cognoscens, quòd vellent eum constituere regem. Paucis, in omnibus & per omnia ostendit se vanitatem

Ioan. 7. 15. & ibid. 6.

Opera quæ dedit mihi pater vt perficiam ea. Ioan. 5. 36.

Ioan. 6. 13. detestari, ac solam Patris gloriam ac hominum salutem habere præ oculis.

Humilitas Saluatoris in bonis corporis, & alijs transitoriis.

SECTIO VI.

SECVNDO in ijs, quæ spectant dona corporis, & alia bona externa prorsus humilem se ostendit: vel ea exterius non manifestando, aut contemnendo: corpus habebat mirâ partium ac membrorum inter se proportione formatum & contemperatum, longè superabat Dauidem, cæterosque suos antecessores pulchritudine. Psal. 44. 3. *Speciosus enim erat formâ præ filiis hominum.* Fortior & generosior erat Sampsone; erat enim omnipotens, etiam suo modo vt homo: quia hypostaticè vnitus omnipotentiæ. In his autem & alijs donis nunquam vel minimo signo ostendit sibi complacere. quod vel ex eo satis apparet, quia noluit vel pulchritudinis, vel fortitudinis suæ Euangelistas meminisse, excepto quod de Virgine purissima purissimus ipse, Virgo, & insignis

signis castitatis doctor, voluptatumq; contemptor acerrimus, natus sit. Quin imò plurimis in locis ita de eo locuti sunt, acsi infirmus & inualidus, instar aliorum hominum extitisset. ita narrant eum in horto Olıueti, adeo viribus destitutum fuisse, vt sanguinem sudare fuerit necesse; à militibus funibus colligatum, vt hominem quemlibet exiguis viribus præditum; indiguisse item auxilio pro reliquo itinere in cruce ferenda ad locum supplicij, quasi oppressus & succumbens nimio oneri, nequiret vlterius gestare.

Luc. 22. 43. Matth. 26. 50. Marc. 14. 46. Matth. 27. 31. Marc. 15. 21.

TERTIÒ quantùm ad diuitias attinet, quas in sua Natiuitate magno & heroico animo parui se facere, & contemnere ostenderat, easdem postea verbis & operibus, dum publicè verba faceret, non minus contempsit, & parui se eas æstimare ostendit. viuebat eleemosynis, nihil proprium ipse possidens, occurrentibus verò occasionibus nunquam intermittebat loqui & concionari contra diuitias & diuites superbos, in fauorem paupertatis. Cibus eius, vt dixi, erat ex benignitate & charitate hominum, emendicatus:

Ioan. 4. 7. da mihi bibere. Hier. natal. in cap. 2. 46. Post triduum inuenerunt Puerum in templo.

Ioan. 6. 13. detestari, ac solam Patris gloriam ac hominum salutem habere præ oculis.

Humilitas Saluatoris in bonis corporis, & alijs transitoriis.

SECTIO VI.

SECVNDÒ in ijs, quæ spectant dona corporis, & alia bona externa prorsus humilem se ostendit: vel ea exterius non manifestando, aut contemnendo: corpus habebat mirâ partium ac membrorum inter se proportione formatum & contemperatum. longè superabat Dauidem, cæterosque suos antecessores pulchritudine. *Speciosus enim erat formâ præ filiis hominum.* Fortior & generosior erat Sampsone; erat enim omnipotens, etiam suo modo vt homo: quia hypostaticè vnitus omnipotentiæ. In his autem & alijs donis nunquam vel minimo signo ostendit sibi complacere. quod vel ex eo satis apparet, quia noluit vel pulchritudinis, vel fortitudinis suæ Euangelistas meminisse, excepto quod de Virgine purissima purissimus ipse, Virgo, & insignis

Psal. 44. 3. (margin)

signis castitatis doctor, voluptatumq; contemptor acerrimus, natus sit. Quin imò plurimis in locis ita de eo locuti sunt, acsi infirmus & inualidus, instar aliorum hominum extitisset. ita narrant eum in horto Olioueti, adeo viribus destitutum fuisse, vt sanguinem sudare fuerit necesse; à militibus funibus colligatum, vt hominem quemlibet exiguis viribus præditum; indiguisse item auxilio pro reliquo itinere in cruce ferenda ad locum supplicij, quasi oppressus & succumbens nimio oneri, nequiret vlterius gestare.

Luc. 22. 43. Matth. 26. 50. Marc. 14. 46. Matth. 27. 31. Marc. 15. 21.

Tertiò quantùm ad diuitias attinet, quas in sua Natiuitate magno & heroico animo parui se facere, & contemnere ostenderat, easdem postea verbis & operibus, dum publicè verba faceret, non minus contempsit, & parui se eas æstimare ostendit. viuebat eleemosynis, nihil proprium ipse possidens, occurrentibus verò occasionibus nunquam intermittebat loqui & concionari contra diuitias & diuites superbos, in fauorem paupertatis. Cibus eius, vt dixi, erat ex benignitate & charitate hominum, emendicatus:

Ioan. 4. 7. da mihi bibere. Hier. natal. in cap. 2. 46. Post triduum inuenerunt Puerum in templo.

eius vestes erant, quas mater ei texuerat & consuerat, formâ & materiâ simplices; quales pauperiores in Galilæa gestare consueuerant; eius verba operibus ad amussim respondebant. prima clausula sermonis in monte habiti fuit de humilitate & paupertate, dum dixit: *Beati pauperes spiritu*: Et alia occasione, sermonem habens de diuitijs, ita de ijs locutus est, vt eas non solùm contemnendas, sed vt pestem quandam formidandas demonstraret: *facilius est*, inquit, *Camelum per foramen acûs transire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum.* id est, diuitiæ difficiliorem reddunt aditum ad beatitudinem, quàm id, quod est impossibile. Sententia ista credenda est vt verissima, quia ipsamet veritas ore suo pronunciare dignata est: nec minus efficax ad eos salutari timore concutiendos, qui aut possident, aut possidere desiderant bona huius mundi. potens etiam motiuum est, ad inducendos homines, vt humilem paupertatem totis vlnis complectantur. Humilitatem etiam commendare, vt alibi dixi, nullâ intermisit occasione, vt quando dixit: *nisi conuersi fueritis,*

Isid. pelusiot. lib. 1. epist. 74.

Matth. 5. 3.

Matth. 19. 24.

Matth. 18. 3.

nitis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis regnum cælorum. & alia occasione: *qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur:* & quidem adeo commendauit sæpius dictam humilitatem, vt etiam in ipsis conuiuijs eius rationem haberi voluerit: vnde illa eius admonitio *Cùm inuitatus fueris ad nuptias non discumbas in primo loco.* Item alibi: *discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* quod est dicere, addiscite esse humiles me imitando, si veri mei discipuli esse desideratis; hanc præter cæteras lectionem diligenter à me dictatam discite; quia omnem meæ scholæ sapientiam, & omnium virtutum continet thesaurum. Vt paucis multa complectar, nullum tempus aut occasionem præterlabi sinebat, in qua, conuersando, verbis & operibus non ostenderet, quàm flocci mundi diuitias penderet: vt sic homines induceret ad eas contemnendas; contrà, quanti faceret humilitatem, dum eam omni licito humiliationum modo accersit, & accersîtam complectitur, constare potest.

Matth. 21. 2. Luc. 14. 8. & 18. 14.

Luc. 14. 3. 8. Matth. 11. 29.

De eius humilitate in horto Olineti, in domo Caiphæ, & ad tribunal Pilati.

SECTIO VII.

QVòd si vnquam diuinus hic Magister pulchram, claram, multisque argumentis circumuallatam in sua Academia de humilitate fecit demonstrationem, tunc maximè in ijs, quæ passus est à vespere, quo captus fuit in horto Oliueti, vsque dum in cruce PATRI SPIRITVM REDDIDIT. de quibus gradu superiori, occasione eius patientiæ verba aliqua fecimus; hic de ijs loquimur, vt fuerunt viæ & actiones prælectæ ad perfectè complēdum humilitatis exercitium: exiguo enim illo temporis spatio diuinam Epitomen & compendium fecit omnium documentorum maximè illustrium, quæ vnquam dari possunt de hac virtute. in eo siquidem in praxim & opus reduxit omnes humiliationes, quas cum omnibus temporis & personarum circumstantijs futuras

Grad. 4. sect. 3. & 4.

ras præuiderat: humiliationes, inquam, non casu aliquo oblatas, sed ab æterno consilio prælectas. Vt in hac sua passione coram Patre suo æterno & Angelis se abijceret, & quantopere oculis diuinæ Maiestatis superbia displiceret, mortales edoceret; quanti item præpotens Deus humilem hanc, sed maximam virtutem faceret, ostenderet. Et hoc ex eo manifestum euadit, quòd à filio suo cum vitæ eius, & omnium rerum (quas mortales extollunt, admirantur & desiderant in hoc mundo) dispendio eosdem mortales doceri voluerit: Quod nunc pensiculatius & minutius iuxta membra huius quinti gradûs (qui, vt sæpius dixi, inter reliqua exigit, vt tempore & loco bona spiritualia abscondantur, & vbi vel necessarium, vel vtile est, communicentur) considerandum est. Quemadmodum igitur Saluator in specie spatio trium vltimorum vitæ suæ annorum communicauit & manifestauit suam sapientiam, docens mysteria salutis, auctoritate & potentiâ suâ præcipiens potestatibus inferni, & eas ex obsessorum corporibus eijciens; bonitate & misericordiâ

ricordiâ succurrens indigentibus, sanans infirmos, & peccata remittens; ita intra octodecim circiter vltimas vitæ suæ horas, diuinum hoc fecit compendium, quo omnia humilitatis documenta in propria persona comprehendit, abscondens omnia bona spiritualia, & se subijciens omnibus animæ angustijs, tormentis corporis, omnibusque malis, (quæ homines in rebus quas possident, præsertim in fama vehementer reformidant) communicans insuper totum se hominibus. dum eum sese communicasse dico, omnes sapientiæ & scientiæ thesauros in eo reconditos eisdem hominibus dispertiuisse, intelligo. Nota verò, quòd, quanquam omnes eius diuinæ virtutes, charitas, misericordia, benignitas, & ceteræ in hac cruenta tragœdia suo ordine partes suas agerent, erant nihilominus velut mutæ, & post scenam absconditæ, sola verò humilitas in theatro comparebat, ijs amicta circumstantijs & vestibus, quibus non immeritò hominum, Angelorum, ac ipsorum cælorum oculos ad se spectandam raperet. In horto Oliueti, in anima anxietatem

&

Digitized by Google

& agoniam martyrij, in corpore verò sudorem sanguineum passus est; in vtroque autem, mortis angustias; quod expressit dicens *tristis est anima mea vsque ad mortem.* Matth. 26. 38. Adde quòd per Angelum è cælo missum, tanquam si purus homo Luc. 22. esset, & non Deus, destitutus omni hu- 43. mano solatio, confortari voluerit. In hoc eodem horto se capi, se vt homi- Ludolph. Carth. c. nem infirmum funibus ligari, & duci 59. 2. ad Iudices tanquam latronem permi- part. de sit: ita vt in hoc vno facto suam poten- passione tiam, sapientiam, & bonitatem tene- scribit fuisse beabris huius captiuitatis & persecutionis tum Miab oculis hominum absconderit. Sed chaelem. longè adhuc magis in alijs tragœdiæ actibus & partibus, quando in Palatijs Luc. 22. & domibus Pontificum fuit irrisus, 63. oculis velatus, percussus, consputus, Ioan. 18. 24. illusus sicuti stultus quispiam stolidus & blasphemus: maximè autem quan- Ioan. 19. do ad tribunal Pilati ductus fuit, & ibi- 1. 2. 3. dem nefarijs scribarum & Pharisæo- 12. rum, nec non vniuersi populi vocibus accusatus, vt seductor populi, seditiosus, & Cæsaris inimicus proclamatus; ad Herodem missus, cui multa curiosè Luc. 23. interroganti, alio modo non respondit, 7. 11.

quàm suæ humilitatis silentio; licet non ignoraret regem curiosum æquè ac superbum vehementer desiderare experimentum alicuius miraculi, & eundem fortassis regem ob hoc sibi patrocinaturum apud Pilatum. E contra verò hanc suam humilitatem & silentium obfuturum, dum præuideret superbum hunc Regem ex se spectaculum aulæ exhibiturum, & ad Pilatum albâ veste, vt mentis impotem ab eo remittendum. Remissus igitur eâ, quam dixi, veste indutus ab Herode ad Pilatum, de nouo accusatur, & instanter ad crucis supplicium deposcitur; Barrabæ homini seditioso, homicidæ, & insigni latroni postponitur, à crudelibus carnificibus vt vilissimum mancipium, absque vlla misericordia virgis cæditur, & omni irrisionum & indignitatum genere excipitur, quas malignitas Principis tenebrarum. Iudæorum & militum Ethnicorum malitiæ & peruersæ voluntati suggerere & sufflare valuit. induitur deinde veste purpureâ, redimîtur diademate ex spinis confecto, arundo loco sceptri regalis in manum datur, tractatur non

vt

vt fictus aliquis rex theatralis (quod tamen magnam ei irrogasset iniuriam) sed longè deterius, velut homo triobolaris & histrio, reus criminis læsæ Maiestatis. Hæc omnia & longè plura tulit Christus agnus mitissimus, vt ob oculos poneret vias humiliationis, quas sibi longè ante plenâ scientiâ notauerat & elegerat, ac in tempore cum omni alacritate cordis pugnæ & potestati eorum, quos sciebat executores futuros supradictarum crudelitatum, se præsentauit. Et quidem hæc omnia fecit, vt perfectum cælestis humilitatis in omnibus relatis, & multò pluribus referendis, quando in monte Caluariæ, in omni prorsus humiliationum, iniuriarum & tormentorum genere vitam finiuit, mortalibus relinqueret.

Eius paßio epitome est omnium humiliationum, & lucidißimum humilitatis speculum.

SECTIO VIII.

VIdete & contemplemini, fideles animæ, & vos *filiæ Sion*, hunc *regem*, Cant. 3. 11.

gem, vobis tabellam diuinæ suæ virtutis, lineamentis suorum dolorum, & viuis pretiosi sui sanguinis coloribus depingentem; Videte, inquam, eum in suo diademate & humilitatis stolâ, spineâ coronâ redimitum, arundinem loco sceptri gestantem, vestitum quidem clamyde regali, sed derisoriè; toto corpore dilaniatum & sanguine è plagis profluente consperfum; Videte, iterum hortor, è ciuitate Hierusalem oneratum grauissimo supplicij sui ligno egredientem; considerate iam nunc denudatum omnibus vestibus, & affixum ligno duriori & asperiori, quàm erat natiuitatis præsepe; sed eheu! quantâ circumstantiarum & pœnarum differentiâ? tunc cæli & Angeli cantabant: GLORIA IN EXCELSIS, annunciantes hominibus aduentum sui Saluatoris; nunc in cælo & in terra ingemiscunt, & deplorant illatas suo Domino iniurias: tunc reclinatus supra stramen & fœnum, dulcissima matre assistente, vtcunque quiescebat inuolutus panniculis; fotus lacte è mamillis huius reginæ Virginis emanante; nunc languet super asperitatem

Antitheses Natiuitatis & mortis Domini. Luc. 1. 7. 14.

asperitatem & duritiem infamis ligni, non cubans, sed suspensus in aëre; capite spinis, & pedibus ac manibus ferro transfixus; afflicta mater ei est doloris & afflictionis argumentum; ab omnibus est derelictus, si carnifices excipias. quin, iuxta inimicorum perfidiam, ab ipsomet Deo; expositus nudo corpore suorum inimicorum & irridentium se oculis, sicut & amicorum; sed eius dolores, iniurias & nuditatem oculis solis expositam deplorantium. Qui sol, non ferens sui creatoris iniuriam, tenebris lucem suam commutauit. Contemplemini ergo & deplorate felle & aceto potatum inter duos latrones (malitiâ Iudæorum, qui notatum infamiâ pessimi latronis, eum mori voluerunt) collocatum; blasphemijs à vilissimis terræ vermiculis, pro quibus patiebatur, impetitum, & loco omnis solatij in summo & acerbissimo tormentorum suorum dolore à nequissimis hominibus irrisum. Aliquáne humiliationis species aut forma excogitari potest, quam Præpotens Deus in hac suæ passionis & mortis catastrophe non elegerit? non comprehenderit?

rit? non repræsentârit? idque tum in anima, & corpore, tum & in ijs omnibus, quæ eius personam spectabant, passus est, & hoc eo fine, vt clarissimum humilitatis documentum, ac lucidissimum efficacissimumque ad mouendum speculum oculis mortalium exhiberet, & suauiter frigidas eorum animas reuerberatione suæ lucis & radiorum accenderet, & sine vi, quasi cogeret ad sequenda humilitatis suæ vestigia.

Continuatio eius humiliationum, iuxta tria malorum genera.

SECTIO IX.

VLterius eius contemplemur humiliationem secundum omnia mala, quæ homines humiliare possunt. in ANIMA humiliabatur videns ab hominum infidelitate, quantum in ea erat, suos sibi honoris titulos subripi, Deitatem, potentiam, bonitatem, innocentiam, puritatem, & reliqua è bonis immortalibus: & insuper, quòd non solùm se Deum æterni

Patris

Patris Filium non crederent, sed ne dignum quidem iudicarent, qui communi inter homines aurâ frueretur; in INTELLECTV affligebatur, considerans malitiam & crudelitatem eorum, qui ei tormenta & crucis ignominiam procurârunt; in VOLVNTATE pungebatur ingratitudine & blasphemis populi verbis, qui eum in hac cruce affixerat, oblitus quòd se olim ab infami & durâ Ægyptiorum, mille patratis prodigijs, seruitute liberârat: quòd spatio quadraginta annorum, per desertum conduxerat, vti pius quispiam parens conducit filium; quòd pane è cælis misso pauerat, quòd ab ardore solis, miraculosis ex aëre confectis columnis, protexerat; quòd & sibi aliâ splendenti ignis columnâ in noctis obscuritate prælu-xerat; in MEMORIA grauabatur recordatione eorum peccatorum, toties remissorum, & toties reiteratorum, quæ eos nunc vsque ad impium & detestabile parricidium deduxerant. In CORPORE generaliter in omnibus membris omnes omnino humiliationes & afflictiones, quæ in corpus humanum cadere possunt, patiebatur; eius

Prodigia. Exod. c. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11.

Maris diuisio c. 14. 15. columna nubis. c. 13. 21. & 14. 20.

pellis nulla parte constabat integra; eius caput cinctum acutis spinis pungebatur; eius aures blasphemantium Iudæorum vocibus mirum quàm offendebantur; eius oculi præ cæteris sensibus, viso matris dolore, & lamento stantis ad pedem crucis, velut acutis sagittis transfigebantur; lingua & labra sanguine & felle madentia peculiare patiebantur tormentum; eius manus & pedes ferro transfixi incredibilem sentiebant dolorem, dum, præter proprias plagas, pondus totius corporis vulnerati sustinerent.

Cum vidisset IESVS matrem. Ioan. 19. 26.

Quod ad alia mala externa attinet, paupertatem, infamiam & alia aduersa, simul omnia, vt dictum est, tolerabat. Ex quibus omnibus humiliationibus præparatum cælestis humilitatis exemplar, cui vltimo hoc conflictu extremam manum apposuit, mirè relucebat. Vnde Ecclesia, charissima eius sponsa, tantâ eius humilitate, in suis annuatim feruentioribus & sublimioribus orationibus, attonita cantat: *Omnipotens sempiterne Deus, qui humano generi ad imitandum humilitatis exemplum Saluatorem nostrum carnem sumere,*

mere, & crucem subire fecisti, concede propitius, vt patientiæ ipsius habere documenta, & resurrectionis consortia mereamur. En humilitatem Saluatoris, qui cùm se abiecisset assumens humanos artus, in fine obediuit vsque ad mortem, & quidem mortem crucis. O Christiane! præsumesné in domo Dei tui, infra omnes homines humiliati, superbire? an potius animum adijcies, vt dignus & probus tanti Magistri efficiaris discipulus, qui non solum lectionem humilitatis ab eo verbis & exemplis (vt vltimum & perfectissimum vitæ opus) enodatam & dictatam audias, penetres, ac intimè comprehendas, sed qui etiam exequaris ea, quæ in illa docentur? maximè cùm & Christo eam tanti constitisse, & tibi ad salutem tam necessariam intelligas? Si in te bene constitutus sit animus, si strenuus, si sapiens, si propensus ad amandas res pulcherrimas, & ad tui CAPITIS ac DVCIS sequenda vestigia, nonné omnes humiliationum vias inuestigare, & inuestigatas alacriter & constanter terere apud te generosè decernes, vt virtutem, quam te tuus Saluator, tot tormento-

In officio Domi. Palmarum Philip. 2. 8.

mentorum, tot ignominiarum generibus edocuit, & quidem crucis, fuso pretioso suo sanguine, durâ morte obitâ, consequaris?

De eius humilitate post mortem in sacrificio missæ, & Eucharistiæ Sacramento.

SECTIO X.

POrrò quia Christus & diuinus & omnipotens erat Magister, non tantùm docuit humilitatem dum viueret (vt solent vulgares & ordinarij Doctores suas scientias, non valentes vitâ functi aliud quid præstare, nisi forte per libros ab ipsis conscriptos) sed etiam de eadem humilitate, optima, pulcherrima & vtilissima quæque post mortem tradidit documenta: & hoc non ordinarijs hominum vijs & modis, iubens v. g. doctrinam de hac virtute in vita traditam litteris consignari; sed modo admirabili, & qui naturali hominum intelligendi viâ percipi non potest, relinquendo nimirum in Ecclesia sua Sacramentum: quod dum adhuc

adhuc in vita mortali ageret, administrauit, & exemplo, eius vsum ostendit. Illud fuit SACROSANCTÆ MISSÆ SACRIFICIVM, & EVCHARISTIÆ SACRAMENTVM, in quo magna concordiâ & admirabili harmoniâ facit resonare quatuor virtutes aulæ suæ principes, quasi quatuor musicæ cælestis voces. Eæ autem sunt POTENTIA, BONITAS, SAPIENTIA & HVMILITAS. Eius POTENTIA supremam canens vocem, vnam creaturam conuertit in aliam, PANEM nimirum in CORPVS, & VINVM in SANGVINEM. quod opus illius solius est, qui omnia potest; BONITAS supremæ proximam modulans, pascit suam creaturam propriâ carne, & potat proprio sanguine, vt nutriat ad immortalitatem; SAPIENTIA moderans tenorem, ijs condimentis contemperat hanc diuinam escam, vt eâ facilitate sumi possit, quâ communes cibi; HVMILITAS denique Bassistæ, vt vocant, partes agens, non sinit ab hac diuina Musica vocem suam desiderari. Et quidem hac vltimâ, id est humilitate, idem Christus tribus alijs eximijs virtutibus.

OBEDIENTIA nempe, MANSVETVDINE, & PATIENTIA, ad tanti mysterij constitutionem veluti intimis ac indiuiduis humilitatis comitibus vtitur. Primâ autem harum humilitatis comitum vtitur, dum ipse voluntati & voci suæ creaturæ præstò est, obediens voci sacerdotis, quotiescunq; cum intentione consecrandi præscripta ab eo profert verba super panem & vinum. Quod longè plus est, quàm fuit cùm, Deo iubente, sol & luna obedi-
Iosue 10. 14. uit voci Iosue ducis populi Israelitici, quando in medio & ordinario cursu ea stare fecit. nam licet ibi Deus etiam obsecutus fuerit voci creaturæ, præstans, quod petebat homo; hic tamen longè magis sese demittit, dum ibi ipse adest in persona, quò à sua creatura vocatur. Et hoc non semel tantùm vno die, vti semel adfuit vocanti Iosue: sed quotidie tot vicibus, quot legitimi sacerdotes ad altare eum vocaturi accedunt. idq; continuauit iam annis mille sexcentis, & continuaturus est vsque ad vltimam mundi periodum; Secunda verò ex humilitatis comitibus, mansuetudine nimirum, vtitur, dum tectus

sub

sub speciebus & figuris PANIS & VINI vivus latet, sinens se tractari, moueri, & manducari, non aliter quàm si esset exanimis. Viden' diuinam mansuetudinem? Tertiâ item è dictis humilitatis comitibus, patientiâ scilicet vtitur, dum compluribus malitiâ hominum illatis iniurijs (inferuntur autem ab hominibus nequam & sceleratis, quando illi sanctitate huius Sacramenti abutuntur, quando illud pedibus calcant, vel sumunt in statu peccati; quando in sanctuario & sacrario suæ Ecclesiæ indignè tractant) sese exponit. Quæ inconuenientia licet perbellè futura nosset diuina eius prouidentia hoc cæleste epulum Ecclesiæ suæ instituens, nihilominus tantus eius extitit amor, nos creaturas suas iuuandi, & docendi hanc virtutem, vt non dubitârit omnes humiliationes subire, quò diuitiarum suarum thesauro nos ditaret, & Ecclesiæ sponsæ suæ vnicè dilectæ vna cum electis ad beatitudinem, perpetuum humilitatis exemplum relinqueret. Et quanquam huiuscemodi iniuriæ nihil nocumenti immortalitati & Maiestati corporis eius adferant,

(cùm à tempore gloriosæ suæ resurre-ctionis exemptum sit ab omnibus humanis casibus) sed solùm in Sacramenti species cadant, attingunt tamen eius personam, non aliter atque peccata personam Dei. quam, qui ea committunt, grauiter offendunt, & reos criminis Læsæ Maiestatis sese constituunt. Admiranda profectò est filij Dei humilitas, se tot iniurijs tantæ indignitati & impietati malorum hominum, amore nostri obijcientis, & in hoc sacrificio & Sacramento continuum suæ humilitatis & infinitæ charitatis vsum exhibentis. Familiaris admodum & eximius isthic modus est, quem, ad imitandam continuè hanc diuinam virtutem, viuens nobiscum, & in cælis iam regnans, nos edocuit.

De eius humilitate in suis apparitionibus post resurrectionem in scripturis, & eius imaginibus varus.

SECTIO XI.

SVprema sapientia non contenta supradictis documentis, quæ nobis reliquit:

reliquit: alia etiam, ad nos locupletiori instructione & doctrinâ ditandos, exhibuit in suis apparitionibus, scripturis, & figuris diuersis. Post anastasin eius corpus erat gloriosum, & tamen non nisi in humilitatis veste sese exhibuit. Sanctæ Mariæ Magdalenæ apparuit vt hortulanus; duobus discipulis in Emaus proficiscentibus in habitu peregrini; discipulis communiter in forma, quam viuens habebat. In coruscanti quidem & splendenti habitu apparuit Diuo Paulo, sed id ideo, vt magnum Christianorum persecutorem magno lumine & potenti manu conuerteret; Sancto Martino in habitu pauperis seminudi; Sancto Christophoro in statu infantis. quod symbolum est humilitatis; Beato Patri nostro Ignatio in communi figura & solitis corporis lineamentis, gestans crucem. Refert Sanctus Gregorius eum in habitu leprosi viro sancto, dicto Martyrio apparuisse. Sanctus hic religiosus, inquit, ex suo monasterio ad aliud, vt quendam Patrem spiritualem inuiseret, se conferebat: eò proficiscenti apparuit pauper leprosus multis plagis affectus,

Ioan. 20. 14.

Luc. 24. 18.

Matth. 28. 17.

Marci 16. 14.

Luc. 24. 36.

Ioan. 20. 19. c. 21. 4.

Acto. 9. 3.

Ribadin. lib. 2. c. 11. in eius vita.

S. Gregor. hom. 39. Euang.

affectus, qui ad suum diuersoriolum, non multùm à loco, quem Martyrius adibat, distans redire conabatur: sed ob magnam debilitatem & lassitudinem progredi nequibat; cum itaque suo pallio inuolutum hic sanctus de terra in humeros suos sustulit, & vsque ad monasterium, ad quod pergebat, absque vllo notabili onere portauit, vt postea referebat. Spiritualis ille Pater simul atque vidit gestatorem & gestatum, cognoscens per reuelationem esse Saluatorem qui portabatur, clamare cæpit: aperite, inquit, aperite monasterij portas: ecce enim frater noster, qui nobis adfert Redemptorem. Intrare volenti Martyrio monasterium, qui, vt leprosus gestatus fuerat, è humeris dilabens in figura solita saluatoris apparuit, & ad cælos ascendens baiulo suo dixit: QVIA
Marci 8. 38. ME NON ERVBVISTI SVPER TERRAM, NEC EGO TE IN CÆLIS ERVBESCAM: omnes hæ & similes apparitiones fuêre signa peculiaris affectionis saluatoris aduersus hanc virtutem, & totidem documenta ad homines inducendos in illius amorem.

rem. Legimus Imperatorem Heracli- um in habitu Imperiali auro ac gem- mis nitenti, Hierosolymis in montem Caluariæ sanctam Saluatoris crucem (quam prælio victis Persis recuperârat) referre fuisse conatum; verùm in por- ta, non valentem vlterius progredi, subsistere coactum fuisse. Quare omni- bus, qui aderant, spectaculo attonitis, Zacharias Ierosolymorum tunc Epi- scopus, diuino instinctu monitus, illi dixit: *Vide, inquit Imperator, ne iste tri- umphali ornatu in cruce ferenda parum* IESV *Christi paupertatem & humilitatem imitère.* tum Heraclius abiecto amplissimo ve- stitu, detractisque calceis, ac plebeio amictu indutus, reliquum viæ facile, & gaudenter iuxta suæ humilitatis me- ritum confecit, & in eodem Caluariæ loco crucem statuit, vnde fuerat à Per- sis asportata. Idem Saluator voluit in sacris litteris exactam & claram cele- briorum actuum suarum humiliatio- num mentionem fieri. inter quos non postrema est lotio pedum ante In- stitutionem Venerabilis Sacramenti, magna cum charitate Apostolis exhi- bitâ. eò autem dirigebatur, sicut & mors

Vide hic sect. 36. Baron. anno 628. num. 2.

mors ac passio vniuersa, vt humilitatis excellentia quàm maximè commendaretur.

Idem inspirauit Ecclesiæ, vt diuersas LEGATIONIS suæ tabellas, & imagines confici curaret. INCARNATIONIS, NATIVITATIS, CIRCVMCISIONIS, & aliorum eximiæ eius misericordiæ & humilitatis mysteriorum: præcipuè autem PASSIONIS & CRVCIS. Quorum mysteriorum postremæ duæ tabellæ ob oculos quidem omnes ponunt virtutes, sed cæteris longè clarius humilitatem. illæ siquidem tunc non nisi oculis fidei videbantur, cùm à totius mundi hominibus, fidelibus & infidelibus, crucis & passionis abiectio, & perspicuè humilitas videri posset. Et reuera magnus est humilitatis actus, ac illustre eiusdem virtutis documentum, in Deo præpotente, qui, tali in statu & formâ, oculis Ecclesiæ suæ, & omnium mortalium non dedignatur repræsentari. Mundi reges, iuxta innatam sibi vanitatem, nolunt repræsentari alijs figuris, quàm quæ eorum magnitudinem absque vllo artis aut decentiæ defectu oculis subijciunt,

ciunt. Ita Alexander Magnus perlubens imaginem suam fulmen gestantem intuebatur, quam Apelles ita ad viuum depinxerat, vt ab alio postea nunquam depingi voluerit; neque etiam in ære sculpi, quàm à Pyrgotele, neque etiam ab alio fundi, quàm à Lysippo. qui duo non inferiore maiestate, iuxta artis suæ peritiam eum repræsentabant, quàm Apelles per suam picturam. Tam erat ille honoris cupidus, & amans sui in proprijs imaginibus? contrà, Rex cælestis honori sibi ducit repræsentari in ligno infami & ignominioso, & hoc ideo, quia in primis humilis est, & doctor humilitatis; deinde, quia vtile mortalibus, & maximè virtutis huius studiosis. Diabolus autem Rex superborum adeo tale abhorret spectaculum, sicut & ij omnes, qui eius superbiæ signo sunt notati, vt ne ferat quidem illud intueri. Ethnici & Turcæ iurati crucis hostes, hæretici quoque mixti Christianis, ita capitali omnes sanctorum imagines prosequuntur odio, præsertim crucifixi Saluatoris, vt passim vbi eas deprehendere queunt, pessundent. Primi Hugenoti rubris

bris & nigris notis, huius flagitij ac sacrilegij Nemausi ciuitate Galliæ anno Domini 1561. specimen ediderunt. cùm enim omnes Saluatoris & sanctorum imagines absque vlla alia cæremonia partim fregissent, partim incendio tradidissent, curârunt, veluti œstro perciti, per plateas ferri, & virgis cædi magnum crucifixum, quem ex templo Beatæ Virginis, in signum maioris odij & detestationis furiosè extraxerant. Verùm humilitatis cultores, & digni tanto Magistro discipuli, triumphant eius PASSIONE, & FIGVRIS ac SIGNIS, quæ eam referunt; iisdemque retundunt cornua, & deprimunt supercilia Satanæ, reportantque victoriam dicentes cum Apostolo Paulo: *absit mihi gloriari nisi in cruce Domini nostri IESV Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* id est, efficit in me, vt mundum horream,& vicissim me mundus. eorum vnica est gloria mundum contemnere, & à mundo contemni; eorum vnicus honor, & solus scientiæ thesaurus, scire humilitatem Domini ad exemplum eiusdem Apostoli Pauli, qui dicit: *non enim indicaui me scire aliquid inter*

Galat. 6. 16.

1. Corint. 2. 2.

inter vos, nisi IESVM Christum, & hunc crucifixum, id est humiliatum, & humilium Præceptorem factum in crucis humilitate & totius vitæ decursu. Et verè, qui in hac vitâ hunc crucifixum, hanc crucem tali non intuentur oculo, vt eius potentiam, sapientiam, bonitatem humilitatemque admirentur, & admirando imitari conentur, cogentur aliquando coram eo se humiliare & abijcere, idque magno suo cum rubore, quando scilicet apparebit sole clarior in cælo, cum signo crucis, vt in Maiestate iudicet viuos & mortuos; iudicium autem superborum, & crucis, atque humilitatis inimicorum, erit condemnatio sempiterna.

Matth. 24. 30. Apparebit signum filij hominis in cælo.

De exercitiis humilitatis Beatæ Virginis.

SECTIO XII.

QVod ad Beatã Virginem attinet, nemo dubitare debet nec potest, quin ad modum, & ad imitationem filij sui, omnes licitas huius gradûs humiliationes, siue eæ animam,

ſiue corpus, ſiue alia bona, aut mala huius vitæ ſpectârint, accuratiſſimè exercuerit. Scriptura eius modeſtiam in verbis nos edocet; quando refert ter aut quater tantùm eam in publico locutam fuiſſe: innuens hoc ipſo eam ſæpe locutam cum Deo, rarius autem cum hominibus, vti ſolenne eſt animabus deuotis, & rerum diuinarum meditatione illuminatis. Eadem ſcriptura tacens, nobis ob oculos ponit illius ſecretum in eo, quod eius laudem ſpectat, & nominatim, vt ante dixi,
Grad. 4. ſect. 5. quando, Legato præcone Diuo Gabriele Archangelo, quòd conceptura & paritura eſſet Filium Dei, ac proinde, re & nomine futura mater altiſſimi, idque cum gratiarum & priuilegiorum ſingulari elogio: cùm inquam audiuiſſet, didiciſſet, & credidiſſet hæc omnia, nullum vlli ea de re eſt verbum locuta; ne ſuo quidem ſponſo Ioſepho, quòd veriſimile conijceret futurum, vt cum admiratione, quàm primùm id intelligeret, eam ſuſpiceret, vti poſtea euênit. quando ab Angelo de hoc grandi myſterio ille certior factus eſt: neque aliud ex eius ore profectum

verbum

verbum vllibi de hac singulari visione ac legatione cælesti habetur, præter humile eius RESPONSVM Gabrieli, supremæ Maiestatis ad eam legato (vbi de hoc mysterio plenè edocta fuit) his verbis datum: ECCE ANCILLA DOMINI, FIAT MIHI SECVNDVM VERBVM TVVM; & CANTICVM MAGNIFICAT. quod totum diuinæ in eam benignitatis præconijs & periodis humilitatis, contra superbiam diuitum & potentiam mundanam, contextum est. Nulli dubium esse debet, quin amplissimam plurium rerum diuinarum scientiam animo complexa fuerit; quin Apostolis & Euangelistis, & nominatim Diuo Lucæ, quàm plurima filij sui secreta reuelârit, quæ ad fidem & animarum salutem spectabant. quæque Deus, eâ solâ interueniente, mundo innotescere voluit, vt sunt præsertim admiranda hæc: CONCEPTIO, NATIVITAS, ADORATIO Magorum, SVBIECTIO & obsequia SALVATORIS SIBI & IOSEPHO vsque ad annum eius trigesimum exhibita. & alia priuata secreta, quæ illis solis communicauit: & tamen, memor semper mo-

Lucæ 1. 38. ibid. 47.

Luc. 2. 7. Matth. 2. 1. Lucæ 2. 51.

destiæ, eorum noluit fieri mentionem, quasi ea ab ipsa didicissent. Adde quòd etiam id (quod admirationem aliquam parere poterat) nisi prorsus necessarium esset ad instruendos Christianos, cautè reticebat; contenta in secreto cordis sui colloquia cum Deo miscere, & frui cælestibus scientijs, quibus abundè illa erat ditata. Inter cætera encomia, quæ Nicephorus, referente Sancto Epiphanio, Virgini attribuit, vnum est, quod perparum loqueretur: *erat, inquit, omnibus in rebus grauis, matura, & honesta, perpaucis vtebatur verbis, ijsq; non nisi necessariis, erat facilis & iucunda auditu, exhibens vnicuiq;, iuxta suum statum, honorem & reuerentiam.* Quæ sunt effectus & surculi humilitatis. Verumenimuero maximæ humiliationes & animi afflictiones, quas vnquam subijt, fuêre, quando in monte Caluariæ stetit sub cruce. vbi ex proposito voluit esse, & pati in anima omnes angustias & tormenta, quæ filius in suo corpore sustinebat. Tunc gladius ille, vt prædixerat Sanctus & venerabilis senex Simeon, eius animam, & Virginale cor pertransiuit, & tot

Lib. 2. c. 23. V. Baron. an. 49.

Ioan. 19. 27.

Lucæ 2. 35.

Grad. 4. sect. 6.

tot plagis vulnerauit, quot crudelitatis actus, quot iniurias, quot ignominias, quot nefandas indignitatis actiones inferri videbat innocentissimo agno. quem omni naturali iure amabat vt filium, honorabat vt sponsum fœdere supernaturali sibi coniunctum; adorabat lumine viuæ fidei vt Deum. Impossibile vero est, vel verbis exponere, vel cogitationibus assequi tormenta, quæ passus est filius & angustias, quæ afflixerunt matrem. In corpore per actus maximè heroicos, qui vnquam ab aliquo exerceri possunt, se humiliauit. Quorum primus & principalis est, quòd prima omnium Virginum perpetuo virginitatis voto nuncupato, Deo se consecrauit. Votum hoc holocaustum quoddam est, quod omnes corporis humiliationes comprehendit; est voluptatum omnium priuatio; est integritas sensuum, est carnis maceratio, est abstinentia, ieiunia, & aliæ huiusmodi corporis austeritates. Votum hoc nuncupando remisit nuncium omnibus mundi vanitatibus, diuitijs, honoribus, pretiosis & mollibus vestimentis. tot autem

S. August. lib. de sancta Virginitate. c. 4.

modis amplexa est humilitatem, quot habebat, aut habere poterat bona animæ, bona corporis, & alia, quæ obtingere possunt mortalibus in hac vita. Et quemadmodum illa fuit ditissima, & maxima omnium fœminarum Domina, quæ vnquam diuinis animæ, & virtutum donis opulentæ extiterunt, ita maximè humilis, maximeque modesta inter omnes extitit.

Diuersæ & voluntariæ Angelorum humiliationes, spectantes ad hunc quintum gradum.

SECTIO XIII.

HVmilitas Angelorum in hoc quinto gradu, qui, vt ante dixi, consistit in exercitio & vsu procurato diuersarum humiliationum, PRIMÒ intelligi potest per excellentiam & subtilitatem eorum intellectûs: qui (vt primo gradu dixi) quantò acutius videt & penetrat magnitudinem Dei, & creaturæ exiguitatem, illius immensitati comparatam, tantò magis sese abijcit coram infinita eius Maiestate, excitatque ad exercendas omnes omnino

Grad. 2. sect. 15. & 2. sect. 6. 3. sect. 22.

omnino humiliationes, quæ ad obsequia Domini sui, & ad promotionem eius creaturæ esse possunt. SECVNDÒ per exhibitionem seruitiorum, quæ hominibus naturâ & conditione se longè inferioribus exhibent; ijs ab ipsa iam eorum conceptione assistentes; deinde eos in peregrinationis via comitantes, erudientes, necessaria vitæ præbentes, & solatium in mortali hac vita ferentes, facientes insuper modo inuisibili, quicquid Angelus Raphael visibili fecit Tobiæ. Quæ humiliationes haud dubiè maiores sunt, quàm si primogenitus alicuius potentis Monarchæ se eò demitteret, vt alicuius hominis plebeij Pædagogum ageret, ei in omnibus, & per omnia inseruiens. Et (quod est punctum consideratione dignum, quodque quarto gradu, occasione eorum patientiæ adnotaui) ad hæc liberè & non coactè sese abijciunt, & exercent, iuxta Dei ordinationem, in patientia, ad ferendas non solùm infirmitates eorum, quorum ijs à Deo commissa est custodia, sed etiam peccata, irreuerentias & iniurias, quas illis irrogant, quoties facinus aliquod in eorum

Grad. 3. sect. 21. 4. sect. 2.

Tob. c. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12.

rum præsentia perpetrant. Quos procul dubio repentinis mulctarent supplicijs, nisi eorum humilitas, quæ sese inflectit & accommodat ad placitum diuinæ misericordiæ, vt ante declaraui, eos cohiberet. Vnde quemadmodum humilitas basim substernit ac locat obedientiæ & patientiæ horum diuinorum spirituum, ita eadem eorundem constantiam corroborat, vt totos sese impendant peccatoribus, eorum salutem semper promouendo. ideoq; illorum humilitas semper est fulcrum & fundamentum magnarum virtutum.

Obedientia Angelorum Grad. 3. sect. 22. Patientia autem Grad. 4. sect. 42.

TERTIÒ addisci potest humilitas horum filiorum honoratiorum Dei, in vsu imaginum iuxta receptam consuetudinem Ecclesiæ Dei, tam in lege Mosaica quàm in lege gratiæ. Etsi enim eæ per homines conficiantur, dubitandum tamen non est, quin in ijs sibi complaceant, dum per eas visibiliter repræsentantur iuxta voluntatem sui creatoris, ad significanda humilitatis obsequia, quæ tum ipsi, tum membris eius Ecclesiæ inuisibiliter præstant. in quo egregiè suam ostendunt humilitatem. Moyses duos Cherubin aureos produ-

Exod. 25. 18.

productiles fieri curauit, qui alis suis tegebant propitiatorium Arcæ fœderis. Salomon etiam ad imitationem huius, duos fecit, sed maiores, decem scilicet cubitorum altitudinis, de lignis oliuarum, quos texit auro. fecit & alios ad parietes sanctuarij, sed dimidiæ tantum longitudinis, *& omnes parietes templi per circuitum sculpsit varijs cælaturis & torno, & fecit in ijs Cherubin & palmas, & picturas varias, quasi prominentes de pariete & egredientes: & in ingressu oraculi fecit ostiola de lignis oliuarum, postesq; angulorum quinque, & texit ea auro purissimo.* Hæ imagines inuisibile Angelorum obsequium & humilitatem in honorando Deum, in propria domo ostendebant, & per diuersas actiones charitatis, reuerentiæ, adorationis & alias, velut per diuersas figuras auro vestitas inuitabant visibiliter populum ad amorem & admirationem illius. In lege gratiæ frequentior & celebrior earum est, & fuit vsus. qui cùm introductus sit inter populum sublimiore & altiore in Academia instructum, quàm fuerit Iudaicus, nullum ei imminet periculum, vti imminebat Iudaico, adorandi Angelos cultu indebito, dum eorum intuetur

3. Reg. 6. 26. 2. Paralip. 3. 10.

imagines. Porrò has imagines complures actiones in regno Ecclesiæ repræsentant, iuxta diuersa officia eorum, qui repræsentantur: aliquando enim visuntur in situ adorationis; aliquando admirationis; ibi cantant & admirantur Christi natiuitatem; hîc comitantur eundem Christum in Ægyptum proficiscentem; ibi illi seruiunt in deserto; hîc consolantur in Oliuarum horto; ibi gestant instrumenta Passionis & crucis, vt clauos, virgas, scuticas, flagellationis columnam, & spinarum coronam; hîc tenent candelabra, faces, & luminaria: nunc cantant musicè, nunc in alio situ, & figuris conspiciuntur, vsitatis tamen secundum Dei spiritum. vt huiuscemodi visibilibus figuris demonstretur varietas inuisibilium obsequiorum humilitatis, quæ hi aulici cælestes interius exercent ad honorandum suum Regem & Creatorem, & ad excitandum populum Christianum ad deuotionem & pietatem. Habent autem huiuscemodi repræsentationes fundamentum in veritate, faciunt enim Angeli, quod significant, & etiam plus, vti scriptura & sacræ

cræ

cræ historiæ testantur. Legimus in veteri testamento Angelum, Agar Abrahæ ancillæ venisse subsidio, ei fontem ostendisse, ad suam, & filij sitim morientis in deserto, extinguendam. Alius extraxit Loth de incendio Sodomorum. Item integer Angelorum exercitus adfuit Iacobo Patriarchæ cum suis ex Mesopotamia redeunti, & timenti aduentantē fratrem Esau; vnus item cum eodem luctatus est vsque mane. Princeps exercitus Dei se ostendit Iosue, tenens gladium euaginatum ad eum animandum. Alius se Patri & matri Samsonis visendum præbuit, ijs prędicens natiuitatem & fortitudinem illius. Raphaël egit ducem, procuratorem, & interpretem negotiorum, atque adeo etiam nuptiarum iunioris Tobiæ: quin & medicum Tobiæ senioris patris. Alius tulit panem subcinericium Eliæ, quo confortaretur & recrearetur in sua lassitudine. Istæ igitur repræsentationes vera & visibilia sunt indicia, quæ nobis demonstrant charitatem & inuisibilem assistentiam Angelorum, sicut & eorum humilitatem interiorem in exterioribus eorum imaginibus, quæ oculis videntur.

Gen. 21. 19. Gen. 19. 22. Gen. 32. 1. 2. 24. Iosue 5. 15. Iudicum 13. 3. Tobiæ 5. Grad. 3. sect. 22. 3. Reg. 19. 8.

Diuersa exempla de ijsdem Angelorum seruitiis & humilitate.

SECTIO XIV.

Septem Angeli Apocal. 8. 2.

SAnctus Ioannes in sua Apocalypsi scribit se vidisse septem Angelos in conspectu Dei, quibus datæ sunt septem tubæ; & alium Angelum ante altare habentem thuribulum aureum, & data sunt illi incensa multa, quæ sunt orationes sanctorum, & accepit Angelus thuribulum, & impleuit illud de igne altaris. *Et septem Angeli, qui habebant tubas, præparauerunt se, vt tubâ canerent.*

Septem phialæ Apoc. 15. 7. 16.

Et alibi, *septem Angelis data sunt septem phialæ aureæ, plenæ iracundiæ Dei viuentis in sæcula sæculorum. alius autem Angelus ligauit antiquum serpentem & misit eum in abyssum.*

Draco Apocal. 1. c. 20. 1. V. annot. Baron. in Mart. Rom. 16. Aug. Ioan. Dia. in vita S. Greg.

Refert historia Ecclesiastica Sanctum Rochum à peste per Angelum visibiliter ei apparentem liberatum fuisse; item alium in habitu & statu pauperis hominis iam iam naufragium passi, petijsse à Sancto Gregorio Eleemosynam. qui, cùm ei sex nummos argenteos & scutellam item argenteam dedisset, postea inter peregrinos duodecim, quos conuiuio

conuiuio idem Sanctus excipiebat, decimus tertius inuentus est, nullique alteri quàm Sancto Gregorio cognitus fuit: cui dixit Angelus se ei in custodiam datum, vsque ad vltimam vitæ periodum. Solenne & frequens erat antiquitus Angelos circa altare comparere, præsertim verò consecrationis tempore, præsente iam Christi corpore, vti euênit illi Religioso, qui dicens, factâ eleuatione, hæc verba: *iube hæc perferri per manus Angeli tui*, vidit magnum angelorum agmen, cum stolis albis, & eorum principem ad cælum eleuari. Hinc Sanctus Chrysostomus persæpe sumit occasionem excitandi Christianos exemplo Angelorum ad reuerentiam huius tanti sacrificij. Quodam suorum operum loco dicit: cùm audieris OREMVS, & videris vela altaris retrahi, cogita tum cælum aperiri, & Angelos inde descendere: & alio in loco refert à viro quodam Sancto celebranti visam magnam Angelorum multitudinem in splendido habitu, circundantium altare, & inclinantium se, vt solent milites coram Rege. & in alio: *non credis, inquit, hic inuisibiliter*

In Monasterio Sauiensi in Vitis Sanctorum dist. 2. exemp. 88.

In can. Missæ.

Hom. 61. ad populum Antiochenum.

idem lib. 6. de sacerd.

Hom. 1. de verbis

ter præsentem esse dominum, & vniuscuiusq; gestus & mores notare, & conscientias intueri? an non credis Angelos admirandæ huic mensæ adesse, eamq; magna cum reuerentiâ, veluti coronâ cingere? Legitur quodam die Sanctus Antonius pluribus noxijs cogitationibus afflictus ad Deum clamasse: Domine cupio animam meam saluare, & meæ me cogitationes malæ impediunt, quid ergo mihi faciendum est? hæc ruminanti adfuit Angelus qui palmas sumens in manus, cœpit labo- rare, & postea orare, & cùm sæpius alternando has exercitationes iterasset, exemplo suo docens, quòd laborando & orando saluus fieret, disparuit. Legimus etiam pauperculum quendam senem in deserto infirmum, & omni humano solatio destitutum, ab Angelo visitatum, & ei ministratum fuisse spacio septem dierum. quibus elapsis, plures è religiosis suspicari cœperunt illum infirmari, eò quòd tanto tempore ijs non esset visus. visitantibus ergo illum, disparuit Angelus: senex autem ille, vbi retulisset Monachis obsequium ab Angelo sibi præstitum, obdormiuit in Domino. Sanctus Bernardus cum canta-

Isaiæ: Vidi Dominum sedentem super solium. Isaiæ 6. 1.

B. Antonius in Vitis Patrum dist. 2. exemp. 13.

Ibid. exemp. 18.

cantaretur hymnus TE DEVM LAVDAMVS, vidit Angelos splendido habitu, hilari & augustâ facie ab vno choro in alium meare, excitantes fratres ad deuotè cantandum hunc Sanctum hymnum. Quidam alius religiosus ex eodem ordine paulò ante sui obitus diem, vidit per somnium duos Angelos relucentes, spargere lilia & rosas super locum, in quo erat sepeliendus. Longum esset omnia his similia exempla referre sunt enim fere innumera & omnia indicant humilitatem, horum diuinorum spirituum, sese submittentium ad omnia seruitia, absque vlla dedignatione. Quid multa? nihil excellenti sua naturâ putant indignum, quod cedit ad gloriam Dei & Domini sui, atque salutem animarum. considerantes enim Saluatorem Dominum & creatorem suum ad multò humiliora, & tandem ad ipsam mortem crucis, ob hominum salutem, se demisisse, nihil illis est nimis abiectum nihil nimis humile. Quare si Deus, si gloriosissima eius mater, si Angeli omne superbiæ genus oppugnarunt, & contrarias superbiæ exercuerunt, atque etiam nunc exercent

Lib. de viris illustribus ord. Cist. d. 3. exempl. 22.

Philip. 2. 8.

Hebr. 2. 9.

exercent actiones, & humiliationes subeunt propter nos, quis nostrum non conabitur pro sua, & proximi salute, ac Dei gloria, quàm proximè poterit, eorum vestigia consectari?

De humiliationibus Ecclesiæ Dei omni tempore.

SECTIO XV.

Videndum nunc est, quomodo Christus dederit Ecclesiæ suæ & eius filijs hunc humiliationis spiritum, QVEM IN EO, IN EIVS MATRE, & ANGELIS OSTENDIMVS: Vt deinceps, si tanti Domini ac Magistri veri discipuli & viua eius corporis mystici membra esse velimus, conemur pro virili eum imitari. Diximus in initio huius operis, omnes illas abiectiones, quæ aliquid pœnæ, laboris, & afflictionis spiritualis, aut corporalis complectuntur, & pro Dei honore, pro profectu nostro, & proximi salute impenduntur vocari HVMILIATIONES. Iuxta hanc significationem prosternere se adorandum, rogare Deum sibi

sibi fieri propitium, pectus percutere, ieiunare, corpus cilicijs & voluntarijs verberibus afficere, laborare mente & corpore, sunt humiliationes, quas amici Dei exercent, (maximè exemplo eius charissimi filij) vt diuinæ eius Maiestati fiant gratiores ad impetrandam peccatorum remissionem, ad animos eius gratiæ recipiendæ præparandos, ad acquirendam humilitatem, & omnes alias virtutes. Verùm inter omnes humiliationes illæ maximè diuinis ipsius oculis sunt acceptæ, quæ consistunt in anima, quæque eiusdem animæ actionibus exercentur; idque ideo, quia directè interiorem humilitatem producunt. quæ (vt dictum est primo gradu) origo & laus est exteriorum humiliationum; quia hæc illas producit, & hæc vicissim ab illis producitur, roboratur, & in perfectione dilatatur. iuuant autem se inuicem non aliter atque anima, quæ corpus viuificat, vicissimque in suis actionibus adiuuatur à corpore. Sacra scriptura nobis suppeditat humiliationes vtriusque generis, quæ & spiritualibus, qui mysteria diuina facile penetrant; & simplicibus, qui non nisi

Humiliatio alia interna, alia externa est.

nisi per corporalia & visibilia, res percipiunt, accommodari possint. Cùm
Exod. 19. 15. vellet Deus dare Moysi legem, ei mandauit, vt populum sanctificaret in tertium diem, moneretq; vt essent parati. Sanctificatio illa in hoc consistebat, vt lauarent vestimenta sua, & viri non *appropinquarent vxoribus suis intra illud tempus.* Erant hæ actiones humilitatis, sed exteriores & corporales, quæ tamen signa erant interiorum animæ, per quas quilibet admonebatur vt interius se præpararet ad recipiendam legem, & gratiam Dei. Et quandocunque festum aliquod instabat celebrandum, receptâ cæremoniâ & mandato iubebantur aliquam corporis afflictationem subire, & austeritatem quampiam præmittere. Tale erat illud mandatum, quo præcipiebatur, vt ante Paschæ solennitatem septem diebus co-
Leuit. 16. 29. & 23. 17. mederent *azymos panes cum lactucis agrestibus: mense septimo decima die mensis affligetis animas vestras*, idq; propter diem festum expiationis; & alio in loco *anima quæ non fuerit afflicta delebitur de populo suo.* Erat certis quibusdã mensibus assigna-
Zachariæ 8. 19. tum *ieiunium quarti, & ieiunium quinti, & ieiunium*

Ieiunium septimi, & ieiunium decimi, erit domui Iuda in gaudium, & lætitiam, & in solennitates præclaras. Niniuitæ ad ieiuni- Ionæ. 3.
um humiliationis adiunxerunt cilici- 5.
um, seu vt scriptura vocat saccum, & Matth.
seriò humiliauerunt animas suas, nec 12. 1.
id absque fructu: nam per sui humilia- Luc. 11.
tionem Dei iram placauerunt, qui iam 32.
manum armatam extenderat ad eos percutiendos, & penitus delendos, à quâ ruinâ iam iam imminente liberati sunt. Ciues Bethuliæ obsessi ab Holo- Iudith. 8.
ferne humiliauerunt animas suas per 1.
ieiunia, & orationes, vti refert scriptura. Iudith verò quæ singulariter ijs humilitatem commendabat, supra omnes sese humiliabat, non comedens neque bibens, sed gerebat cilicium super lumbos suos, & caput suum cinere aspergebat. Vnde per hæc & similia humilitatis exercitia celebrem illam de inimicis obtinuit victoriam. quâ & patria eius liberata fuit, & ipsa Iudith super omnes sui sæculi, & nationis fœminas fuit exaltata. Et quia vetus testamentum humiliationis huiuscemodi exemplis refertum est, veniamus ad noui.

Humiliationes in lege gratiæ.

SECTIO XVI.

THesauri legis Christianæ harum nobilissimarum humiliationum, exemplis, præsertim ijs quæ directè spectant animam, tantò sunt locupletiores, quantò efficacius Christi exemplum ad tales exercitationes desiderandas ac obeundas mouet: & quantò abundantior ab eodem data est gratia ad eas complendas, & consummandas. Habemus in Ecclesia humiliationes animæ & corporis communes in omnibus Sacramentis: in quorum exercitio, & vsurpatione oportet, vt alibi dixi, iudicium submittere fidei rerum altissimarum, & à sensibus remotissimarum; voluntatem autem obedientiæ, vsurpando res terrestres & visibiles, & easdem honorando: exempli causâ non minima iudicij humiliatio est credere totius corporis Christi molem cum omni sua quantitate, & dimensione latere sub qualibet hostiæ particula, & illud ipsum eodem temporis

ris momento pluribus in locis existere: magna item humiliatio est pœnitenti prosternere se, veluti coram Deo, ad pedes hominis peccatoris, & sua peccata, ad remissionem consequendam, ei detegere. Atqui vnica est humilitas quæ intellectum, & voluntatem ad tales actus exercendos inflectit, inducitq; ad producendas, & credendas tales virtutes: quin & inducendo, seipsam producit, augmentatque. & sine ea neque vera fides horum mysteriorum, neque eorum fructus vllus haberi potest. Vnde Sanctus Augustinus scribit, illos qui inter Paganos manserunt infideles, id ex eo prouenisse quòd HVMILES non erant. Vt autem necesse est effici paruulos mente, id est humiles, ad intrandum regnum cælorum, seu domicilium Ecclesiæ triumphantis; ita oportet esse humiles ad ingrediendum regnum Ecclesiæ militantis simul & ad acquirendam fidem, spem, charitatem, aliasque virtutes morales, & Christianas. Vt verò in hac Ecclesia sunt humiliationes animæ, vt iam dixi, ita & corporis. Quarum PRIMO LOCO occurrit ieiunium quadragesimale,

Matth. 18. 4. Sanct. August. de Ciuit. Dei lib. 10. c. 29. tom. 5. Christus inquit est humilis, vos superbi. pudet doctos ex

discipulis Platonis fieri discipulos Christi.

quod vt magna pœnitentiæ pugna, luctaque corporalis, ita apprimè idoneum armorum genus ad expugnandum Diabolum, & carnem; SECVNDO ieiunia quatuor anni temporibus recurrentia, & in sanctorum nonnullorum vigilijs; feriæ item sextæ, Sabbathi; nec non feriæ quartæ cuiusuis hebdomadæ. Quæ olim toto anno ieiunabantur: nunc indulgentiâ superiorum ieiunia diei Veneris, & Sabbathi mutata sunt in solius carnis abstinentiam; Feria autem quartâ etiam carnes permissæ sunt: quanquam etiam hodie pluribus in locis, & familijs deuotis ab ijs abstineatur. Sunt humiliationes etiam ad faciendum virtutis experimentum, tum in bonis, tum in malis externis: quin & in ipsis, vt dixi, Sacramentis. Nam in Baptismo v. g. solenniter renunciatur satanæ, & omnibus tum illius, tum mundi pompis, & vanitatibus. In pœnitentiæ autem sacramento noua semper concipiuntur proposita in posterum non æstimandi res transitorias, opes, honores, magni nominis æstimationem: & præsertim vbi de obsequio, & gloria Dei agendum erit,

erit. Quò spectat etiam continuus verbi Dei auditus, quod in templis, ore tubarum spiritualium assiduè resonat, excitans Christianos ad humilitatem, & vitam rectè traducendam. Breuiter Ecclesia Catholica corpore suo gerit spiritum sui capitis, quærens omnibus vijs, & modis sanctas humiliationes, quibus, ad imitationem sui ducis, in toto suo corpore mystico humilis corde efficiatur. Vnde etiam eo fine permittit suis membris particulares corporis afflictiones; iuxta eorum deuotiones, ad perfectius inhærendum vestigijs sui capitis.

Aliæ humiliationes circa bona animæ, & de ijs qui fingunt se stultos, amore humilitatis.

SECTIO XVII.

VIdeamus nunc praxin harum humiliationum in nonnullorum membrorum particularium exercitijs, vt vidimus in legibus generalibus, & consuetudinibus corporis mystici totius Ecclesiæ Dei. Initium au-

tem sumamus ab humiliationibus bonorum animæ, tam naturalium, quàm supernaturalium, vel acquisitorum, quæ sunt (vt primo gradu dictum est) BONVM INGENIVM, BONVM IVDICIVM, FACILIS VOLVNTAS, & præstans MEMORIA. Principale autem & summi momenti punctum humiliationis in ijs est, vt qui ea habet, de ijs nullo modo se iactet; nec eorum occasione gloriam quærat ab hominibus; fugiat autem studiosè omnem superbiæ ventum: & exemplo Saluatoris ea seruet in secreto; communicet tamen eorum fructus, vbi & quando expedit, suo proximo. Quod difficile non erit ei, qui solidè in ascensu cordis sui locauerit superiorem gradum, & identidem recognouerit se inutile terræ pondus: quin imo minus quam nihil, si eum contingat donis à Deo sibi datis aliter vti, quàm docet primus gradus. Meminerit autem nulla prorsus occurrenre occasione se alteri præferre debere, quod secundus; habere item voluntatem, vt ob ea nullo modo æstimari, aut laudari velit, quod tertius; ferre insuper omnes contemptus

ptus patienter, quod est regula quarti. Qui huc vsque pertigerit tantos censebitur fecisse progressus, vt nullam aut perexiguam habiturus sit difficultatem in locando quinto gradu. qui est acceptare omnes oblatas humiliationum vias, &, si non offerantur, sedulò eas quærere: fugere autem solerter omnes obuias vanitatis occasiones. Et non solùm cauere, ne ob hæc naturæ dona, si quæ quis habeat, mundanam quærat gloriam, sed omnes ingenij sui vires, cogitationesque eò transferre debebit, vt ea sapienter abscondat. Idem factitandum erit circa dona, & gratias supernaturales, vt deuotionem, castitatem, patientiam, &c. item scientias Theologicas, naturales, cognitionem creaturarum, cælorum exempli causa, elementorum Mathematicæ, & aliarum qualitatum, & ornamentorum animæ. quæ ipse, quantum in se erit, occultabit; vel si necesse erit, ea in publico palàm facere, cauebit diligenter, ne ob ea vnquam sibi complaceat, multò minus se iactitet.

Sic Beatus Ignatius mira taciturnitate sua omnia contexit. Rib. in eius vita lib. 5. c. 3.

Sic Beatus Franciscus Xauerius apud Horat. Turcell. lib. 6. c. 8.

Euagrius mira refert de antiquis Philosophis Christianis Palæstinæ, quos

vocat monachos; dicit enim, quòd postquam priuatim progressus non mediocres in virtutibus fecissent, eos in publicum prodijsse, ex humilitate simulantes se mentis non esse compotes: atque ita, cùm mente capti haberentur, stultitiam ipsam, vanam gloriam, vanam complacentiam, & philautiam pedibus conculcâsse. Talis fuit Simeones Emosenus, qui in abscondito egregias & admirandas virtutum actiones exercebat, in publico autem talem sese exhibebat (nulli tamen mortalium illata iniuriâ, aut nocumento) vt passim ab omnibus stultus haberetur. Talis & illa Virgo, de qua suprà, quæ se stultam fingebat. Isthæc est virtus, quam deuotus Climacus notat, dum dicit magnam esse humilitatem, prudenter abscondere sapientiam, eamq; tantò maiorem, quantò donum est pretiosius, & quantò magis à mundo videri vellet. Homines qui semper sapientes volunt haberi, non magni facient tales simulationes & fictiones, sed dicent fortassis, opus hoc esse monachorum: nihilominus cogentur fateri veritatem antiqui prouerbij: *stultitiam*

Lib. 1. hist. Eccles. cap. vlt. & lib. 4. c. 33.

Grad. 2. sect. 22.

Humilitas cauta sapientiæ occultatio

Clim. grad. 25.

piam simulare suo loco, magna est sapientia. suo loco, id est ad euitandum aliquod malum, vel ad acquirendum magnum aliquod bonum. Dauid Rex non reprehendenditur, quòd similem se insipienti in aula Regis Achis ostenderit ad periculum mortis euadendum. Laudatur Solon inter Ethnicos, quòd simili fictione vsus fuerit ad persuadendum Atheniensibus, absque vitæ suæ periculo, vt bellum inferrent Salaminæ. sub pœna enim mortis vel de ea re loqui prohibitum erat. Brutus etiam celebratur quòd similiter egerit, vt socios suos anteuerteret, quibuscum pergebat ad consulendum Apollinis oraculum. Et, si ob aliquem bonum finem non est vituperabile simulare se stultum (esto non sit) erit ergo gloriâ dignum simulare, ad fugiendam vanam gloriam, vt grande aliquod malum, & etiam ad acquirendam humilitatem, quæ maximum est bonum. Cui vel animus, vel occasio deerit hoc faciendi, debebit nihilominus tali modestiâ tum in verbis, tum in operibus vti (quatenus euitet omnem arrogantiæ speciem) & præparatione animi desiderare,

1. Reg. 21. 13.

Plut. in Solone. Plin. de viris illust.

siderare, vt talis putetur. nullâ tamen per vllam mentis hallucinationem, aut alia opera ficta, aut verba extra propositum prolata, datâ iustâ occasione.

Christiani æstimati stulti in suis sapientiæ & humilitatis operibus; & de eorum constantia; ac de stultitia mundanorum.

SECTIO XVIII.

TEmpore nascentis Ecclesiæ Christiani ab infidelibus æstimabantur insani: quòd non multùm curantes, imperterriti viuebant Christianè, & constanter prædicabant IESVM Christum crucifixum. non obstante quòd
1. Corint. 1. 23. *Iudæis erat scandalum, & gentibus stultitia, sed ijs qui saluantur virtus, & sapientia Dei.* Et certè quicunque Saluatoris sincerus vult esse discipulus, & dignè nuncupari nomine Christiano, hanc sapientem
S. Greg. lib. 27. moral. c. 27. stultitiam amplectatur oportet. *si verè volumus esse sapientes, inquit Sanctus Gregorius, & desideramus hanc eandem Dei sapientiam contemplari, humiliter nos stultos recognoscamus; nocinam derelinquamus sapientiam,*

entiam, & *addiscamus laudabilem fatuitatem.* hoc enim est, quod scriptum est: *quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes.* Item, *si quis inter vos videatur sapiens in hoc sæculo, stultus fiat ut sit sapiens.* 1. Corinth. 1. 27.
Non solis verò loquitur religiosis, sed omnibus Christianis. Vnde expositioni huic applicat historiam de pusillo Zachæo, sed diuite & publicanorum principe, qui desiderans videre Saluatorem, nec posset ob paruitatem suæ staturæ, & multitudinem concurrentis populi, conscendit arborem Sycomorum, vel arborem stultarum ficuum, illincque vidit eum transeuntem, ab eodemque largam accepit benedictionem. Hoc faciendum est ijs omnibus, qui desiderant Christum in hac transitoria, & labili vita, fide verâ intueri, & in altera, in conuiuio beatorum, cùm eo æternùm epulari. Nec multùm interim debent esse soliciti, an æstimentur stulti, dum leges Christianas accuratè seruant, & vacant rebus suæ salutis, ieiunantes, plorantes, corpora sua affligentes, persecutiones cum patientia sufferentes, & alia pia, & sancta opera exercentes: quæ mundi sapientes

Luc. 19. 1.

entes stultitiæ opera arbitrantur. Sed veniet, mihi crede dies, quando miserabiles illi palinodiam canent, & confusione pleni agnoscent, quòd illi ipsi fuerint stulti. quando præ angustia spiritûs gementes, dicent de ijs, quos
Sap. 5. 3. contemnebant: *hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam: & finem illorum sine honore: ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est.* Ita recognoscentes suam stultitiam, sed, prô dolor! nimiùm tardè, loquentur de iustis saluatis. Christiani ergo huius temporis discant à primis, innocentioribus Saluatoris discipulis, discant inquam non plus moueri contemptu, quàm laude humanâ, nihilque curare, si ab hominibus impijs reputentur superstitiosi, & stulti à stultis ac hypocritæ ab atheis, dum Deo seruiunt & bene agunt. confortent ergo se spe acquirendi in die iudicij locum honorabilem cum iis, qui honorabuntur vt sapientes: & hoc iudicio & calculo supremæ sapientiæ.

Humilia-

Humiliationes intellectûs non inuestigantis scientias curiosas, sed submittentis se iudicio Dei.

SECTIO XIX.

HVmilis, inquit, Sanctus Climacus, non requiret vnquam scientias curiosas, & res abditas, sed contentus erit doctrina Christiano ad salutem sufficienti & necessaria. Et si Theologus, verbi gratia sit, vel medicus, vel iurisconsultus vel alterius status, & conditionis, in ijs, quæ ad suam professionem spectant, conquiescat. Hoc docet sapiens, quando sic loquitur: *quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, & in pluribus operibus eius, ne fueris curiosus. non est enim tibi necessarium, quæ abscondita sunt videre oculis tuis, multos quoque supplantauit suspicio illorum, & in vanitate detinuit sensus illorum.* Idem documentum suis discipulis dat Sanctus Paulus: dum monet Timotheum, vt caueat, ne Christiani *intendant fabulis & Genealogiis interminatis: quæ quæstiones præstant magis, quàm ædificationem Dei.* Hoc idem documentum sæpius inculcat epistolis, tam ad Timotheum, quam

Grad. 25.

Eccl. 3. 22. 23. 26.

1. Timot. 1. 4.

quàm ad Titum. res enim est summi momenti & efficaciæ ad portam claudendam vanæ curiositati, & curiosæ vanitati hominum. quæ postquam sat diu eos ludificârit, præcipites dat in barathrum. Hoc est vitium illud, quod hisce nostris sæculis omnia generauit vitia, hæreses, politicismos, atheismos, magîas, sortilegia, & omnem aliam inferni progeniem, ac omnem detestabilium abominationum colluuiem. Nam cùm ingenia curiosa volunt inuenire materiam raram, & ante nulli visam, ad reddendas officinas suas celebriores, suo rostro instar suis cuiuspiam perscrutantur omnia, & naso suo abditas fabulas, ac res prophanas malesanorum scriptorum, magicorum atq; Atheorum indâgant; quò superbiæ suæ ingluuiem, & abdomen impleant. & cùm naturam ciborum istiusmodi suxerint & imbiberint, tales efficiuntur, qualis eorum auctorum est doctrina, quâ vescuntur. Et quid? tandem in stolidis suis cogitationibus euanescũt, credentes suam stultitiam vnicam esse sapientiam. Contrà, filij Dei locati & fundati super hunc humilitatis gradũ,
tom. 1. 41.
qui

qui docet submittere intellectum rebus, etiam capacitatem humanam excedentibus, contenti sunt scientiâ cælesti, adiunctâ eâ, quæ eorum vocationi conuenit. De cætero suum iudicium longâ consuetudine, & omni cum humilitate didicerunt subijcere operibus, & iudicijs Dei, quæ ipsi penetrare nequeunt, diceréque talibus occurrentibus difficultatibus cum S. Paulo ad Romanos. *O altitudo diuitiarum, sapientiæ & scientiæ Dei: quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!* c. 11, 33.

De submittendo iudicio difficilibus mandatis Dei, vel superiorum.

SECTIO XX.

AD eundem gradum spectat iugo fidei submittere res non solùm spectantes ad fidem, vt dictum est, sed etiam illas ipsas omnes executioni mandare, quas ipse Deus, aut homines ex parte ipsius mandandas imperârunt: esto nostro sensui & iudicio quàm maximè repugnent. Ita fe- Grad. * sect. 9. 10.

Gen. 22. 2. cit Abraham, quando ei Deus mandauit offerre filium suum Isaac. Mandatum certè, quod non solùm sensui, sed etiam intellectui negotium facessebat. poterat enim illi videri res prorsus repugnans promisso Dei, quo ei promiserat futurum, vt semen eius multiplicaretur, *vt stellæ cæli, & arena, quæ est in littore maris*; & eo fine ei dederat filium; quem tamen in sacrificium supra altare sibi ab eo offerri iubebat. Poterat Abraham tales formare discursus, sed maluit, relictis suis cogitationibus inter se pugnantibus, vni Deo præpotenti & per omnia fideli (qui potest & vult implere omne suum promissum) fidere. ideo omnia præteriens, vni iussioni diuinæ suum subiecit intellectum,

Rom. 4. 18. & *credidit in spem contra spem*, vt loquitur Sanctus Paulus. quòd nimirum Dei promissio implenda esset; ac proinde sacrificio offerendo, iubente Deo, se accinxit, re etiam ipsa impleturus, nisi impediuisset ipse Deus. super humilitatem autem huius cæcæ obedientiæ fundata fuit benedictio multiplicandi eius seminis, iuxta promissionem ex ore diuino profectam. Res olim erat

vsitata

vsitata inter perfectos Christianos, vt sese exercerent in sancta hac humiliatione, submittendo proprium iudicium superiorum suorum iudicijs, non inuestigatâ ratione, an bene, aut male præciperetur, contenti simpliciter obedire, vbi nullum peccatum manifestè apparebat. Ita narrat Cassianus quòd quidam egregius Dei seruus, dictus Ioannes, mandato sui superioris anno integro siccum ligni truncum ex communi domûs lignili acceptum, & in terra plantatum irrigârit. Item quòd tentârit mouere lapidem, quem ne multi quidem homines coniunctis viribus mouere potuissent; non solicitus examinare, an opus præceptum esset possibile, & vtile, sed solùm bene obedire: credens obedientiam, Dei causâ præstitam non posse esse inutilem, & absque merito. Et quidem Deus, factis miraculis, sæpe ostendit obedientiam tali cum submissione intellectûs factam, sibi comprimis placere. quod ostendit exemplo, quod refert Sanctus Gregorius, Beati Mauri, Diui Benedicti discipuli, qui eius mandato lacum intrans ad liberandum hominem, qui

Cassian. lib. 4. n. 24. & 26. Ioannes Abbas.

S. Ignatius in ep. de obedientia. secti 18.

iam iam mergendus erat, & saluus atq; incolumis ambulauit super aquam, vt alter Sanctus Petrus, & eum ad quem erat missus liberauit. Et alius cui à superiore erat demandatum vt certam leænam ad se adduceret, adduxit absq; vlla sui læsione, velut ouem aliquam.

In vitis Patrum 2. ...liad. de ...oed.

Præter Abraham complura habemus exempla in sacris litteris, de hac intellectûs subiectione; sed duobus tantùm erimus contenti: Gedeon, mandante Deo, cum trecentis viris exercitum Madianitarum (qui innumerabilibus prope hominibus, & camelis constabat) aggressus est non magno armorum apparatu, neque multis instrumentis, machinisq; bellicis instructus; sed tubis tantùm, & lagenis vacuis, lampadibus impositis, in eos irruit ac prostrauit. Oportuit equidem eximium hunc ducem iudicium suum, & cogitationes, mandato rei gerendæ, quæ contra omne iudicium, & spem humanam suscipienda videbatur, insigni humilitate submisisse. Vnde victoriam tantò gloriosiorem, quantò minus (audito Deo) iudicio proprio & medijs nitebatur humanis, reportauit.

B. Ignatius, vbi ... Iudicum 7.

Isaias

Isaias nobilis Propheta, vir grauis, & sanguine regio oriundus mandatum accepit à Deo, vt nudis pedibus incederet per ciuitatem: obediuit, remouens ab oculis sui intellectûs omnes rationes humanas: nil aliud mente tractando, cogitandoque, quàm vt coram Deo se humiliaret, & diuinam eius voluntatem adimpleret, missâ omni indagatione, & consideratione earum rerum, quas poterat hæc executio secum trahere. Est igitur eximium humilitatis exercitium submittere suum iudicium in rebus, quas Deus, vel per se, vel per suos seruos præcipit, esto exsuperent capacitatem nostri intellectûs. Humilitas hæc est actus fidelitatis, & prudentiæ, quem in fine vitæ, magna Dei gloria, & spiritualis requies eorum, qui eius amore, diuinis se iudicijs submittunt, comitabitur.

De Humiliatione voluntatis.

SECTIO XXI.

INstruimur tum ijsdem sacris litteris, tum sanctorum doctrinâ, vt

 humi-

Grad. 3. humiliemus nos etiam in alijs donis
sect. 14. naturalibus animæ, scilicet in voluntate, & memoriâ. Humiliare voluntatem est eam flectere ad voluntatem Dei, aut superioris, qui loco Dei præcipit. hoc est non facere propriam voluntatem, seu id quod suadet sensibilis appetitus, sed quod lex diuina, & ratio mandat; in summa est seipsum ab-
sect. 7. negare. de quo fusè satis disseruimus gradu tertio. qui docet, quòd is, qui humilitatis pretium & valorem indâgat, debeat in omnibus, & per omnia habere voluntatẽ se humiliandi. Quartus gradus reddit hominem patientem in humiliationibus; hic autem quintus in eo totus est, vt doctrinam tertij mandet executioni, & per egregia humiliationis opera ad praxim deducat. Et id quidem præstat non tantùm habendo patientiam, vt docet quartus, sed etiam actionem exercendo, vti dixi. Hic non est opus longos texere catalogos humiliationum voluntatis; quot enim sunt modi obediendi, & submissiones sanctorum, quas supra citaui, & refert scriptura, alijq. sacri codices, tot sunt exempla humiliationis

liationis voluntatis. obedire enim aliud non est, quàm inflectere propriam voluntatem ad nutum alterius, & obedientia, quæ gaudet nomine virtutis, gaudet & adimpletione voluntatis Dei, superioris, & magistratûs à Deo ordinati. Obedientia enim coacta, est subiectio & submissio mancipiorum, & seruorum: quæ neque laudem, neque meritum habet. Porrò, vt facilius voluntas se inclinet ad obediendum, oportet intellectum, qui eius est Consiliarius, bene esse instructum ad submittendum se iudicio superioris (vt paulò ante dicebam) vt vbi eum fauentem illa habuerit, ei sanum det consilium, & ostendat id, de quo agitur, esse bonum. eam item inflectat & moueat ad illius amorem, & desiderium. Exempli causâ esse vtile, ac salutare, pœnitentiam agere, ieiunare, proprium corpus macerare, vigilare, cilicium super nudum corpus gestare, studijs inuigilare, aut ab ijsdem abstinere; loqui, vel tacere, & alia opera exercere, quæ sensibilis appetitus non parum refugit: voluntas autem, accepto ab intellectu lumine, complecti, & exequi

equi ea debet. Quandocunque ergo iudicium, & voluntas simul conspirant ad executionem alicuius mandati, obedientia minimè est difficilis: sed si iudicium subditi non concordat cum iudicio eius, qui aliquid mandat, & rem præceptam iudicat non esse bonam, difficulter admodum voluntas mandatum exequitur. Quòd si voluntas autem non accommodat consilio intellectûs, nulla potest esse obedientia. Vtraque ergo potentia est humilianda, renunciando æquè proprio iudicio, atque propriæ voluntati, vt tum Deo, tum superioribus propter Deum liberè & fideliter obediatur. Occasione huius cæci iudicij prorsus necessarij ad bene obediendum, exponam breuiter factum quoddam Caroli Magni, quod hic documenti loco esse potest. Die quodam hic Imperator pugnans in Hispania contra Saracenos, eius exercitus astutiâ hostium fuit dissipatus: ea autem erat, quòd hostes se habitu formidabili vestiêrant, capitibus suis apponendo cornua, & toto corpore monstrosas figuras gestando. hoc ornatu & apparatu inierunt prælium, rugientes instar

instar leonum & taurorum. & quidem tam horribiliter, vt eo rugitu, & forma informi territos ac in fugam actos militum equos, impossibile fuerit ad officium reducere, multò minus ad impressionem in hostes faciendam inducere. Quare Imperator die insequenti antistratagemate vsus, curauit omnibus equis aures obstrui, & oculos velari, & ita instructis equis die altero commisit prælium, & gloriosam obtinuit victoriam. Exemplum hoc ostendit diuersis in rebus necessarium esse ad bene & vtiliter obediendum, obstructas habere aures, & oculos clausos vanis clamoribus & phantasmatibus (quæ inimicus suggerit non solùm sensui, sed etiam humanæ rationi) & simpliciter, & absque superfluo ac impertinenti discursu præstare obedientiam, abnegatis proprio iudicio & voluntate: nec non rationabiliter, & cum virtute id facere, quod bestiæ illæ, deceptæ hominum artificio, absque ratione fecerunt. Hæc cæca est obedientia, quam, qui male sani sunt mente, intelligere nequeunt, eam autem sacra scriptura magnopere laudat.

Virg. Epigr. de Sirenibus. Alciat., Embl. 115. Sirenis Vid. Chil. Eras.

Et meritò: nam si etiam in Vlysse, vno de mundi sapientibus, iudicatum fuit factum magnæ virtutis aures clausisse, & corpus suum ad nauis malum alligasse, ne, deceptus vocibus Sirenum, cursum suum interrumperet, aut alio dirigeret, oblitus interim Ithacæ patriæ suæ; quantò maioris erit virtutis obstruere nostri iudicij aures, ne audiatur vox & suggestio nostræ philautiæ, quæ instar blandarum Sirenum conatur nobis conciliare somnum, & legum Dei ac mandatorum (quæ in viam virtutum, & in æternam cælestis patriæ requiem nos dirigunt) obliuionem inducere.

Humiliatio memoriæ.

SECTIO XXII.

QVod ad humiliationes memoriæ spectat, ea dirigenda est bonis legibus, & assuefacienda sequentibus exercitijs. PRIMÒ vt eorum omnium meminerit, quæ nos humiliare possunt, consideratione magnitudinis Dei ac operum sapientiæ, & potentiæ

potentiæ eiusdem; benefactorum item, iustitiæ, ac iudiciorum. SECVNDÒ, vt nostri ipsorum, id est, nostræ infirmitatis, peccatorum, imperfectionum, lapsuumque recordemur. Ista erant puncta, quæ Dauid in codicillis cordis sui sæpe sæpius redigebat, quando dicebat: *Domine dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra! quoniam eleuata est magnificentia tua super cælos;* Psal. 8. 2.
item, *memor fui operum Domini, quia memor ero ab initio mirabilium tuorum:* item, *memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt: & iustitiâ tuâ exultabunt:* item, *memor fui iudiciorum tuorum Domine, & consolatus sum:* Psal. 76. v. 12. Psal. 144. 7.
item, *iustitia tua sicut montes Dei, iudicia tua abyssus multa.* Harum rerum recordatione humiliabat se coram diuina Maiestate. Sæpe etiam memoriâ reuoluebat animæ suæ infirmitates & peccata, & Deo pro auxilio & misericordia ea repræsentabat. Vnde in alio Psalmo dicebat: *infirmata est in paupertate virtus mea, & ossa mea conturbata sunt.* Et alibi: Psal. 35. 7. Psal. 30. 11.
Deus tu scis insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita. item, *non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ: non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.* item, *reminiscere miserationum tuarum Domine, & misericordiarum* Psal. 68. 6. Psal. 37. 4. Psal. 24. 6.

sericordiarum tuarum, quæ à sæculo sunt. Delicta iuuentutis meæ & ignorantias meas ne memineris Domine. Qui prouentum spiritualem elicere volet ex humiliatione suæ memoriæ, sæpe reuocet sibi in mentem huiusmodi petitiones, & in promptu habeat tanquam lumina quædam ignita, & margaritas suarum orationum, sese humilians coram supremo medico ad obtinendam ab eo suarum infirmitatum sanitatem. TERTIÒ optimum exercitium humiliationis memoriæ est, vt ea inducatur ad nouissima hominis sæpe commemoranda, MORTEM, IVDICIVM, INFERNVM, & CŒLVM: nam licet postmodum futura sint, memoria autem propriè respiciat præterita, ea tamen ad illam pertinent, non quidem in terminis futuræ suæ existentiæ, sed in nostra iam transacta notitia: quia nimirum & ea futura credidimus, & sæpe de ijs in Ecclesia Dei sermones haberi audiuimus. quæ notitia vt exhibita iam nobis, & transacta prorsus spectat ad memoriam. Ideóque monet sapiens, vt nouissima nostra meminerimus, dum
Eccl. 7. 40. dicit: *in omnibus operibus tuis, memorare nouissima*

nissima tua, & in æternum non peccabis. Recordatio enim MORTIS, sæpius mente versata, efficax est argumentum ad hominem humiliandum: in tali enim exercitio finem suum, cinerem & nihil intuetur: recordatio autem IVDICII, quod mortem consequitur, magis humiliat. constituit enim ante oculos magnum illum iudicem in suo tribunali & solio residentem ad humiliandos superbos terribili maledictionis decreto, quod contra eos pronunciabit; INFERNVS autem adhuc magis, quia est executio pœnæ & confusionis, per hoc decretum constitutæ. Recordatio verò CÆLI, excitat animas humiles, vt sese magis semper humilient, considerando quòd magnitudo istius regni infinitis modis exsuperet exiguos labores, qui ad illud acquirendum in hac vita subeundi sunt. Sed cognoscédo illius habitatores omnes esse reges, & quidem tantò humiliores, quantò maiores; tantò autem maiores, quantò in hac vita humiliores exstiterunt, ad imitationem sui Redemptoris, mirè homo excitatur; contrà, inferni incolas mente voluendo, qui prorsus

prorsus æque miseri sunt, ac superbi, iuxta notam & insigne sui principis regis superborum Luciferi. Hæ sunt humiliationes vsitatæ circa dona animæ naturalia, supernaturalia, & acquisita. Restat nunc vt loquamur de ijs, quæ exercentur circa bona & mala corporis, & ea, quæ fortuita, seu fortunæ vocantur.

Humiliationes circa bona & mala corporis.

SECTIO XXIII.

PRæcipua corporis bona, vt dictum est gradu primo, sunt sanitas, fortitudo, pulchritudo; mala autem infirmitas, debilitas, & deformitas. Filij Dei semper studuerunt, inquisitis vijs & modis omnibus, se humiliare, non secus in malis quàm in bonis, conantes inuenire fructum cælestem, tam in medijs spinis & vepribus horum, quàm in rosis & delectationibus illorum; in omnibus autem & per omnia vnicè colentes humilitatem, & oppugnantes superbiam. In sua sanitate &

tudine semper magno spiritu per
res, austeritates & exercitia salu-
n dolorem inferentia, studuerunt
us affligere; in infirmitatibus au-
& afflictionibus patienter se habe-
PRIMÒ per ieiunia & abstinenti-
cibis quibusdam. quæ abstinen-
tanquam primum tyrocinium,
nendata fuit primis nostris proge-
ibus (ad Deo in omni vitæ inno-
æ seruiendum) & post commissum
tum aliquod, omnibus sanctis
n abstinentia fuit semper in vsu,
usdem Dei misericordiam impe-
lam. Horum in genere praxin vi-
is, & in particulari in lege naturæ,
saica, vt dictum est. Et quidem
aque lege quò fuere sanctiores, eò
c etiam extiterunt accuratiores.
es bis quadraginta diebus, nullâ Exod. 44.
sâ corporis refectione ieiunauit;
fecit Elias. Quando sterilis vxor 3. Reg. 19. 8.
e per Angelum de filio concipi-
(qui fuit fortissimus ille virorum Iudicum 13. 14.
n) certior facta est, statim eidem
dem præscripta est lex de vino non
do, & abstinendo à cibis, quos
minauit: & vt filius, quem habi-
tura

prorsus æque miseri sunt, ac superbi, iuxta notam & insigne sui principis regis superborum Luciferi. Hæ sunt humiliationes vsitatæ circa dona animæ naturalia, supernaturalia, & acquisita. Restat nunc vt loquamur de ijs, quæ exercentur circa bona & mala corporis, & ea, quæ fortuita, seu fortunæ vocantur.

Humiliationes circa bona & mala corporis.

SECTIO XXIII.

PRæcipua corporis bona, vt dictum est gradu primo, sunt sanitas, fortitudo, pulchritudo; mala autem infirmitas, debilitas, & deformitas. Filij Dei semper studuerunt, inquisitis vijs & modis omnibus, se humiliare, non secus in malis quàm in bonis, conantes inuenire fructum cælestem, tam in medijs spinis & vepribus horum, quàm in rosis & delectationibus illorum; in omnibus autem & per omnia vnicè colentes humilitatem, & oppugnantes superbiam. In sua sanitate &

fortitudine semper magno spiritu per labores, austeritates & exercitia salutarem dolorem inferentia, studuerunt corpus affligere; in infirmitatibus autem & afflictionibus patienter se habere. PRIMÒ per ieiunia & abstinentiam à cibis quibusdam. quæ abstinentia, tanquam primum tyrocinium, commendata fuit primis nostris progenitoribus (ad Deo in omni vitæ innocentiæ seruiendum) & post commissum peccatum aliquod, omnibus sanctis eadem abstinentia fuit semper in vsu, ad eiusdem Dei misericordiam impetrandam. Horum in genere praxin videmus, & in particulari in lege naturæ, & Mosaica, vt dictum est. Et quidem in vtraque lege quò fuere sanctiores, eò in hoc etiam extiterunt accuratiores. Moyses bis quadraginta diebus, nullâ admissâ corporis refectione ieiunauit; idem fecit Elias. Quando sterilis vxor Manue per Angelum de filio concipiendo (qui fuit fortissimus ille virorum Samson) certior facta est, statim eidem ab eodem præscripta est lex de vino non bibendo, & abstinendo à cibis, quos illi nominauit: & vt filius, quem habitura

Exod. 44.
3. Reg. 19. 8.
Iudicum 13. 14.

tura erat, idem faceret, demandatum est. Mater Samuelis in hac humilitate fuit etiam valde insignis; Ioannes Baptista in deserto, celebris quidem fuit omnibus virtutibus inter omnes sanctos, sed maximè celebris & magnus hac virtute: nullâ vtens culinâ, neque furno, vino abstinens & siccerâ; quinimò & carne atque pane: nil aliud comedens, quàm mel syluestre & locu-
Luc. 1. stas: eius autem potus fuit aqua natu-
15. ralis. Saluator etiam nullo sumpto ci-
Matth. 3. 4. bo quadraginta diebus ieiunauit: vt
Matth. 4. suo exemplo hanc corporis mortifica-
2. tionem & humiliationem, vt diuinæ
Marci 1. Maiestati gratissimam, confirmaret.
13. Vnde Christiani, eo præeunte, & eos-
Luc. 4 2. dem gratiâ suâ adiuuante in hoc fuêre admirabiles, quia non contenti communibus Ecclesiæ ieiunijs, sibi alia particularia delegerunt: & quidem perrigida, solo pane & aqua se sustentantes. Quin etiam nonnunquam plures dies transigentes absque vlla refectione.
In vita S. Antonij. Refert Sanctus Athanasius Diuum Antonium duobus & tribus etiam integris diebus absq; vllo cibo ieiunasse, & demum quarto die post solis occasum cibos

cibos exigui momenti sumpsisse. Idem testatur S. Augustinus factitatum à pluribus Christianis, quos perfectos vocat. Scribit S. Hieronymus Beatum Hilarionem omnia obseruasse ieiunia etiam aduersa valetudine laborantem. Et quanquam hæc exercitia in sua substantia actus essent temperantiæ, tamen si finem respicias, erant humilitatis: ad illam enim tendebant. Vnde dicebat Dauid: *humiliabam in ieiunio animam meam*; id est: vtebar ieiunio ceu diuino quodam & apto instrumento, vt humilis coram Deo inuenirer: quia nôram hanc virtutem diuinis eius oculis esse pergratam. Qui ergo humilitatis exercitia à se reijciunt tanquam propria solis Religiosis, regulâ huius regis suas corrigant cogitationes, & eiusdem exemplo discant melius credere, & rectius facere. Vel tandem erubescant considerantes Ethnicos Athletas, luctatores & in stadio currentes, in suis cæptis & factis mundanis, certantes pro corona straminea, longè fuisse sapientiores, quàm sint ipsi pro rebus cælestibus, & gloria æterna consequenda: erubescant inquam, legentes vel

De moribus Ecclesiæ c. 33.

In vita Hilar.

Psal. 34. 13.

audientes, quòd hi profani bellatores pluribus abstinuerint, vt lacertis valerent, luctæ & cursui, omnibusque corporeis functionibus idonei efficerentur. Nec minori perfundantur verecundiâ, intelligendo quòd milites Romani olim admodum sobriè viuebant, abstinentes à vino, & omnibus delicijs, contenti pane, quem bis coctum vocamus, & modico lardo. Vlterius adhuc progressi sunt Lacedæmonij, vt duris belli laboribus assuescerent: nam difficile dictu est, quàm accurati erant circa actiones, quæ dolorem aliquem & pœnam adferebant, quibusque musculos fortificari rebantur. Et id solùm,
1. Cor. 9. 25. vt loquitur Sanctus Paulus, vt coronam corruptibilem adipiscerentur. Quales ergo debent esse Christiani, & quo feruore ac zelo corpus suum debent edomare & subijcere, ad acquirenda bona æterna, ipsamque immortalitatem?

De humiliatione & modestia oculorum.

SECTIO XXIV.

Dixi

DIxi ad initium huius quinti gradus & alibi, complures actiones corporis exteriores, iuxta Sanctum Benedictum computari inter actus humilitatis, vt sunt exempli causâ, oculos fixos tenere ad terram; obseruare silentium, aut loqui parum, & voce submissâ: confiteri suos defectus & peccata, non facile ridere, custodire communes regulas, & facere nonnulla alia opera, quæ diriguntur ad continendos & moderandos sensus; custodire etiam in omni re & actione modestiam Christianam. Quo fiet, vt corporis æquè ac mentis acquiratur & exerceatur humilitas. De quibus omnibus actionibus breuiter aliquid dicendum est: initiumque dicendi sumendum à visu, vt sensuum omnium nobilissimo, & in cuius exercitio diuersimodè quidem, sed manifestè visitur imago humilitatis, sicut & superbiæ. Et hoc ideo, quia oculi sunt nuncij, & indices affectionum animæ, tam bonarum, quàm malarum. Saluatoris mansuetudo maximè ex oculis relucebat, vt apparet etiam nunc in eius imaginibus, nominatim autem in ea, quæ abs-

Vide Prou. 70. chil. 2. cent. 17

Pudor in oculis, oculus impudicus cordis impudici nuncius.

Nicep. lib. 1. ecc. Chil. c. 40. & lib. 2. c. 7. de Abagaro

Edesseno- que penicillo facta est, & missa per eum
rum rege, regi Edesseno: hoc idem etiam appa-
& Dama- rebat in gloriosa eius matre, iuxta
scen. orat. quod etiam eius effigies in tabulas rela-
1. de ima- tæ repræsentant: inter omnes autem
ginibus. maximè illa, quam depinxit Sanctus
Niceph. Lucas. quæ etiam hodie habetur Ro-
Calist. lib. mæ in sacello Pauliniano Ecclesiæ di-
14. hist. ctæ Mariæ Maioris. Refert scriptura
Ecclesiast. Danielem, vbi visitatus fuit ab Ange-
c. 2. lo, oculos præ reuerentia demisisse &
Daniel. tacuisse. Publicanus Euangelicus con-
10. 15. sideratione suorum peccatorum con-
Luc. 18. tritus & humiliatus, dum à Deo eorum
13. veniam & remissionem exposceret, ne
Danielis oculos quidem ausus fuit ad cælum
10. 15. eleuare. Iob dicit, *se fædus cum oculis suis*
31. 2. *pepigisse, ut ne cogitaret quidem de Virgine.* id est, decreuisse oculos non aperire ad contemplandam Virginis pulchritudinem, ne forte contemplando, eam concupisceret. vnde apparet eum visum humiliasse, ne aliquod cordis peccatum committeret. Cùm eremita quidam nonnulla curiosius & fixius intuitus fuisset obiecta, tantum ex hac re cæpit dolorem, vt postmodum semper eos fixos in terram tenuerit. Ijdem

In vita Patrum.

oculi

oculi per contrarias actiones exercent humilitatem, respiciendo verbi gratiâ cælum, quando quis contemplatur opera diuinæ Maiestatis, eam laudando, & eius misericordiam implorando. Ita Susanna à calumniatoribus suis accusata, flens suspexit ad cælum, humilians se duobus oculorum actibus, lacrymis scilicet dolorum, & pio eleuationis intuitu. Ita etiam Dauid per similes actus humiliabat se in infirmitate & necessitate sua, & à Deo auxilium petebat. *leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi.* Item: *exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam;* Item, *oculi mei semper ad Dominum.* Christus Saluator noster in præcipuis suis actionibus, oculos suos eleuabat ad cælum, vel iuxta diuersitatem rerum agendarum ad terram defigebat, & in omni sua conuersatione ijs sanctè vtebatur, vt instrumentis sensuum omnium nobilissimis. Est enim oculus corporis intellectus, sicut intellectus est oculus animæ. Vnde homo specialiter reuerentiam, submissionem, & humilitatem aduersus Deum & homines, ijs veluti signis profitetur.

Dan. 13. 35.

Psal. 120. v. 1.

Psal. 118. 136.

fitetur. Et quidem hoc humilitatis genus semper in Ecclesia Dei sacrosanctè fuit obseruatum, præsertim verò inter viros perfectos, & etiam fœminas ac matronas Christianas. qui non solùm oculos fixos in terra tenuerunt, sed etiam eosdem ad maiorem modestiam & humilitatem velârunt.

Humiliatio silentij.

SECTIO XXV.

Silentium, quid sit.

SIlentium Antithesis loquelæ, & subiectum auditûs, est actio & signum humilitatis: & inter homines, qui iudicio pollent, nota sapientiæ & modus, vt quis addiscat bene loqui, & sapiens fiat. Themistocles requisitus per Regem Persarum vt discurreret de laudibus Græciæ, petijt vnius anni silentium, vt idioma Persicum addisceret. Sapiens dicit, *omnia tempus habent, tempus tacendi, & tempus loquendi.* Et verò si aliquod silentium laudem meretur, maximè illud, quod obseruatur, non ad scitè loquendum, vel necessitate tacendi, ex linguæ defectu, sed quod ex industria,

Plutarch. in Themist.

Ecclesi. 3. 1. & 7.

industria, ex humilitate & amore Dei suscipitur, vt bene sermo, primò coram eo, deinde coram hominibus instituatur. Discipuli Pythagoræ in scholis obseruabant silentium quinque annis, vt scientiæ, quam addiscebant, altas iacerent radices. quo elapso spatio, incipiebant de rebus discurrere. Erat silentium hoc modestiæ & prudentiæ humanæ. In Ecclesia Dei semper fuit commendatum, & obseruatum, vt surculus humilitatis Christianæ, & ornamentum sapientiæ. Filius Dei, ineffabile verbum Patris, raris admodum exemplis efficaciter illud docuit: nam scriptura eius silentium à natiuitate vsque ad annum trigesimum ætatis satis nobis aperit, dum nullam facit mentionem, quòd publicè fuerit loquutus, nisi in templo Hierosolymitano, quando dicit: *illum interrogasse & respondisse Doctoribus*: & pauca illa verba, quæ gloriosæ Matri, ætatis suæ duodecimo inuentus inter Doctores respondit. Idem fecit Sanctus Ioannes eius præcursor: sub finem autem vitæ suæ admiranda duo exempla huius silentij reliquit Christus: PRIMVM, quando accusatus coram

Grad. 2. sect. 32. vide prou. 72. Chil. 4. cent. 3. taciturnior Pythagora.

Cum silentium contineret omnia &c. sap. 18. 14.

Lucæ 2. 46. 49.

Matt. 27. 12. 14.

Marc. 15. 5. Pilato, non sine eius admiratione, nihil ei respondit: ALTERVM, quando
Luc. 23. 9. præsentatus fuit Herodi. silentium hoc humilitatis pluribus ante sæculis laudârat Propheta emphaticâ quadam de-
Isaiæ 53. 7. monstratione: *oblatus est, inquit, quia ipse voluit, & non aperuit os suum: sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum*: Indicatur hoc insigne silentium notanter duplici phrasi Hebraicâ, nimirum NON APERIET OS SVVM, & OBMVTESCET: & hoc eo in loco & tempore, negotiorum ac personarum circumstantijs, vbi quilibet solet, & pene cogitur loqui ad vitam suam tuendam; erat coram iudice, qui vehementer sollicitabatur ad eum morti addicendum, & coram rege, qui ei ad liberationem poterat prodesse, licet eius auxilio non indiguisset, si liberari voluisset, & non voluntariè pati. Scribit S.
Apocal. 8. 1. Ioannes silentium magnum factum in cælo inter Angelos, quasi dimidiâ horâ, significans diuinum respectum & submissionem horum immortalium spirituum erga Deum. Ecclesia interponit maximis suis mysterijs silentium, nomina-

nominatim autem in certis sacrosancti sacrificij locis. Idem triduo septimanæ sanctæ seu passionis à die Iouis vsque ad Sabbatum, in signum doloris accepti ex morte & humiliatione sui Saluatoris crucifixi. Tunc enim etiam campanis indicit silentium, vt olim Niniuitæ ieiunium non solùm hominibus, sed ipsis etiam iumentis indixerunt, in signum extraordinariæ tristitiæ & humilitatis; quæ Deus sibi placuisse vt sancta, ijs parcendo, ostendit. Plures sancti mira fecerunt in hac virtute. Sanctus Bernardus refert quendam, quem non nominat, fors quia tunc adhuc inter mortales agebat, tribus integris annis ore lapillos gestasse, non vt bene pronunciare, vt Demosthenes, sed vt bene tacere addisceret. alius triginta annorum spacio penitus tacuit. Sanctus Hugo Abbas Moysacensis monasterij, vt è pœnis purgatorij liberaretur anima Episcopi, qui non rarò verba risum excitantia in vita protulerat, suis religiosis silentium, vt medicinam & antidotum Episcopalis infirmitatis, septem diebus indixit, quibus finitis, anima fuit liberata. In Braban-

Alci. lib. de diuinis officijs c. 17. de Cœna Domini.

Ionæ 2. 7.

In spec. hist.

In spec. exempl. dist. 4. § 38.

Sanct. Bern. lib. de Pass. Domini.

Demosth. apud Quintil. lib. 11. c. 3. Cicer. 1. Orat. Laert. l. 2. in Euclid.

tia monasterium e
in quo religiosus v
nos silentium serua
dam incendio perir
humano auxilio su
ram Deo in silentio
solùm duo verba pro
stitit, & ignem ext
eum ad silentium se
rat, & viciſſim silenti
militatem & meritum
lentium hoc modo c
uatum est quoddam
ficax oratio, & surdu
quod operatur sine so
animam continet in
tis, & ibidem fortific
modum oris flatus rec
lem tubæ, adinſtar se
potentem edit fragore
am, ita deuotio in rigo
milis silentij, conserua
penetrat cælos, & vsqu
præpotentis pertingit.
S. Bernardus, *est religio*
tudinis nostra columna
gentiâ &
cu

In spec. exempl. dist. 5. § 58.

S. Bern. dom. post octau. Epiph. n. ser. m. 2.

tactam conſeruabunt (quælibet au- m iuxta ſuum inſtitutum) eâ ſecuri- ıte in flore ac vigore à Deo ſunt con- ruandæ. *Inter cæteras cauſas, quæ iam uingentis annis in flore, in virtute, & vigo- nobilem ordinem Reuerendorum PP. Car- buſianorum conſeruarunt, non poſtrema eſt ccurata ſilentij obſeruatio.* Eſt enim mu- us, qui terret Diabolum, eſt machina, uæ ei incutit timorem & tremorem, ſt inſtrumentum & vtenſile, quo ſan- ti æquè in excellentes oratores, atque n mutos humiles euaſerunt coram Deo, qui æqualiter intelligit ſilentium, & verba, & vult ex corde paucis ver- bis inuocari; quin & complures per ta- lem humilitatis linguam eas impetrâ- runt gratias, quas fortaſſis per longos linguæ sermo[illegible] non i[illegible]ſent, ſi Ethnicoru[illegible] qu[illegible]hendit Salua[illegible]os[illegible]mite- mu[illegible] *In multiloquio. Matth. 6. 7.*

[illegible] *pecca-*

Ve

In spec. exempl. dist. 5. § 39. tia monasterium est Affligenſ
inquo religiosus vnus, qui se
nos silentium seruabat, viden
dam incendio perire monaste
humano auxilio subueniri p
ram Deo in silentio se humi
solùm duo verba proferens,
stitit, & ignem extinxit.
eum ad silentium seruandum
rat, & viciſſim silentium ei ad
militatem & meritum apud D
lentium hoc modo cultum,
uatum est quoddam cordis id
ficax oratio, & surdum instru
quod operatur sine sono & str
animam continet in centro
tis, & ibidem fortificat. Et
modum oris flatus receptus in
lem tubæ, adinstar serpentis
potentem edit fragorem & re
am, ita deuotio in rigore & vi
milis silentij, conseruata eff
penetrat cælos, & vsque ad
S. Bern. dom. post octau. Epiph. in ser. m. 2. præpotentis pertingit. *Silentiu*
S. Bernardus, *est religionis custo*
tudinis nostræ columna. Proinde
gentiâ & solicitudine religio
custodem colent, & columna

intactam conseruabunt (quælibet autem iuxta suum institutum) eâ securitate in flore ac vigore à Deo sunt conseruandæ. *Inter cæteras causas, quæ iam quingentis annis in flore, in virtute, & vigore nobilem ordinem Reuerendorum PP. Carthusianorum conseruârunt, non postrema est accurata silentij obseruatio.* Est enim murus, qui terret Diabolum, est machina, quæ ei incutit timorem & tremorem, est instrumentum & vtensile, quo sancti æquè in excellentes oratores, atque in mutos humiles euaserunt coram Deo, qui æqualiter intelligit silentium, & verba, & vult ex corde paucis verbis inuocari; quin & complures per talem humilitatis linguam eas impetrârunt gratias, quas fortassis per longos linguæ sermones, non impetrassent, si Ethnicorum more, quos reprehendit Saluator, monens nos ne illos imitemur, verba multiplicassent. In multiloquio. Matth. 6. 7.

De humiliatione verborum in peccatorum Confessione.

SECTIO XXVI.

VT silentium tempore
tum, causa est humili
iam dixi, ita verbum
latum eandem humilitatem
profitetur. laudare virtutem
condemnare vitia, recensere
bilia, miscere sermones Chr
gnos, & ad ædificationem t
insigne quidem est humilitat
sed insignius nihil est confes
catorum, Deo & homini
quando, & vbi virtus exig
2. Reg. 2. dicendo: PECCAVI DOMI
13. exercuit humilitatis eximiæ
audire. *Dominus quoq; transtu*
tuum à te, inquit Sanctus
Latro affixus cruci cum Chri
per confessionem sui crimini
nus, quando dirigens sermo
cium dixit: *neq; tu times Deum*
dem damnatione es; & nos quiden
digna factis recipimus, hic vero nihi
Verba hæc erant verba fidei,
erant & confessio prorsus sin
militatis, digna suaui hoc ex
responso, quod ex ore eius
fenderat, quique se ad cruce
humiliârat, ad exaltandum

accepit: *amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Cõfessio peccati prima est peccantis medicina, quia illa prouenit ex humilitate; humilitas autem est antidotum superbiæ peccati omnium primi. Vnde si diabolus à se impetrare posset, vt suum confiteretur peccatum, statim desineret esse diabolus, quia ex confessione efficeretur humilis. Verùm quia nequit colere humilitatem, ideóque non vult agnoscere suum crimen, multò minus illud confiteri. Contrà, filij Dei, quia semper per humilitatem hos confessionis actus exercuerunt, ideo per eosdem in vitæ Christianæ perfectione progressi sunt. *Delictum meum,* inquit Dauid, *cognitum tibi feci: & iniustitiam meam non abscondi: dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei.* Deus quidem, vt omnia alia, sciebat id, quod hic Rex confitebatur, sed tamen delectabatur eius humilem audire confessionem, & simul mouebatur tum ad condonandum peccatum, tum ad conferendum seruo suo virtutis humilitatis incrementum. Sanctus Petrus totus quantus tremebundus peccato-

Philip. 2. 8.
Luc. 23. 43.
Psal. 31. 5.

rem se coram suo Magistro c
Luc. 5. 8. *exi*, inquit, *à me, quia homo p* *Domine*. Sancti, Marcus & L rentes vocationem Sancti telonio ad Apostolatum assu prium eius nomen dissimula pellant eum Leui: ille autem vocat Matthæum. vt hoc fac suum, qui erat hominis pe declaret. & in tali confessione liet. O quàm egregius est il vsus, & quàm præclara eloque confitetur sua peccata, & de sionem à Deo petit! speciali in Sacramento pœnitentiæ, v nitentes ad hominis morta prosternunt, & quodammod per salutarem suorum pecc confusionem emigrare ab anin biam, vt loco illius induean tatem?

Alia humiliatio loquelæ in co *infirmitatum spiritualiu* *defectuum.*

SECTIO XXV

NObile etiam & eximium humilitatis est exercitium, quando quis, absque scandalo tamen, aut alicuius præiudicio, agnoscit & confitetur suas infirmitates & defectûs spirituales: maximè quando confitenti aliquem ruborem & confusionem adferunt. De quo innumera propè in vitis & historijs Sanctorum extant exempla. Notabo nonnulla (pauca tamen, ne sim legenti tædio) ad hoc punctum summi momenti declarandum. Sancti, Gregorius Nazianzenus, & Hieronymus, singulariter quidem casti & sancti, sed horribilem in modum tentationibus carnis etiam in sua senectute, vt dixi gradu tertio occasione vanæ gloriæ, vexati, non solùm confitentur suam infirmitatem, sed etiam publicant, describunt, deplorant, & posteritati admirabili candore tradunt: & certè ea dicunt, quæ nemo de ijs credere, aut suspicari ausus fuisset, nisi illi ipsi de se retulissent. Et quidem dicunt non minori cum stupore, quàm ædificatione eorum, qui ea legunt, & considerant strenuitatem, quam ostenderūt pugnando; nec non humilitatem

De calamitate animæ, & carmine aduersus carnem. item hic g. 3. sect. 38. Hieron. Epistola 22. ad Eustochium.

fitetur. Et qnidem hoc humilitatis genus semper in Ecclesia Dei sacrosanctè fuit obseruatum, præsertim verò inter viros perfectos, & etiam fœminas ac matronas Christianas. qui non solùm oculos fixos in terra tenuerunt, sed etiam eosdem ad maiorem modestiam & humilitatem velârunt.

Humiliatio silentij.

SECTIO XXV.

Silentium quid sit.

SIlentium Antithesis loquelæ, & subiectum auditûs, est actio & signum humilitatis: & inter homines, qui iudicio pollent, nota sapientiæ & modus, vt quis addiscat bene loqui, & sapiens fiat. Themistocles requisitus per Regem Persarum vt discurreret de laudibus Græciæ, petijt vnius anni silentium, vt idioma Persicum addisceret. Sapiens dicit, *omnia tempus habent, tempus tacendi, & tempus loquendi.* Et verò si aliquod silentium laudem meretur, maximè illud, quod obseruatur, non ad scitè loquendum, vel necessitate tacendi, ex linguæ defectu, sed quod ex industria,

Plutarch. in Themist.

Ecclef. 3. 1. &. 7.

industria, ex humilitate & amore Dei suscipitur, vt bene sermo, primò coram eo, deinde coram hominibus instituatur. Discipuli Pythagoræ in scholis obseruabant silentium quinque annis, vt scientiæ, quam addiscebant, altas iacerent radices. quo elapso spatio, incipiebant de rebus discurrere. Erat silentium hoc modestiæ & prudentiæ humanæ. In Ecclesia Dei semper fuit commendatum, & obseruatum, vt surculus humilitatis Christianæ, & ornamentum sapientiæ. Filius Dei, ineffabile verbum Patris, raris admodum exemplis efficaciter illud docuit: nam scriptura eius silentium à natiuitate, vsque ad annum trigesimum ætatis satis nobis aperit, dum nullam facit mentionem, quòd publicè fuerit loquutus, nisi in templo Hierosolymitano, quando dicit: *illum interrogasse & respondisse Doctoribus*: & pauca illa verba, quæ gloriosæ Matri, ætatis suæ duodecimo iuuentus inter Doctores respondit. Idem fecit Sanctus Ioannes eius præcursor: sub finem autem vitæ suæ admiranda duo exempla huius silentij reliquit Christus: PRIMVM, quando accusatus coram

Grad. 2. sect. 32. vide prou. 72. Chil. 4. cent. 3. taciturnior Pythagora.

Cum silentium contineret omnia &c. Sap. 18. 14.

Lucæ 2. 46. 49.

Matt. 27. 12. 14.

Marc. 15. Pilato, non sine eius admir
5. hil ei respondit: ALTERV
Luc. 23. præsentatus fuit Herodi. sile
9. humilitatis pluribus ante
dârat Propheta emphaticâ
Isaiæ 53. monstratione: *oblatus est, in*
7. *voluit, & non aperuit os suum: f*
cisionem ducetur, & quasi agnus
te se obmutescet, & non aperiet
dicatur hoc insigne silentiu
duplici phrasi Hebraicâ, ni
APERIET OS SVVM, &
SCET: & hoc eo in loco &
negotiorum ac personaru
stantijs, vbi quilibet solet,
gitur loqui ad vitam suam
erat coram iudice, qui veh
licitabatur ad eum mor
dum, & coram rege, qui
tionem poterat prodesse, li
xilio non indiguisset, si lib
set, & non voluntariè pati
Apocal. 8. Ioannes silentium magnu
1. cælo inter Angelos, quasi
râ, significans diuinum
submissionem horum im
spirituum erga Deum. E
ponit maximis suis myster

nominatim autem in certis sacrosancti sacrificij locis. Idem triduo septimanæ sanctæ seu passionis à die Iouis vsque ad Sabbatum, in signum doloris accepti ex morte & humiliatione sui Saluatoris crucifixi. Tunc enim etiam campanis indicit silentium, vt olim Niniuitæ ieiunium non solùm hominibus, sed ipsis etiam iumentis indixerunt, in signum extraordinariæ tristitiæ & humilitatis; quæ Deus sibi placuisse vt sancta, ijs parcendo ostendit. Plures sancti mira fecerunt in hac virtute. Sanctus Bernardus refert quendam, quem non nominat, fors quia tunc adhuc inter mortales agebat, tribus integris annis ore lapillos gestasse, non vt bene pronunciare, vt Demosthenes, sed vt bene tacere addisceret. alius triginta annorum spacio penitus tacuit. Sanctus Hugo Abbas Moysacensis monasterij, vt è pœnis purgatorij liberaretur anima Episcopi, qui non rarò verba risum excitantia in vita protulerat, suis religiosis silentium, vt medicinam & antidotum Episcopalis infirmitatis, septem diebus indixit, quibus finitis, anima fuit liberata. In Braban-

Alci. lib. de diuinis officijs c. 17. de Cœna Domini.

Ionæ 2. 7.

a In spec. hist.
In spec. exempl. dist. 4. § 38. Sanct.
Bern. lib. de Pass. Domini.
Demosth. apud Quintil. lib. 11. c. 3.
Cicer. 1. Orat.
Laert. l. 2. in Euclid.

In spec. exempl. dist. 5. § 39.

tia monasterium est Affligen
in quo religiosus vnus, qui se
nos silentium seruabat, viden
dam incendio perire monast
humano auxilio subueniri p
ram Deo in silentio se hum
solùm duo verba proferens,
stitit, & ignem extinxit.
eum ad silentium seruandur
rat, & vicissim silentium ei ad
militatem & meritum apud D
lentium hoc modo cultum,
uatum est quoddam cordis id
ficax oratio, & surdum instru
quod operatur sine sono & st
animam continet in centro
tis, & ibidem fortificat. Et
modum oris flatus receptus i
lem tubæ, ad instar serpentis
potentem edit fragorem & r
am, ita deuotio in rigore & v
milis silentij, conseruata ef
penetrat cælos, & vsque ad
præpotentis pertingit. *Silenti*
S. Bernardus, *est religionis cust*
tudinis nostræ columna. Proinde
gentiâ & solicitudine religio
custodem colent, & columi

S. Bern. dom. post octau. Epiph. in ser. m. 2.

intactam conſeruabunt (quælibet autem iuxta ſuum inſtitutum) eâ ſecuritate in flore ac vigore à Deo ſunt conſeruandæ. *Inter cæteras cauſas, quæ iam quingentis annis in flore, in virtute, & vigore nobilem ordinem Reuerendorum PP. Carthuſianorum conſeruârunt, non poſtrema eſt accurata ſilentij obſeruatio.* Eſt enim murus, qui terret Diabolum, eſt machina, quæ ei incutit timorem & tremorem, eſt inſtrumentum & vtenſile, quo ſancti æquè in excellentes oratores, atque in mutos humiles euaſerunt coram Deo, qui æqualiter intelligit ſilentium & verba, & vult ex corde paucis verbis inuocari; quin & complures per talem humilitatis linguam eas impetrârunt gratias, quas fortaſſis per longos linguæ ſermones, non impetraſſent, ſi Ethnicorum more, quos reprehendit Saluator, monens nos ne illos imitemur, verba multiplicaſſent. In multiloquio. Matth. 6. 7.

De humiliatione verborum in peccatorum Confeßione.

SECTIO XXVI.

VT silentium tempore s
tum, causa est humilit
iam dixi, ita verbum
latum eandem humilitatem
profitetur, laudare virtutem
condemnare vitia, recensere
bilia, miscere sermones Chri
gnos, & ad ædificationem te
insigne quidem est humilitati
sed insignius nihil est confess
catorum, Deo & hominib
quando, & vbi virtus exigi
2. Reg. 2. 13. dicendo: PECCAVI DOMIN
exercuit humilitatis eximiæ,
audire. *Dominus quoq; transtul*
tuum à te, inquit Sanctus
Latro affixus cruci cum Chris
per confessionem sui criminis
nus, quando dirigens sermon
cium dixit: *neq; tu times Deum,*
dem damnatione es; & nos quidem
digna factis recipimus, hic verò nihil
Verba hæc erant verba fidei, &
erant & confessio prorsus sing
militatis, digna suaui hoc ex
responso, quod ex ore eius
fenderat, quique se ad cruce
humiliârat, ad exaltandum

Digitized by Google

accepit: *amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Cōfessio peccati prima est peccantis medicina, quia illa prouenit ex humilitate, humilitas autem est antidotum superbiæ peccati omnium primi. Vnde si diabolus à se impetrare posset, vt suum confiteretur peccatum, statim desineret esse diabolus, quia ex confessione efficeretur humilis. Verùm quia nequit colere humilitatem, ideóque non vult agnoscere suum crimen, multò minus illud confiteri. Contrà, filij Dei, quia semper per humilitatem hos confessionis actus exercuerunt, ideo per eosdem in vitæ Christianæ perfectione progressi sunt. *Delictum meum,* inquit Dauid, *cognitum tibi feci: & iniustitiam meam non abscondi: dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei.* Deus quidem, vt omnia alia, sciebat id, quod hic Rex confitebatur, sed tamen delectabatur eius humilem audire confessionem, & simul mouebatur tum ad condonandum peccatum, tum ad conferendum seruo suo virtutis humilitatis incrementum. Sanctus Petrus totus quantus tremebundus peccato-

Philip. 2. 8.
Luc. 23. 43.
Psal. 31. 5.

rem

rem se coram suo Magistro c
Luc. 5. 8. *exi*, inquit, *à me, quia homo*
Domine. Sancti, Marcus & L
rentes vocationem Sancti
telonio ad Apostolatum assu
prium eius nomen dissimula
pellant eum Leui: ille auten
vocat Matthæum. vt hoc fa
suum, qui erat hominis pe
declaret. & in tali confessio
liet. O quàm egregius est i
vsus, & quàm præclara eloqu
confitetur sua peccata, & de
sionem à Deo petit! speciali
in Sacramento pœnitentiæ, v
nitentes ad hominis morta
prosternunt, & quodammod
per salutarem suorum pecc
confusionem emigrare ab ani
biam, vt loco illius induean
tatem?

Alia humiliatio loquelæ in co
infirmitatum spiritualiu
defectuum.

SECTIO XXV

NObile etiam & eximium humilitatis est exercitium, quando quis, absque scandalo tamen, aut alicuius præiudicio, agnoscit & confitetur suas infirmitates & defectûs spirituales: maximè quando confitenti aliquem ruborem & confusionem adferunt. De quo innumera propè in vitis & historijs Sanctorum extant exempla. Notabo nonnulla (pauca tamen, ne sim legenti tædio) ad hoc punctum summi momenti declarandum. Sancti, Gregorius Nazianzenus, & Hieronymus, singulariter quidem casti & sancti, sed horribilem in modum tentationibus carnis etiam in sua senectute, vt dixi gradu tertio occasione vanæ gloriæ, vexati, non solùm confitentur suam infirmitatem, sed etiam publicant, describunt, deplorant, & posteritati admirabili candore tradunt: & certè ea dicunt, quæ nemo de ijs credere, aut suspicari ausus fuisset, nisi illi ipsi de se retulissent. Et quidem dicunt non minori cum stupore, quàm ædificatione eorum, qui ea legunt, & considerant strenuitatem, quam ostenderũt pugnando; nec non humilitatem ac-

De calamitate animæ, & carmine aduersus carnem, item hic g. 3. sect. 38. Hieron. Epistola 22. ad Eustochium.

ac patientiam, quâ ea sut
Sanctus Gregorius, quam
mus corpore & spiritu fuer
tamen facit finem dicendi
nis suis tentationibus: plat
tur, seque accusat, vt max
ni obnoxium; gemit & ca
factâ apostrophe, increpat &

Gregor. in carmine aduersus carnem.

Nunquamne finem impones tu
impudicitiæ? Nunquamne te
stulta & miserabilis caro, spiritu
canitiei? Et paulò post, *erube*
posthac, & freno coerceto istam
am, effrenemq́; petulantiam:
petuò abuti, & impetrare istâ tu
in animæ meæ ruinam, velis.
contra te mouebo bellum, & tot
afficiam, vt debilior reddaris q
re exanimi. Has minas fide
adimpletas apparet ex alio lo
hunc modum loquitur: *In h*
nectute corpus dilacero; oculos in
mites clausos contineo: animam
rabilem tribus vicibus in die pœ
eandemq́; totidem vicibus per noct
tis subijcio; nec vllis parco curis &
vt intestinam flammam amaritu
extinguam. Sed nec, istis omnibu

Digitized by Google

valeo corpus in officio & potestate mea, prout vellem, continere. Et alibi suam deplorat miseriam in hoc, quòd in portu senectutis cogatur timere naufragium, quod tamen non vsqueadeo magnâ difficultate inter fluctus iuuentutis sibi videbatur euasisse. Res monstro similis illi videtur, se iam infernales corporis, dæmonisque flammas sentire, cùm à puero inuiolabilem castitatem seruârit. In fine diuinum implorat auxilium: & vt humilitate suâ audientes & legentes ea quæ de se scribit, ædificat; ita eosdem suis lamentis ad commiserationem mouet.

Hæc eius est breuis oratio: *Optime Deus, meam senectutem, & caput hoc canitie conspersum seruato, ac custodito ab hostium insidiis; quin & desideratum portum, post furiosam tempestatem, benignissimè concedito.* Ita ingemiscit Sanctus hic senex: ita & Dauid Rex & Propheta alia in materia vicinus senectuti, similiter ingemiscens dicebat: *Ne proijcias me in tempore senectutis, cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me: &, vsque in senectam & senium, Deus, ne derelinquas me.* Psal. 70. v. 10. & 18.

Sanctus Hieronymus eâdem humilitate Epist. ad

Eustoch. 22. militate, quâ Diuus Grego
retur & deplorat suam inf
pluribus in locis suorum op
minatim autem ad Eustoc
enim, postquam sua ieiuni
flagellationes,& alias corpo
nes atque austeritates retul
git: *ille igitur ego, qui ob gehe*
tali me carcere ipse damnauer
num tantùm socius & ferarum
intereram puellarum Romana
bant ora ieiunijs, & mens desid
in frigido corpore; & ante hom
carne præ mortuum sola libidi
bulliebant. Itaq; omni auxilio
IESV iacebam pedes; rigaba
crine tergebam, & repugnan
hebdomadarum inediâ subiuga
erubesco confiteri infelicitatis m
quin potius plango me non esse,

Isthæc est confessio &
huius Sancti Doctoris, ex
suas tentationes obscœna
& ex altera suam diligenti
stendo palàm facientis.

Sanctus Augustinus i
genere singulariter se humi

ribus suorum operum locis ostendit, & præcipuè autem in libello, quem ex instituto hac de re conscripsit confessionum. in eo siquidem suos errores, & animæ infirmitates humillimè sincerissiméque vnà cum actibus humilitatis complectitur, atq; confitendo manifestat. Vt autem illustretur, & bene concludatur inchoatus de humili confessione sermo, ob oculos ponenda est celebris illa querela, simul & confessio gloriosi Apostoli Pauli, qui non minori humilitate, quàm magnanimitate 2. Corinth.
apertè confitetur *datum sibi stimulum car-* 12. 7.
nis suæ, Angelum Satanæ, qui se colaphizet, summóque afficiat pudore; & hoc eo fine, ne occasione magnitudinis reuelationum & sublimium scientiarum se sect. 3.
extollat: quod breuiter gradu tertio attigi occasione vanæ gloriæ; hoc autem quinto gradu fusius aliquantulum est declarandum, ad laudem tam humilis confessionis, quod huc spectat.

2. Corinth. 12. 7. Grad. 4. sect. 16.

Sanctus Paulus exponitur in hoc, quod dicit sibi datum stimulum carnis.

SECTIO XXVIII.

QVia hic Sancti Paul
tùm facit ad eius g
casione materiæ h
humilitatis, & pro consol
structione plurium, neces
visum est cursim, & quas
tangere opiniones nonnu
hanc infirmitatem, si acc
carnali tentatione, hoc
gnam putant. vnde aliter
quàm conuenire videatur
& rei veritati. Dicunt eni
per CARNIS STIMVL
gendum esse aliquem dolo
Quam interpretationem P
Hæreticus falsè attribuit
sostomo. contrarium siqui
ctus sentiens illam reijcit,
non æstimans, quòd Apos
um capitis dolorem, voce
carnis, & quòd ob talem d
bescat, & tam instanter p
vt ab eo se liberet.

Alij tenent per hunc S
significari persecutiones:
adhuc est probabile. Nam
vocari potest STIMVLVS
infertur bene quòd omnes

persecutionibus pulsati sunt, dicere potuerint, se pati stimulum carnis; & in primis Christus, qui plus omnibus passus est. Porrò neque Sancti, neque vllus de ijs loquens tali vnquam metaphorâ & modo loquendi vsus est: neq; id absque causa; nam nimiùm esset rudis, & nimiùm longe petita translatio. Et verò, quis tam impropriè, non dico de Saluatore, sed vel de eius seruis audebit loqui? exempli causâ de Sancto Laurentio, supra craticulam posito, Sancto Andrea in cruce expanso, Sancta Catharina inter rotas constituta, de Sancta Agatha, Sancta Agnete in medijs flammis constitutis, & alijs sanctis martyribus in acerbitate suorum tormentorum, quòd persecutiones istas patiendo, carnis stimulo exagitati censendi sint? Vox PERSECVTIONIS nonné est clarior & conuenientior? præterea Sanctus Paulus tribus iteratis vicibus petijt à Deo ablationem stimuli carnis. Petebat ergo iuxta istam explicationem liberari à persecutionibus. & quod inde sequitur, non esse in hoc mundo membrum connumeratum inter beatos; nam ipse Matth. 5. 10.

Digitized by Google

Saluator beatos eos vocat,
iustitiam persecutionem
Quomodo igitur vel verum
mile esse potest eum petere
nem à persecutionibus, præ
perbellè nosset necessariu
quilibet suam ferat crucer
mundus aduersos ac Diabo
obices, aut vincendo perr
sustinendo, patienter toler
Luc. 14. 27. Magistri: qui dixit eum, q
am non baiulat, suâ scholâ mi
esse discipulum? nonné & i
2. Timothei 3. 12. ctus Paulus scripserat, qu
piè viuere volunt in Christo per
tientur? quodque nemo fit
2. Timothei 2. 5. nisi qui legitimè certauerit
petitio omni pudore dign
autem tali bellatore, instru
& fortissimis Sancti Spiritu
set, si tam instanter, & pre
petitis quæsisset, vt esset lib
secutione & aduersitate?
ne postulasset exceptione
liandi? & vbi suam oste
nuitatem, carens omni a
occasione persecutionis su
redigendi in praxim id, q

Saluator vocans eum ad fidem? *Ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati*, si nullam expertus fuisset persecutionem? & quomodo dicere potuisset sub finem vitæ suæ, *bonum certamen certaui &c.* & quomodo reportatæ victoriæ sperare coronam? Quare ista expositio videtur coacta, absque sensu, obscura ex claris verbis, & interpretatio parum digna virtute strenui saluatoris militis, atque ob ea, quæ ex illa deducuntur, absurda. Multò etiam minus est probabile dicere, quòd liberari voluerit à persecutionibus, vt re quam erubesceret, cùm de ijs semper glorietur, vt de materia quæ honorem pariat imortalem; & sanctè prædicet se sæpius ex insidijs & malitia Iudæorum, expertum fuisse manus carnificum; se à domesticis, & extraneis, ab omniq; inimicorum & aduersantium genere indigna pertulisse, in terra, in mari, domi & foris, & vbi non? quòd fuerit incarceratus, vinctus, lapidatus, quòd complures cruces pro honore sui Magistri & hominum salute sustinuerit: præterea affirmat secum, & in suo corpore, se hunc carnis stimulum portare, & sibi

Act. 9. 16.

2. Timot. 4. 7.

2. Corint. 11. 23.

datum esse, ne se extollat. I
secutiones non sunt penes eo
patiuntur, sed forinsecùs, &
aduenientes, nimirum à mal
cutorum. Cæterùm, non ef
rum antidotum istius venen
exhibent proprium remedi
infirmitatis: quandoquidē n
qui persecutiones sustinent
antur, fiant verè humiles.
plures mali manent superbi
medijs maximarum persec
procellis: sed exponendo &
do stimulum istum de ten
carnis, remedium est propr
tales tentationes directè per
biam, & dubio procul hun
mas generosas, & tantò m
liant, quantò maiores & pu
siderant inueniri in oculis
manus ergo horum verbo
est, de tentationibus carnis
ipsemet Theophylactus, qui
de persecutionibus, videns s
sitionem esse violentam, sub
tur esse cōuenientius dicere
significasse tentationes carn
quàm persecutiones inimico

Sanctus Paulus expositus per sua verba, & per Sanctum Augustinum, aliosq́; Doctores.

SECTIO XXIX.

SEd posito, quòd nullus verborum Sancti Pauli alius extaret interpres, satis ipse alibi manifestè se interpretatur: ac in primis ad Romanos suas describens pugnas, quas tum in carne, tum in spiritu (dum ratio contra concupiscentiam dimicat) sentiebat: *Video, inquit, aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis:* Rom. 7. 23. & in fine ingemiscens ac suam deplorans sortem: *infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* ibid. 24. & sibi respondens: *gratia Dei per IESVM Christum Dominum nostrum*: qui Christus alibi ei dixerat: *sufficit tibi gratia mea.* 2. Corint. 12. Locum hunc non fuerat aliquando ausus Sanctus Augustinus exponere de concupiscentia carnis, neque dicere Sanctum Paulum eius aculeos sensisse; dicit enim: *ego putabam dici non posse, nisi de*

ijs, quos ita haberet carnis con
vt facerent, quicquid illa comp
Lib. 6. contra Iulianum Pelagium cap. 11. tom. 7.
credere de Apostolo dementis est:
innumerabilis multitudo Sanctor
cupiscentiam carnis perficiat, co
spiritus concupiscat. Sed postea n
intelligentioribus cessi, vel potius
tendum est, veritati, vt viderem
stoli vocibus gemitum esse Sancto
carnales concupiscentias dimica
cum mente sint spirituales, adh
corruptibili corpore, quod aggra
rectè intelliguntur esse carnales,
corpore spirituales, quando sem
rit corpus animale, & resurget
tale. Et rectè adhuc intelligun
captiui sub lege peccati, quæ des
quibus non consentiunt, motib
Hinc factum est vt sic ista in
quemadmodum intellexit Hila
rius, Ambrosius, & cæteri Ec
notiq; Doctores, qui & ipsum A
uersus carnales concupiscentias,
nolebat, & tamen habebat, s
xisse, eundemq; conflictum suum
bis contestatum fuisse censerunt.

Hæc Sanctus Augusti

ſertè oſtendit hactenus ſe non credidiſſe Diuum Paulum tentatum fuiſſe cogitationibus Venereis, quia huiuſmodi cogitationes & tentationes non æſtimabat poſſe eſſe abſque peccato lethali; & conſequenter non inueniri in puro & ſancto Diui Pauli corde. Verumenimuero poſtquam rem melius examinauit, ſuis ponderibus librauit: ac intellexit talibus carnis aculeis (ſi pro virili ijs reſiſtatur) ſanctitatem minimè coïnquinari, opinionem mutauit, & cum celeberrimis Eccleſiæ Doctoribus tales pugnas ſpiritûs & carnis patienter, & ſtudiosè toleratas (vt tolerauit Sanctus Paulus, & omnes Sancti) non tantùm non eſſe ſpirituale detrimentum, ſed vel maximam materiam gloriæ credidit. Vnde ibidem vocat glorioſa certamina, non obſtante quòd in ijs animæ puræ & timoratæ inueniant difficultatem, & rubore ſuffundantur non aliter, atq; Virgo quæpiam impudicè ſolicitata; aut NOMINATVS aliquis DVX, equitans in equo Elephantico, aut aliquo alio apparente vitio laborante. Et iſte eſt pudor, qui colaphizabat Sanctum Paulum,

Sanctus Aug. lib. 6. contra Iulianum Pelagium c. 11.

quique

quique causa erat, vt petere
berari. Verùm postquam i
esse Dei voluntatem, vt se h
& strenuè pugnaret, decreuit
ctum diuinæ prouidentiæ, & i
dem beneplacitum sese hu
Quod non minus strenuè, q
enter verbis & operibus præs
in PRIMIS confessus est han
firmitatem (quæ hominibus
gnita, & incognita manere
& litterarum monimentis p
consignauit. Ecquis, nisi su
militas induxisset ad propal
ausus fuisset tales aculeos d
In Psalmum 58. conc. 2. tomo 7. ctitate præsumere & suspicar
Sanctus Augustinus sapienter
cens: *Apostolus Doctor gentium*
fidelium accepit stimulum, à quo
retur: quis ex nobis auderet dic
ipse confitendo non patefecisset?
mans expositionem, quam d
tentationibus carnalibus, a
Nam si dicamus illum talem spirit
stinuisse, eum mendacij arguimus
honorare volumus. Verumenim
verus est, & veritatem dixit, cr
est, ei datum fuisse Angelum sata

eum colaphizaret, ne superbiâ extolleretur, propter excellentiam & magnitudinem factarum ei reuelationum.

DEINDE cùm Sanctus Paulus se humiliasset verbis, posthabito omni pudore, & confessus fuisset ac publicasset (quòd superbia consueuit abscondere) se etiam operibus humiliauit, domans & castigans varijs austeritatibus corpus suum, & suaui illud animæ 1. Corin. iugo subijceret, & assuefaceret ad resi- 9. 27. stendum concupiscentiarum insultibus. Habemus igitur, in fauorem nostræ expositionis verborum Sancti Pauli hîc & alibi claritatem; habemus rationem & consensum Sanctorum Patrum, Gregorij Magni, Irenæi, & aliorum cum Sancto Hilario, Sancto Gregorio Nazianzeno, & Sancto Ambrosio (quem Sanctus Augustinus pro se citat) quem consensum, postquam rem bene expenderunt, omnes pariter tenuerunt. Et verò certus sum, quòd si Sanctus Chrysostomus, & Sanctus Hieronymus (qui obiter, & per transitum insinuarunt hunc locum intelligendum de persecutionibus) ex professo eum tractassent, futurum fuisse, vt cum

cum Theophylacto retracta
cûti fuissent opinionem S
Hilarij, Gregorij Nazianze
brosij, non aliter atque San
stinus, quos hic allêgat,
suæ opinionis & sententiæ.

Documenta, quæ deducun
mili Sancti Pauli conf
iuxta supradictam e
sitionem.

SECTIO X

SVpradicta expositio con
ta documenta, quæ illa
bases quædam substratæ
id, quod antè dictum est, su
PRIMVM in hoc consistit, c
boli malitiam & impudentia
tandis animabus sanctis nos
& quidem veterator ille m
greditur per propriam eorun
velut partem debiliorem,
atque per seductam iam Eu
Gen. 3. 6. mum tentauit; malitiosè stru
tui insidias per corpus, & c
calcaneum, iuxta Dei prædi

id est inuadendo partem superiorem per inferiorem, seu appetitum sensitiuum: vt impingens, suo pondere ad ima deprimatur. Sanctus Hilarius exponens verba Saluatoris vbi dicit: *Vigilate, quia nescitis horam, quando fur est venturus. Dominus, inquit, vigilare nos propter aduentum furis admonuit, & orationum assiduitate detentos, omnibus praeceptorum suorum operibus inhaerere: Furem enim esse ostendit Zabulum, id est Diabolum, ad detrahenda ex nobis spolia peruigilem, & corporum nostrorum domibus insidiantem; vt ea incuriosis nobis & somno deditis consiliorum suorum atq; illecebrarum iaculis perfodiat.* Insidiatur autem domicilio vniuscuiusque, iuuenis, senis, robusti, debilis, &c. & venenum iuxta propensionem & captum vniuscuiusque complexionis applicat. Scit equidem corpus alicuius senis non eum habere ignem, quem habuit in iuuentute; sed scit etiam illum abundare superfluis humoribus, quæ tentationis sunt materia; quin & à frigiditate eum reddi debiliorem ad resistendum; ideoque inijcit ignem extraneum (si Deus permittat) violentiorem, quàm qui erat in iuuentute.

Gen. 3. 15.

Matth. 24. 42. 43.

tute. Atque ita nulli ætati, nulli sexui, nulli ordini aut conditioni parcit. Quid multis? totius mundi insultat hominibus, bonis & malis; impudens ipse & effrons contra omnes. Et iste est Angelus satanæ & carnis stimulus, quem deplorat Apostolus, & cum Apostolo Sanctus Gregorius, Sanctus Hieronymus, & infinita aliorum Sanctorum multitudo, vt paulò antè audiuimus referri ex Sancto Augustino.

Secundum documentum est malitia Diaboli circa nostra corpora, & diuina prouidentia.

SECTIO XXXI.

SECVNDO LOCO addiscimus ex hac confessione Diabolum sæpe habere potestatem affligendi nostra corpora, & ardentibus suæ malitiæ iaculis ea petendi, siue id fiat infirmitatibus extraordinarijs, vt afflixit carnem Iobi, siue alijs occultis plagis & molestis stimulis, vt Sanctum Paulum, Sanctũ Gregorium, Sanctũ Hieronymum, vt dixi. & innumeros alios sanctos

Iob. 2. 7.

quos

quos historiæ referunt. Porrò insidiatur (diuinâ permittente prouidentiâ, quæ sinit talia nobis inferri bella) vt nos humiliemus in fimeto & miseria nostræ carnis, & vt nos exercentes in passionum nostrarum stadio, gloriosam de hoste, & de nobis referamus victoriam. Nisi enim Deus hoc intenderet, minimè permitteret nos taliter inuadi, cùm sit ipse fidelis, qui *nunquam* 1. Corinth.
nos sinit tentari vltra quàm ferre possimus, 10. 23.
vt scribit Apostolus.

Tertium documentum est, quòd nunquam simus securi à tentatione.

SECTIO XXXII.

EX eadem confessione discimus, nunquam carni in quacunq; ætate aut statu fidendum esse: nam si viri tam sancti, & Ecclesiæ columnæ tempore suæ senectutis in infirmitate carnis suæ constituti, & in aprico & statione religionis, atque in locis desertis (vt docent supradicta exempla, & alia, quæ non opus est recensere) impetiti sunt eius iaculis, quantum sibi

 timere

timere debent, qui sancti non sunt; qui viuunt inter medios homines huius sæculi in vigore ætatis; qui in suis venis occultum gestant ignem, qui in eorum corporibus inflammat concupiscentiam? Deus bone, quàm male sibi consulunt, qui florem iuuentutis suæ voluptatibus & Diabolo consecrant, sperantes fore, vt in sua senectute, (quando omnes sensus veluti emortui erunt) luxum deserant, ad frugem se recipiant, casteque iuxta Deum viuant: quandoquidem Diabolus æquè bene sagittis suis senum corpora petit, atque iuuenum: adde, quòd si id eueniat eorum corporibus, qui sanctam vitam duxerunt, quantò magis illorum, qui longo tempore carnem suam pauerunt voluptatibus, & velut vinctam illicijs ac illecebris diuturnorum habituum, & consuetudinum male agendi, tenuerunt? Prouerbium est inquit sapiens: *Adolescens iuxta viam suam, cùm senuerit, non recedet ab ea.* quasi diceret, imò, deterior fiet. Et si iuuenis assueuit verbi gratiâ choleræ, senex erit furiosus: nam, quamuis ex vna parte ætas frigidior nonnihil huiusmodi

Danielis 13. 8.

modi

modi vitia mitiget, ex altera tamen debilior effecta, impressiones & species externorum obiectorum recipit facilius, & minus ad resistendum insultibus aliorum vitiorum valet, præsertim verò concupiscentiæ, veteri nostræ Originis oneri, & maximo, sanatuque omnium difficillimo nostræ carnis vulneri. Ideoque extrema est dementia, reijcere tempus emendationis in vltimas vitæ periodos, cùm senectus admodum sit incertus virtutis sponsor, præsertim si male transactam iuuentutem consequatur.

Quartum documentum est addiscere se humiliare, pugnare & vincere.

SECTIO XXXIII.

TAndem confessio hæc nos docet ac monet, ne animum despondeamus, quando in nostra carne ab inimico nos inuadi animaduertimus, sed potius nos ipsos erigamus, insultus hos accipientes de manu Dei, & ad nutum eius beneplaciti nos humiliantes,

arripiamus confeſtim tum corporalia, tum ſpiritualia arma, ieiunia exempli cauſa, vigilias, orationes, & ſimilia ſubſidia ad domandam rebellem noſtram carnem, ad imitationem Diui Pauli & aliorum Sanctorum. Hæc enim facientes diuinâ gratiâ adiuti, fieri non poteſt, quin de ſatana glorioſam reportemus victoriam, & carnem noſtram ſubditam & obedientem rationis legibus reddamus. Et ſi ipſæ etiam beſtiæ corrigi, dirigi, atque etiam domari hominum induſtriâ poſſunt, quantò facilius corpus, cui dominatur anima ſapiens & ſtrenua? Et quandoquidem res ſpirituales percipi poſſunt per corporeas, referam hac occaſione obiter experimentum cuiuſdam nobilis Vaſconis Agenenſis, qui in hac re ſuam dexteritatem & induſtriam probauit. Cùm eſſem in Vaſconia anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſecundo, erat in ſtabulo Illuſtris Domini Agenenſis inter alios equos vnus pulcherrimè efformatus, fortis, & generoſus, ſed tam malignæ naturæ, vt nemo illi auderet appropinquare, multò minus eum conſcendere: omnibus enim

Omnis natura beſtiarum Iacob. 3. 7.

enim scatebat vitijs, quibus huius speciei animal scatere potest: calcibus sibi vicinos petebat, mordebat, frena & lupata (adeo duro erat ore) contemnebat, calcaribus resistebat iuxta præsentem phantasiam, à qua agebatur; caput inter pedes anteriores imponens, sessorem suum omni conatu deijcere tentabat: quod si nequibat, aut ad arborem, aut ad murum accedebat, vt hoc modo sessori suo incommodum quodcunque poterat, crearet & accerseret. Hic nobilis decreuit eum probare, & die quodam eum conscendit; simulatque bestia aduertit sessorem, cæpit agere bestiam, & cùm frustrà omnes consuetæ malitiæ suæ artes equiti prosternendo probasset, alias assumere & addiscere debuit, quas non expectabat: nam hic eius sessor varios & nouos eum agitans in gyros, cursu præcipiti & furioso ei insidens, primo in campo recenter arato vrsit & circumduxit, deinde per valles, per montes scabrosos, per fossas, faciens eum saltare, continuè calcaribus agitando. Ita spatio vnius horæ duriter tractauit, vt halitum & hinnitum penitus amitteret,

ret, & ex nigro fieret albus ex abundante sudore. Quid multis? Generosus ac ingeniosus hic eques ex defessis pedibus, & vexatis naribus talem, qualem bestia habere potest, excudit intellectum, quia vt iam dixi, ex nigro factus est albus, & hoc exercitij genere, fractâ & edomitâ eius ferocitate, totus mansuetus & tractabilis instar alicuius capræ factus, reductus est ad stabulum sui domini: & retentâ fortitudine & vigore naturali absq; vllo vitio, in equum bello perquam vtilem, & idoneum euasit. & insuper magno in pretio habitus, suoque domitori, qui, volente domino, eum semper equitauit, magno fuit honori. Præclara ea fuit & perutilis vnius horæ lectio, quæ vnius vel alterius anni vniuersa correxit vitia. Si corpus equi ita disponi potuit per peritum equitem, vt ad omnem vsum esset aptus, sine dubio poterit nostrum subijci, exercitijs sensibilibus (quæ dolorem aliquem infligant) à generosâ anima adhibitis: ea enim plus potestatis habet in suum corpus, quàm homo in equum: & id quidem, diuinâ gratiâ aspirante, intra breue tempus; imò

imò aliquando vnicâ actione generosâ. Sanctus Benedictus sentiens se exagitari luxuriæ stimulis, nudum inter vrticas & pungentes carduos sese voluntauit, quo facto ita carnem suam domuit & subiecit, vt reliquo deinde vitæ tempore nullas ab ea molestias ensenserit. Sanctus Thomas de Aquino cùm impudicam fœminam, à qua solicitabatur, ignito titione generosè à se repulisset, meruit postmodum hoc generoso facinore, habere cum corpore suo perpetuam pacem.

Sanctus Greg. lib. 2. dialogorum c. 1. & sequentibus in vita ipsius. 7. Mart. lect. 4. in eius vita.

Isthæc sunt documenta, quibus humilis Apostoli confessio nos instruit; cùm interpretatio de persecutionibus accepta ijs nos penitus priuet; ipsum autem Apostolum gloriâ magnæ suæ humilitatis, & etiam in hoc, reportatâ victoriâ spoliet.

Exercitia humilitatis in comedendo & bibendo.

SECTIO XXXIV.

ÆQuè in mensis & conuiuijs; atq; in ieiunijs, cum actione gratia-

rum celebratis reperitur humilitas. Mundi Saluator exemplo suo ac verbis nos instruit. cùm enim vel edere ipse volebat, aut alios cibo reficere, antè in cælum eleuabat oculos, recognoscens omnium bonorum principium; post autem in gratiarum actionem hymnos decantabat, & inter has actiones complura humilitatis tradebat documenta. Quorum illud erat vnum: quando ituris discipulis per vniuersum mundum ad Euangelium prædicandum mandabat, vt manducarent quæ ad manducādum apponerentur, omissâ odiosâ illâ petitione exquisitorum, aut nimis delicatorum ciborum. Et ista est regula, quam non solùm in suo refectorio omnes boni seruant religiosi, sed etiam multi sæculares in sua mensa. & inter hos magni & illustres viri. Percepi ego ex ore Domini Molle quondam præceptore gubernantis nunc Principis Guisij (qui etiam Princeps hodie viuit gloria & virtute conspicuus, gubernator pro Rege Christianissimo in Prouincia) quòd Dominus eius defunctus Pater, Illustrissimæ memoriæ, nunquam de appositis sibi dapi-

Cum comederis Deut. 8. 10. Matth. 14. 19. & 26. 6. Luc. 10. 8.

Pulchrum exemplum in principe.

bus

bus questus fuerit, siue illæ sapidæ, siue insipidæ fuissent; male aut bene præparatæ; calidæ aut frigidæ; idem esto iudicium de vestibus, quæ ei dabantur, siue eæ bonæ, siue malæ erant sine discrimine ijs vtebatur. Idem Saluator aliud dabat documentum, quod erat, vt alibi dixi, recumbere in conuiuijs semper nouissimo loco: non quòd prohibeat, quò minus Paterfamilias, aut alius, qui est, aut habetur honoratior locum sibi conuenientem occupet; sed vult, vt quilibet, quantùm in se est, postremum sibi eligat locum. Quamobrem qui humilis est, semper desiderabit in conuiuijs vltimo loco collocari, & si poterit, illum occupabit: nec dicet vti quidam, qui (videns se vltimo loco positum, contra suam dignitatem vt iudicabat) dixit pro sua consolatione Domino, qui conuiuium instruxerat, eum modum reperisse honorandi vltimum locum, volens significare quòd personæ suæ dignitas locum vltimum honoratiorem cæteris efficeret, humiliatus quidem fuerat corpore, sed spiritu minimè erat humilis. Etiam in accubitu ad mensam se ostendit humi-

Luc. 14, 10.

Plut. de dictis Laced.

litas; in oculis, in manibus, in capite, in motu genarum, in loquela, in silentio, & tot modis, quot diximus suprà. Porrò si quis vnquam in conuiuio exercuit humilitatem, maximè nominata illa Pœnitens Euangelica, Sancta Maria Magdalena videtur exercuisse, quæ intrans locum conuiuij, nullum, ne vltimum quidem conuiuantium locum occupauit, sed extra locum, & sine loco, post saluatoris pedes stans, non cibum, non potum sumens, non verbum vllum proferens, omnibus tamen membris, exceptâ linguâ, loquebatur, & professionem, ac confessionem generalem omnium suorum peccatorum faciebat: loquens oculis, loquens corde, figens pedibus Saluatoris oscula suis labris, eos lauans suis lacrymis, eosdemque tergens capillis. Huiuscemodi actibus omnes eos humilitatis gradus adimplebat, qui exerceri possunt spiritu & corpore. & hoc tantò excellentius & laudabilius, quantò circumstantiæ conditionis, personæ, temporis, loci, & recumbentium rem reddebant difficiliorem, & magis arduam. Erat ea matrona ex Illustri domo & familia

Luc. 7. 37. & seqq.

milia oriunda; quæ respectus humanos pedibus calcans, masculo animo suiipsius contemptum nihili faciebat; exponens se complurium superborum ac vultuosorum hominum censuræ, ludibrioque cauillatorum. Nullum erat in ea corporis membrum, quod cum facultatibus animæ, intellectu, iudicio, voluntate, memoria, ad gustum humilitatis suas partes non ageret; omnibus, qui excogitari possunt, modis interius exteriusque se humilians & abijciens. Ecquid aliud præstare potuit, vt in celebri conuiuio, admirandum & omnibus numeris absolutum humilitatis exemplum relinqueret, admirando & paucis cognito ipsa cibo refecta? verè nihil. O magna & excellens Domina, non minus strenua, quàm in tua confusione bene pasta! non equidem cibos illius conuiuij corporales degustasti, sed interim anima tua alio in conuiuio per quàm opiparo diuinis dapibus fruitur: nempe in conuiuio nuptiarum tuarum. in quo Dei filium in sua humilitate habuisti sponsum, humilem super omnes filios hominum, humiliumq; amatorem Zelosissimum: fecisti

fecisti fecisti in terris tibi apparatum gloriæ immortalis, & in cælis per tui ipsius abiectionem (cui nunquam similis audita est) te ea felicitate dignam, quæ publiceris & proclameris omnibus venturis seculis, vt miraculum & exemplar humilis, sanctæ, ac diuinæ pœnitentiæ. Virtutum studiosi, ad exercendam alio modo in mensa humilitatem, assumunt meditationem circa actus & qualitates comedendi & bibendi: considerant nimirum tales actus esse actus mortis, non obstante, quòd ordinati sint ad vitam sustentandam, quia sumpti cibi nihil aliud sunt, quàm accumulatio rerum mortuarum quæ in stomachum immittuntur, tanquam in aliquod sepulchrū: vnde dicebat Dauid; *tanquam cinerem panem manducabam*; & panem quidem, vt escam mortis & cineris. Considerant insuper esse actum admodum humilem & vnà cum bestijs sibi communem. Vnde occasionem sumunt sese in anima humiliandi & abijciendi, videntes se tali necessitate redactos in ordinem bestiarum toties, quoties refectionem sumere necesse est. ex ijs autem nonnulli suspirando ingemiscunt

Meditatio exercenda inter sumendum cibum.

Psal. 101. 10.

miſcunt, dolentes ſe eò ſeruitutis adactos. vt de Sanctis, Bernardo, & Iſidoro legitur, qui ſæpe in menſa flentes dicebant: *erubeſco cùm homo ſim, vocatus ad Dei menſam, quòd cogar veſci beſtiarum pabulo.* In eius vita. Pallad. etiam in huius vita

De Cilicio.

SECTIO XXXV.

Cilicij & aliarum afflictionum aſſumptarum ad domandum corpus & animam per illud humiliandam, tanquam heram per ſeruum, frequens fuit ſemper in Eccleſia Dei vſus. Dauid in ſuis afflictionibus vt ſe humiliaret, & Dei iram mitigaret, ad cilicium & alia humilitatis exercitia recurrebat, vnde ſunt illa. *Ego autem cùm mihi moleſti eſſent, induebar cilicio, & poſui cilicium.* Sacerdotes & Prophetæ veteris teſtamenti volentes inducere & excitare populum ad humilitatis & pœnitentiæ opera, & ipſi aſſumebant, & populo auctores erant, vt aſſumeret cilicia. Ita diximus ciues Bethulienſes, obſidione cinctos ab Holoferne, humiliaſſe Pſal. 34. 13. Item 68. 12. Iudith. 4. 9.

Grad. 5. sect. 15. humiliasse animas suas per ieiunia & orationes: quod & eorum vxores similiter fecerunt: sacerdotes se, & altare
Iudith. 8. 6. Dei cooperuerũt cilicijs: Iudith autem lectissima matrona, vt dictum est, se præparans ad egregium & fortissimum illud facinus, quod illa deinde patrauit, corpus suum armauit eo thorace, quo semper solebat in feruentioribus & sublimioribus suis orationibus. Et Propheta Ieremias prædicans populo
4. 8. pœnitentiam, aiebat: *accingite vos cilicijs, plangite & vlulate, quia non est auersa*
2. 3. 18. *ira furoris Domini à vobis*, & tempore Machabæorum: *accinctæ mulieres aquè bene ac viri, cilicijs pectus, per plateas concurrebant, extendentes manus suas ad cælum & orantes.* Deus autem effectis misericordiæ suæ ostendit sibi hasce humiliationes, etiam in inimicis suis placuisse, ita dum Achab Rex Israel per Prophetam Eliam ex parte Dei denunciatas propter suas abominationes minas audisset, *scidit vestimenta sua, cooperuit carnem suam cilicio,*
3. Reg. 21. 27. & 29. *ieiunauit, & dormiuit in sacco.* Tunc Deus dixit Eliæ: *nonne vidisti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei causâ, non inducam malum in diebus eius, sed in diebus filij sui inferam malum domui eius.* Ita

Deus

Deus aliquantulùm placatus distulit executionem pœnarum denunciatarum. Tam ei grata & tam efficax est apud eum hæc virtus, vbicunque & in quocunque, quamuis etiam imperfecta, reperiatur. In lege gratiæ tantò eius vsus fuit frequentior, quantò amor & desiderium pro Deo patiendi, post exemplum filij eius fuêre maiora, non solùm inter religiosos, sed etiam inter coniugatos & liberos. Patres Carthusiani omni tempore gestant cilicium, alij religiosi sæpissimè: quin & in curijs, & aulis plurium Principum Christianorum magnæ dignitatis & auctoritatis Viri & Fœminæ non raro sub vestibus aureis & sericis idem gestant: & sancta quadam hypocrisi oppugnant vanitatem apparentem transuersis & occultis humilitatis cuniculis.

Beatus Franciscus Borgias Ribad. lib. 1. c. 3. vitæ ipsius.

De Disciplina.

SECTIO XXXVI.

VOluntaria corporis flagellatio seu disciplina, vt vocant, minus vsitata inter Hebræos, inter Christianos

Matth. 27. 26. Mar. 15. 15. Luc. 23. 25. Ioan. 19. 1.
Flagellandos Apostolos prædicit Christus. Matth. 10. 17. & 23. 24.
Paulus flagellis cæditur. Act. 22. 24. 25.
Castigo corpus meum. 1. Corinth. 9. 27.
Ionuille & alij per Bar. citati in notis Mart. 25. Augusti in eius vita.

stianos postea fuit frequentissima. quia volebant hi aliquo modo participes fieri Christi flagellationum in eius passione, & sublimiorum sanctorum: qui similibus pœnis probati fuerunt. Et verò credendum est, Diuum Paulum has inflictas voluntariè pœnas intellexisse, quando dixit: *Castigo corpus meum; & in seruitutem redigo.* Neque verò hoc exercitij genus adhibebant solùm Ecclesiastici, aut soli religiosi, verùm etiam sæculares: & inter hos etiam reges. Nam vt alios taceam, Sanctus Ludouicus Franciæ Rex, frequenter se excipiebat flagris, aut se per confessarium excipi iubebat: & eo fine secum gestabat disciplinam ex annulis confectam, instar ferreæ catenulæ. Homines mundani corde & corpore molles, præsertim verò errantes, seu quod idem est hæretici, fremunt ad sonum talis exercitij, & grauissimis verbis eos condemnant, qui sese voluntariè flagellant, vt sui ipsorum homicidas: nec verentur allegare antiquos FLAGELLANTES Hæreticos, qui ex Vngaria in Poloniam, & in Galliam venerunt, quique seminudi, turmatim, velut fit in processionibus,

sionibus, per mundum incedentes se flagris excipiebant. Qui sic iudicant & sentiunt, homines sunt ignari, vecordes, animæ non minus ignauæ, quam propriæ carnis amantes: nec non regulis carnalibus diiudicantes virtutum actus ac experimenta. Si corpus suum verberare & pungere, est seipsum occidere, non oportebit vnquam vocare chirurgos, vt suos scalpros, nouaculam & cauterium adhibeant ad venam aperiendam, ad incidendum vel inurendum corpus, ne induci videantur ad patrandum homicidium; quod si ad sanandum vulnus aliquod in corpore licitum sit huiusmodi curationibus corpus affligere, & quidem prudenter & laudabiliter, quare iudicabitur actio obnoxia homicidio, virgas aut flagella, quæ corpus affligant, ad medendum plagis animæ, adhibere? & si pater opus charitatis facit, dum filium inuitum virgâ corrigit, vt eum efficiat sapientem, crudelitasné erit suiipsius correctio manu propriâ de industria adhibita? & si Sanctus Paulus, Sanctus Petrus, & cæteri Martyres rectè fecerunt, bono & lubenti animo scuticas

Virga disciplinæ fugat stultitiam. Prou. 22. 15. Act. 16. 22. 2. Corinth. 11. 25.

& virgas pro Dei amore suscipiendo, quis eosdem audebit condemnare, qui eodem animo pro eiusdem Domini amore suscipiunt, vel sibi ipsi infligunt? Age, illiné ictus & verbera ideo erant salutaria, quia per Carnificem inferebantur? hæc autem vituperio digna censebuntur, quia proprijs inferuntur manibus? Et si laudabile est exercitium ieiunare, & cilicium gestare, quod magis corpori nocent, & molestiora sunt, quàm disciplina, opusné erit simile homicidio, corpus verberare? Ecquis vnquam mortuus ob voluntaria adhibita corpori flagella? Exemplum FLAGELLANTIVM, horum refutat censuram: ostendit enim fuisse rem licitam & vsitatam in Ecclesia, vti tali humiliationis voluntariæ animaduersione; imò verò laude digni censebantur, donec in hæresin inciderunt per vitium extremè humilitati oppositum: nam per tale pœnitentiæ opus vanâ gloriâ inflati, cæperunt erigere cornua, & attollere supercilia, hæresesque proseminare dicentes tales flagellationes plus meriti apud Deum habere, quàm martyrium: item, quòd post suas flagel-

flagellationes cessasset martyrium, & alia huiusmodi stolida, rationi & fidei contraria iactitabant deliria. Quæ Bernardus Luxenburgensis & Alphonsus de Castro referunt. Proinde citò fuêre extincti. Quare qui rationem ducem sequi volet, abundè intelliget rem apprimè piam esse per huiusmodi actiones se humiliare. Etsi causâ infirmitatis aut alterius respectûs nequiuerit eas exercere, cauebit ad minus, ne eas, vt malas & inutiles, velut faciunt hæretici, condemnet.

Lib. 3. contra hæreses an. 1273.

De humiliatione in vestitu.

SECTIO XXXVII.

SCINDERE VESTIMENTA, actus erat humiliationis, licet etiam adhiberetur in signum doloris, & detestationis alicuius blasphemiæ. Dauid, accepto nuncio de infelici homicidio magni Ducis Abneri, postquam eum in fidem ipse Rex receperat, à Ioab commisso, scidit vestimenta sua, & vt idem, quotquot in eius Regia versabantur, facerent, mandauit: & id in

2. Reg. 3. 31.

signum doloris, quem ex eius morte cœperat. Ezechias Rex Iuda etiam scidit vestimenta sua, & induit se sacco, auditis blasphemijs per ducem exerci-
4. Reg. 19. 1. tûs Sennacharib Regis Assyriorum prolatis. Iosias item Rex Iuda scidit &
2. Parat. 24. 19. ipse vestimenta sua, humilians se coram Deo ob eundem finem. Propheta Ioël prædicans pœnitentiam dicit:
2. 13. *scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.* Quo dicto significabat cæremoniam istam vniuersis populis orientalibus communem, fundatam esse in occulta quadam similitudine, quam habent vestes cum corpore: cuius videntur esse artificialis pellis. Et ideo, quod infertur vestimentis boni aut mali redundat aliquo modo in corpus, imò & in ani-
Leuit. 21. 10. mam. Vnde Summus Pontifex induebatur veste valde diuite, & maximè sumptuosâ ad indicandam integritatem corporis, & pulchritudinem animæ. & quidem ad notandam singulariter hanc integritatem lege cautum erat, ne scinderet vestimenta sua.
2. Reg. 10. Hannon Rex Ammonitarum, existimans Dauidis seruos, qui ad consolandum missi erant, esse exploratores, dignos

dignos proinde punitione, mediam partem barbæ abradi, & à coxendice deorsum abscindi vestimenta mandauit. Ad sensum & imitationem huius cæremoniæ Artaxerxes Rex Persarum ordinauit, vt si quis in Regia ex nobilibus, qui ei assistebant, quidpiam admitteret contra officij sui decorum, virgis cæderentur eius vestimenta, pili ex eius pileo eraderentur. quo facto credebat suauem infligi pœnam corporalem. Loco scissionis & percussionis vestium sapientes Christiani, humilitatis beneficio, vestimenta sibi elegerunt iuxta vniuscuiusq; gradum modestiam referentia, vt dicere solebat Sanctus Ludouicus Rex Galliæ, in hac virtute, vt in alijs omnibus prorsus insignis. Quo fiebat, vt mixtus suis aulicis indicio vestium vix dignosceretur: hi enim magis pomposè & splendidè quàm ille, (præterquam, quando Regius aliquis exercēdus erat actus, tunc enim paludamento Regio vtebatur) incedebant. Saluator humiliatus fuit vestimentis Regijs, quibus per modum ioci & ludibrij indutus fuit; in comunibus autem admodum modestus fuit.

Plut. in eius vita. Alex. ab Alex. lib. 2. Genial. dierum c. 13.

In eius vita.

Et quidem in eo genere, quàm grata sibi esset modestia, exemplo miraculoso ostendit in Imperatore Heraclio, qui nequiuit habitu Regio ornatus DOMINI CRVCEM GESTARE, gestauit autem indutus veste vulgari facillimè, vt retuli supra. Veri & sinceri Ecclesiastici hanc vestium simplicitatem imitati sunt: complures autem religiosi eò humiliationis peruenerunt, vt habitu magis simili sacco, quàm vesti, siue formam, siue materiam spectes, vterentur. Sanctus Antonius magnis festis & solennitatibus induebatur tunicâ folijs palmæ cōtextâ, quam ei Sanctus Paulus Eremita testamento, vt pretiosum quodpiam legatum reliquerat; & verò magis in humili hac veste lætabatur, quàm summi principes in superbis & pretiosis vestimentis. Vnde Sanctus Hieronymus dicebat: *Si dominus mihi faceret electionem, centies libentius acceptarem tunicam Sancti Pauli cum suis meritis, quàm purpuram maximorum Regum cum eorum pœnis.*

Matth. 27. 18. Mar. 15. 17. hic sect. 11. Vid. not. Baron. in Mart. Rom. die 14. Sept.

S. Hieronym. in vita Sancti Pauli Eremitæ.

Ibidem.

De aspersione cineris & aliis mortificationibus corporis.

SECTIO

SECTIO XXXVIII.

PRæter supra dictas corporis mortificationes, adhuc alias subministrat humilitas: inter qnas non est postrema aspersio cinerum, signum luctûs & humilitatis, cuius cineres sunt Hieroglyphicum, in quantum significant id, quod nunc sumus, & quod futuri sumus. Abraham se vocat cinerem; sapiens dicit: *quid superbis terra & cinis?* Regina Esther in sua afflictione aspersit caput suum cineribus, agnoscens suum nihil, & humilians se coram diuina Maiestate, ad obtinendum auxilium. Dominæ vanæ & mundanæ etiam aspergunt suos capillos, sed puluere odoris & superbiæ. Quo facto animæ suæ vanitatem fatentur, ac stoliditatem sui capitis. Ieremias referens afflictionem Hebræorum: *sederunt*, inquit, *in terra, conticuerunt senes filiæ Sion, consperserunt cinere capita sua, accincti sunt ciliciis.* Inter Christianos non ita frequens est hæc cæremonia, solennis tamen est primo ineuntis ieiunij quadragesimalis die: quod incipiendum est, continu-

Gen. 18. 27. Esther 4. 1. Threnorum 2. 10. Concilium Agathense. Canon.

pœniten-
tes.
Distinct.
50.

andum, & finiendum magna cum humilitate; quod denotat cinerum aspersio, quæ in capite adhibetur dicto ieiunij quadragesimalis die. In aliquibus particularibus Religionibus solent poni infirmi iam agonizantes super areolam cinere aspersam, vt moriantur in lecto humilitatis, qui est lectus honoris filiorum Dei. Alij alijs vsi sunt humiliationis exercitijs, quæ si minutim recensere vellē, nimis essem longus. Aliqui longa & corpori molesta satis, pœnitentiæ gratiâ, suscipiunt itinera; alij habitātes in desertis locis, frigus, calorem, sitim, famem & alias corporis incomoditates perpetiuntur; aliqui etiam catenis ferreis corpus suum affligunt, vti fecit Sanctus Guilielmus Dux Aquitaniæ post suam conuersionem: nonnulli supra altam columnam multis annis steterunt, nunquam cubantes, neque sedentes. quod exercitium inchoauit magnus ille Simeon, cognominatus Stilita. Alij alijs modis, vnus plus, alter minus, corpus afflixerunt suum. Et quanquam huiusmodi humilitatis actus potissimùm ij exercuerunt, qui omnimodè vanitatem pedibus

Diuersa humilitatis exercitia corporalia.
Surius.
Theodoret.
Niceph.
Glycas, &c.

bus

bus conculcarant, seque à communi hominum consortio segregârant. tamen non defuêre vllo vnquam tempore complures, qui etiam inter tumultuosi mundi turbas agentes, generosiori & feruentiori animo corpus suum diuersis, ijsque apprime acerbis exercitijs in officio continuerunt, vti periti equites suos equos. Et quidem etiam nunc tales inueniuntur non tantùm inter homines plebeios, sed etiam in aulis Principum. Quamuis vt plurimùm qui talibus in *domibus habitant mollibus vestiantur* Christo attestante. quin & in ijsdem deliciæ, superbia, & vanitas antiquo iuris abusu communiter dominentur. Ex hoc discursu sicut & ex præcedentibus intelligi potest, quomodo humilitas regnet in omnibus animæ facultatibus, & corporis sensibus; in intellectu, in voluntate, in memoria; in visu, in auditu, in ore, in lingua, in manibus, in pedibus, &c. Item quomodo sit regula actionum, tum interiorum, tum exteriorum, cùm sit aër, elementum, alimentum, lumen, fulcimentum, & quasi vniuersalis forma & ratio omnium virtutum, tam interiorum, quàm exteriorum. *Qua-*

Matth. 7. Qui mollibus vestiuntur.

Vide g. 1. f. 22.

Quomodo Christiani se humiliàrunt in pulchritudine corporis.

SECTIO XXXIX.

QVâ ratione veri Christiani in duobus primi generis bonis corporis, SANITATE nimirum & FORTITVDINE humilitatem exercuerunt, eâdem & modum repererunt eam exercendi in tertio, PVLCHRITVDINE scilicet. PRIMÒ enim cùm, iuxta primum gradum, didicissent pulchritudinem esse bonum admodum fragile, inconstans, & veluti volatum quendam, qui citò pertransit; quin & eius questum totum cedere alteri, & non illi, qui eam possidet; (nisi per castitatem, aut per aliquem alium vsum secundùm Deum faciat suum) tale insuper esse bonum, quod possessor videre nequit, nisi speculi, aut picturæ adiutus artificio. ideò nihili illud facientes, prorsus contempserunt. Quod ad humilitatem comparandam, & superbiam vincendam, nemo negârit magnum esse compendium. SECVNDÒ aliqui

aliqui pulchritudinem suam abdiderunt, nolentes à mortalibus conspici, Vnde mundo nuncium remittentes mortalium declinârunt oculos. Alij aut ex parte faciem cooperuerunt, vti religiosorum quàm plurimi, caput suo habitu; aut ex toto, vt Religiosæ velatæ; aut ex parte, vt multæ etiam nunc in Italia matronæ sese velant, & modestè admodum vestiunt. Erat ea consuetudo communis illustribus fœminis Christianis; & eam suadet S. Paulus, dum docet Corinthios esse legem naturalem, vt fœmina velata sit capite. 1. Corint. 11.
Quemadmodum autem natura partes viliores, honestatis & verecundiæ gratiâ, in homine abdidit, ita modestia & humilitas excellentiores, vt est facies pulchritudinis thronus & theatrum, propter periculum abscondit. TERTIÒ alij sese deformarunt, vel per macerationem & abstinentiam voluntariè susceptam, vel per infirmitates corporis generosè contemptas: vt Galla Virgo Romana Symmachi consulis filia: quæ, cùm ei à medicis suaderetur, vt nisi pulchritudinis iacturam facere, & barbā acquirere, vti vir aliquis vellet, nuberet, Auentinus lib. 3. annal. Boior.

Theatri vitæ hu. vol. l. 2. titulo Barba.

nuberet, consilium hoc, datum pulchritudinis & sanitatis mortalis conseruandæ gratiâ, contempsit, vt mente pulchra esset, ac Deo placeret. vel deniq; facto ipso facies sibi deturpârunt: ita apud Sanctum Ambrosium & Valerium Maximum legitur de iuuene quodam, qui, cùm animaduertisset plures fœminas stultè & perniciosè capi suâ pulchritudine, multis sibi ipsi inflictis plagis, faciem deformauit: vt posthac tali modo à nemine amaretur. Exemplum rarum in Ethnico, & factum cælo dignum, si cæli acquirendi gratiâ patratum fuisset. sicut & Virginis Alexandrinæ, quæ vt alibi dixi, importunè solicitata ab amatore parum mente sano, facto admirando magis, quàm imitando, oculis sese priuauit, turpemq; reddidit, vt animam huius desperatè infirmi Iuuenis condecoraret, ac flammis infernalibus eriperet, vti fecit, dum ei causa fuit, vt religionem intraret. Sancta Andregesina etiam rarâ pulchritudine dotata, petijt à Deo, vt eâ priuaretur, quæ fuit exaudita. nam lepra toto eius corpore diffusa, summè eam turpem reddidit, licet ex eo in anima pulchrior

Eruseus adolescens. Sanctus Ambrosius lib. 3. de Virginibus. & in hort. ad Virg. Val. Max. lib. 4. c. 5. de verecundia. In prat. spirit. c. 60. grad. 1. f. 69.

In spec. exemp. de castitate exemp. 6.

pulchrior euaserit. mansit autem in eâ deformitate, vsque dum, nuncupatis votis, Deo se consecrauit. tunc enim pristina ei reddita est pulchritudo. Exempla ista ad hoc maximè seruiunt, vt intelligatur pluris ab humilitate fieri pulchritudinem animi, quàm corporis: & ab eâ non æstimari transitoria bona, vt gloria acquiratur æterna. Quod est honorificum negotiādi commercium, & lucrum non ignobile.

De humiliatione in malis corporis.

SECTIO XL.

HVmilitas non minus se ostendit in malis corporis, quàm in bonis; in morbo, in infirmitate, & deformitate: siue ea patienter sufferendo, vti docet quartus gradus: siue ea non timendo, sed libenter & voluntariè procurando, iuxta doctrinam huius quinti gradus stabilitam & confirmatam exemplis iam recensitis de voluntariâ deformitate. Et plura circa morbum & infirmitatem adducere poterimus de ijs, qui, contemptâ sanitate,

tate;

tate, omnes vires suas ad patiendum, & inseruiendum infirmis impenderunt, etiam in morbis contagiosis. Ita refert Palladius de Eulogio homine litterato & sene: is cùm maiorem bonorum suorum partem distribuisset pauperibus, & volens adhuc exponere illud modicum, quod ei de sanitate, de vita, & bonis restabat, in seruitio alicuius pauperis ægroti pro Dei honore: in medio ciuitatis Alexandriæ foro, ex innumerabili pene pauperum grege, vnum plenum leprâ, absque brachijs, absque cruribus, trunco alicui & massæ carneæ magis similem, quàm homini, sibi delegit. Hunc spatio quindecim annorum in sua domuncula non minori charitate, quàm humilitate & patientiâ tractauit, & præsertim sub vitæ finem, quando non tantùm corporis labores ferre oportuit, in hoc pœnali exercitio, à quo ipsi etiam abhorrent sensus; sed etiam atroces iniurias, quas pauper iste pedibus & manibus mancus, in eum detonabat, furore quasi extremæ cuiusdam impatientiæ percitus, quam Diabolus ei sufflârat, cumque adeo in intellectu & sensibus alterârat,

alterârat, vt loco, quo recognoscere debebat cum humilitate & gratitudine beneficium, ipsum benefactorem, nequam, proditorem, latronem, deceptorem compellaret, & omni occasione plurimis & grauissimis verbis ei malediceret. Qui cùm tandem ab isto maledicendi morbo sanatus fuisset, vterq; in sua humilitate victor euasit, Diabolo, qui suis strategematis eos priuare volebat merito humilitatis, & constantis in laboribus sufferendis patientiæ, confuso. Legitur porrò in vitis sanctorum de quodam Anastasio, qui occultè curam gerebat vnius leprosi, quem sanans Beatus Basilius vocauit thesaurum Anastasij. Placella coniunx Imperatoris Theodosij ipsamet inseruiebat ægrotis vlcerosis, eorum scutellas & alia vascula lauabat; cibum apparabat, apparatum suis manibus præbebat: quid multis? omnia faciebat, quæ vel vilissimi serui facere consueuerunt, inter infirmos conuersans, nil solicita vel de sua sanitate conseruanda, vel de euitando contagij periculo. Hac & simili humilitate complures claro sanguine oriundæ dotatæ fuerunt

Anastasius in vitis Sanctorum.

Placella Imperatrix in spec. histor.

matronæ,

matronæ, & etiam hodie Dei beneficiò in Christianitate reperiuntur. Exempla regum Galliæ sunt insignia in hac parte, qui sæpius in anno præmisso magna cum humilitate ieiunio, & peccatorum confessione, proprijs manibus tangunt laborantes strumâ, morbò contagioso, & qui alias habetur incurabilis. Et quidem per effectus, qui hanc humilitatem subsequuntur, ostendit Deus, quàm grata sibi ea sit; sanant enim huiusmodi strumosos nullo humano medicamento interueniente, vt ordinaria testatur experientia. Et verò si mea aliquid habeat ponderis, vidi ego hisce meis oculis iuuenem quendam ex Prouincia superiori, qui cùm habuisset collum hac lepra totum corrosum, & postea tactus fuisset de more ab Henrico secundo rege, factus est læuis, & ita mundus, vt nihil præter plagarum cicatrices appareret. Nolò in re clara & toti mundo conspicuâ diutius immorari; clara inquam, quia infinita propè huius miraculi, in pauperibus præsertim ægrotis omnium sæculorum & nationum luculenta extant exempla, qui obstupescentibus chirurgis

V. B. Th. lib. 1. de regimine principum c. vlt. & Geneb. in Anastasio secundo.

rurgis & medicis, qui huius morbi naturam melius nôrunt, sanati sunt.

Humilitas in bonis fortunæ, diuitiis, honore, fama, & eorum contrariis.

SECTIO XLI.

RESTAT paucis verbis dicendum. in hoc quinto gradu de humiliatione, in bonis & malis fortunæ, quæ sunt, vt sæpius dictum est, DIVITIÆ, HONORES, FAMA, & eorum contraria, PAVPERTAS, IGNOMINIA & DESPECTVS. Quo in genere non pauci fidelium in vtraque lege se strenuos & generosos demonstrarunt, egregiasque victorias de se ipsis reportarunt, tam fugiendo omnes occasiones vanitatis in his bonis, quàm contrarium faciendo, & ex industria mala eligendo. ABRAHAM erat diues & opulentus; IOB sui temporis omnium erat copiosissimus, & plures alij: verùm considerantes, vti docet primus & secundus gradus, fragilitatem omnium huius mundi bonorum, erga illa nullo

modo *ear apposuerunt*: sed aut bonam partem eorum, pauperibus, aut omnia, nihil sibi reseruantes, donarunt. Quod vulgare erat inter primi sæculi Christianos. vnde pretia venditarum suarum possessionum deponebant ad pedes Apostolorum, vt omnibus essent communia; insequenti autem sæculo distribuebant inter pauperes. Ita fecêre SANCTVS ANTONIVS, SANCTVS HILARION, SANCTA LVCIA, SANCTA CÆCILIA, & alij vtriusq; sexûs quàm plurimi Christiani. qui nummis ex suis possessionibus collectis, sibi cælum emebant; & donantes omnia pauperibus, diuitias æternas sibi accumulabant. Cùm S. PAVLINVS omnia sua dedisset, & rogatus esset ab vna paupercula vidua, vt abductum in captiuitatem filium redimeret, seipsum pro illo dedit in seruitutem: & propter hanc humilem charitatem, & charitatiuam humilitatem. *ex opulentißimo diuite, voluntate pauperrimus, & copiosißimè sanctus, inquit Beatus Augustinus, factus est*: & vnico liberalitatis actu quicquid bonorum fortunæ habebat, dedit, dum pretium suiipsius, quod

Act. 2. 4. 4 45. &c. 4. 32.

B. Greg. lib. 3. dialog. c. 1. tomo 1.

Lib. de Ciuit. Dei. c. 10. tomo 5.

quod plus valebat, quàm omnes terrestres diuitiæ, dedit; auream insuper dedit libertatem, quæ charior est vita. Quin & splendorem ac existimationem sui honoris, quem habebant de eo homines; non tamen quam habebat in oculis diuinæ Maiestatis, quem hic actus longè illustriorem reddebat prodigere non curauit. Ista sunt opera charitatis, magnanimitatis, & insignis Zeli, pro bono proximi suscepta, opera animata & stabilita spiritu humilitatis: quibus insignes Dei amatores in modestia inter affluentes diuitias se conseruabant: vel, quod maioris meriti est, magno & liberali animo eas donabant, & eodem animo se paruos in oculis suis reddebant.

Quantum ad vanam gloriam, & transitoriam famam, atque similia alia bona spectat, non solùm ea non quærebant, verùm etiam vt maxima impedimenta, & velut animæ pestem fugiebant; oculos clausos habebant honoribus, & aures humanis laudibus, seque, ne conspicerentur, abscondebant, & conspecti, ne cognoscerentur, sese radebant. si loquebantur, ideo fiebat,

vt se in paruis ac magnis rebus humiliarent; si in conspectum hominum se dabant, erat id, vt apparerent parui & contemptibiles. Paucis, omni occurrente occasione eorum erat honor, esse sine honore, & cum contemptu; si id tamen credebant esse iuxta Dei voluntatem. Quin & aliqui nonnunquam eousque in hoc gradu progressi sunt, vt etiam honorem timerent in ignominia, & solatium ac commodum in tormentis. Ita gloriosus Apostolus PETRVS petijt crucifigi pedibus sursum, timens ne similitudine sitûs supplicij sui Magistri crucifixi, honore videretur affici. Vnde obstupescens Sanctus Augustinus sic ait: *ô nobilis humilitatis virtus! timet ne honore afficiatur etiam in supplicio, & non recusat pati tormenta crucis sui Domini; timet autem similitudinem triumphi!* Talis est Sanctorum in sua humilitate magnitudo animi! & talis animus in infirmitate! diuites sunt in paupertate, fortes in tormentis, & gloriosi in ignominia. & id ex eo quia sunt humiles.

Singularem

Singulares humiliationes nonnullorum magnatum.

SECTIO XLII.

NOn pauci tum origine, tum eminentiâ dignitatis homines, excellenti cum singularis humilitatis laude magnanimitatem suam ostenderunt in actionibus, mundanorum hominum iudicio, infimis. Ita Dauid saltauit coram arca accinctus ephot lineo. quam actionem filia Saulis, eius vxor Michol illi amaro animo exprobrauit, dicens: *quàm gloriosus fuit hodie Rex Israel, discooperiens se ante ancillas seruorum suorum, & nudatus est quasi denudetur vnus de scurris.* ad quod Dauid meliori, sed iustâ commoto irâ animo respondit: *ante dominum, qui elegit me potius, quàm patrem tuum, & quàm omnem domum eius, & præcepit mihi vt essem dux supra populum Israel & Iuda, & vilior fiam plus quàm factus sum: & ero humilis in oculis meis: & cum ancillis, de quibus locuta es, gloriosior apparebo.* Responsio hæc dura eò dirigebatur, vt superbia huius elatæ Reginæ retunderetur: quæ res diuinas suæ vanitatis re-

2. Reg. 6. 20. & seqq.

gulâ metiebatur. Secundus Dauid, Saluator noster, inter innumera exempla humilitatis, quæ viuens exhibuit, duo fuêre celeberrima, patentissima, & maximè notabilia. PRIMÙM fuit, quando sextò ante passionem suam die ingressus est Hierosolymam cum apparatu magnanimæ simplicitatis, & admirabili mundi contemptu. is autem fuit, quòd sedens super ASINAM, pauperum piscatorum vestibus stratam, loco generosi equi pretiosis paramentis ornati, ingressus sit, habens, loco concomitantis equitatûs, turbas infimæ plebis præcedentes; custodiæ autem & comitatûs regij vices, pedibus incedentes obibant homines idiotæ; tympanistarum, cornicinum, & tubicinum partes agebant innocentes pueri, & infima plebs clamantes: OSANNA! Et hoc modò ingrediens Saluator ciuitatem duxit in triumphum superbiam & vanitatem veterum triumphatorum, & hoc per detestationem, & fugam magnificentiæ, & gloriæ eorum inanium triumphorum. Factum hoc humilitatis, quod notârat in æterno suo codice, vt diuinum & ra-

Matth. 21. 5.

rum,

rum, mandârat iam olim prænunciari & honorari per diuinos suos vates. Vnde eorum vnus sic ait: *dicite filiæ Sion, ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum filium subiugalis.* Et alius verbis lætitiæ plenis: *exulta satis filia Sion, iubila filia Hierusalem, ECCE REX TVVS, veniet tibi iustus & Saluator.* Et non longè pôst describens ordinem humilitatis Domini Saluatoris, dicit: *ipse pauper & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ.* Magnificam hanc humilitatem, & humilem magnificentiam solenni quotannis officio decantat & laudat, magnificans amplitudinem & Maiestatem sui Saluatoris Ecclesia. Isai. 62. 11. Matth. 21. 4. Zachar. 9. Ioan. 12. 15. Ioan. 13. 14.

SECVNDVM insigne humilitatis exemplum exhibitum est à Saluatore pridie diei suæ passionis, quando Apostolis lauit pedes, & instar vilissimi seruuli ante eos in genua procubuit. Exemplum sanè humilitatis fuit prorsus diuinæ, propter personæ infinitam dignitatem. Quod maiores Ecclesiæ Prælati & principes, honoris & humilitatis causâ in eius Ecclesia imitati sunt. Ac in primis supremus eius in terris Vicarius, qui quotannis pauperibus Platina.

lauat pedes. Complures etiam Imperatores & Reges Christiani idem præstant, & nominatim è DOMO AVSTRIACA Imperatores, Reges & Archiduces oriundi, sicut & CHRISTIANISSIMI Reges Galliæ. qui omnes hac actione testantur, minima opera virtute humilitatis signata, & recta intentione ac generosâ resignatione facta, esse maximè Cæsarea & regia coram Deo & angelis eius. Alius quidam eximius humilitatis actus vsitatus est in Ecclesia, qui est occupare vltimum locum non tantùm in mensa, quod iam vulgaris est humilitatis, sed etiam in sacris actionibus & publicis orationibus, vt sunt processiones, in quibus maiores, qui debent esse humiliores in procedendo, vltimum tenent locum, tanquam conuenientiorem suæ humilitati. Quod si hodie vltimus locus iudicatur dignior, id fit non ex naturâ rei, quia primus locus ex se est honorabilior: sed quia vltimus locus est locus humilitatis, quem MAGNI sibi eligunt, si verè magni sunt, vt sunt, aut esse debent: præsertim verò Prælati, & qui altari Dei deseruiunt. Et tunc singulari modo

Viui & occulti testes.

Annal. Franciæ.

modo in ijs completur, quod dixit Saluator: *erunt nouissimi primi, & primi nouissimi.* id est maiores erunt humiliores, & humiliores maiores. Matth. 19. 30. & 20. 16.

Tria vota, obedientiæ, castitatis, & paupertatis, media præclara ad fundandum hunc quintum humilitatis gradum.

SECTIO XLIII.

MVndi Saluator Christus benedictus sancto suo Spiritu, & exemplo, suæ suggessit Ecclesiæ, in gratiam amatorum consummatæ perfectionis, tria media, ad perficiendam vno ictu structuram humilitatis huius gradûs, nimirum votum OBEDIENTIÆ, CASTITATIS & PAVPERTATIS, commune omnibus religiosis. Inuentio equidem profectò filio Dei, supremâ Sapientiâ apprimè digna, & prolusio verè cælestis ad profundè & exactè in omnibus tum bonis, tum malis, quæ attulimus, se humiliandum. Et quemadmodum, vt alibi ostendi, vota hæc sunt fundamentum tertij humilitatis

militatis gradûs (sunt enim integra, sui ipsius abnegatio, quæ est essentia & ratio illius gradûs) ita hîc ostendo eadem esse fundamentum huius quinti gradûs. Et hoc in quantum suppeditant media exequendi & exercendi (iuxta quod ille docet) omnes humiliationes, quæ & in bonis, & in malis animæ, corporis, & fortunæ exerceri possunt. Ostendo autem hoc modo: homo per OBEDIENTIÆ VOTVM animo æquè liberali ac generoso omnes animæ suæ facultates subijcit Deo, ei per modum sacrificij IVDICIVM, VOLVNTATEM, & MEMORIAM suam offerendo, ac eadem imponendo super eius altaria; nec non amore, & intuitu gloriæ eiusdem Dei optimi maximi in manibus superioris resignando, vt de ijs disponat, ijsque vtatur pro libitu. quæ resignatio & HVMILITAS non minus profunda, liberalis, & magna est, quàm fortis. Per CASTITATIS autem votum idem homo offert eidem Deo in holocaustum suauitatis, sanitatem, fortitudinem & corporis pulchritudinem, cum animo firmo & deliberato ea omnia ad illius honorem impendendi

di, & renunciandi absq; vlla exceptione omnibus mundi voluptatibus & illecebris. Quin & per PAVPERTATIS votum exuens se homo omnibus bonis, quæ vnquam habere posset, ex ijsque integram ac intimam visceratione exhibet humilitati, ab ea remouendo omnia forinseca impedimenta, quæ eius progressum & cursum retardare possunt, efficitque vt homo terræ renuncians per strenuam & feruentem ab ea auersionem; nec non animo firmo planè ac cælesti valedicat diuitijs, honoribus, gloriæ, famæ, & omnibus omnino, quæ homines mundani à mundo expectare solent; è contra vt in animo suo formet constantem voluntatem patiendi egestatem, & inopiam, contemptum, & ignominiam pro Christi amore, eumque quàm fieri potest proximè, viâ crucis pergentem sequendi, & in omnibus rebus, quo ipsum imitetur, se humiliandi. Qui cùm esset Deus & Dominus omnium, *exinaniuit in omnibus se ipsum, formam serui accipiens, factus obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis.* vt sæpe diximus, nec tamen vnquam sufficienter dicere possumus. Philip. 2. 6. 7.

Vis

Vis huius triplicis voti & humilitatis, quam illud generat, descendit vsque ad ipsius terræ centrum: quod est dominari toti terræ, & pertingit vsque ad ipsos cælos. Vnde quicunque illud obseruârit, & humilitatem per illud productam adeptus fuerit, securus est de pretiosa illa, quam Deus ad honorandos humiles ab omni æternitate præparauit, coronâ accipiendâ.

De gradibus superbiæ contrariis humilitatis huius gradûs.

SECTIO XLIV.

SVperbia & superbi etiam habent suos gradus, sed contrarios humilitatis & humilibus hoc gradu descriptis. Humilitas enim mouet & impellit sui amatores, vt inquirant sapienter & amplectantur fortiter omnis generis mortificationes, in anima, in corpore, & in rebus fortunæ: imbuant insuper in omnibus animum suum humilitate, ad imitationem sui Saluatoris; Beatæ Matris; Sanctorum Angelorum, ac omnium aliorum Sanctorum,

rum, vti iam ostendi. Ex diametro autem docet superbia more suo, id est stulto, semper aspirare ad res magnas, iuxta mundi opinionem; semper & absque intermissione alta petere æmulando Luciferum, & eius complices, spiritus malignos; qui vnà cum illo assiduè dicunt: CONSCENDAMVS; in quo, quod Dauid loquens cum Deo condemnabat, agunt: *superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* Dei filius omnium rerum sator è cælo veniens humilis nos docuit, vt qui SIMVS, AGNOSCAMVS, & vbi COGNOVIMVS INFIMIS CONTENTI VIVAMVS: Lucifer autem pura creatura, voluit se comparare Creatori: Vnde meruit de cælo præcipitari in abyssum sulphureum. nec hoc obstante, insuper se ab insanis in terra, vt Deum adorari fecit: habens suos Prophetas & prædicatores, qui fictitia eius miracula promulgent, faciantque, quod ille fecit, & adhuc facere continuè pergit inter filios tenebrarum. quò se exaltet, & ad sui imitationem suas asseclas (qui prorsus se ignorant) eò præsumptionis adducat, vt quemadmodum ille se,

Isaia 14. 13.

Psal. 73. 23.

ita & ipsi sese eousque eleuent, vt Deos se existiment: prout supra vidimus in nonnullis exemplis de Nabuchodonosoribus, Alexandris, Neronibus, Caligulis, & alijs eiusdem superbiæ alumnis. Idem Saluator aperiens ACADEMIAM HVMILITATIS, primâ statim lectione humiles, vocauit Beatos, ijs hæreditatis loco promittens æternam felicitatem, seque pro regulâ ad illam acquirendam constituens dixit: *discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Lucifer contrâ, primum, quod dedit mortalibus documentum in personis nostrorũ protoplastorum Adam & Euæ, fuit, docere eos superbiam & stultitiam (quâ affectarent diuinitatem) dum ijs porrexit escam vanitatis his verbis contentam: *eritis sicut Dij.* Et vt in cælo se caput rebellium, ita in terris regem & patronum omnium superborum se constituit: quod etiam nunc continuat. Summatim vt Saluator inspirauit Ecclesiæ suæ spiritum humilitatis, docens eam in omnibus, & per omnia bona, & mala, tum animæ, tum corporis, tum etiam fortunæ se humiliare; ita Angelus hic refractarius

Matth. 11. 29.

Gen. 3. 5.

rius insufflauit mancipijs suis spiritum superbiæ, docens eos planè contraria tenere, ac in omnibus, & per omnia quærere transitorios honores, fluxam gloriam, superfluas commoditates, & voluptates huius vitæ, postpositâ omnino, aut fere omnino, curâ alterius: quod nunc breuiter videndum est.

Vanitas hominum mundanorum in bonis animæ, & origo errorum, ac scientiarum magicarum, & aliorum malorum.

SECTIO XLV.

POstquam huius tyranni mancipia in animis suis priores quatuor superbiæ locârunt gradus, non negligunt hunc quintum illis quatuor superaddere. Eius autem est omni conatu & indagine mundanam gloriam, & media ad omnem ostentationem venari. Inflati iam sunt sui ipsorum æstimatione: quâ in sui esse primus superbiæ gradus constituitur, didicerunt se alijs præferre, iuxta secundum; desiderant ardentissimè magni haberi & omnibus

Graduum superbiæ ordo.

Arist. lib. 1. phys. & alibi. Democ. ex atomis omnia fieri putabat. Cic. lib. 1. de finibus bon. & mal. Anaxag. niuem nigram dixit Cic. 4. Acad. Nicetas Syracusius cælum stare censet & terram moueri. Cic. ibid.

dum quilibet in sua schola vult haberi altero sapientior: alijs asserentibus mundum creatum ex aqua, alij asserebant ex igne; alij ex atomis & minimis corpusculis, qualia videntur in radijs solis transmeantibus locum opacum; alij denique ex amicitia, alij è contra ex discordia; nonnullis asserentibus omnia esse falsa; alij dicebant omnia esse vera; niuem esse nigram, cælum esse fixum & immobile; terram autem moueri, & solem esse lapidem ignitum; terram autem esse stellam. Quod est ex centro facere circumferentiam, & ex circumferentia centrum, & vniuersum prorsus inuertere. Omnis ista varietas opinionum veniebat ex vanitate iudicij. Quæ vanitas, quemadmodum ambitio turris Babel procreauit confusionem linguarum, ita generauit multitudinem opinionum. In quæstione de FELICITATE & BEATITVDINE, (quæ omnium summi est momenti) neque conuenerunt magis, neque sapientiores fuerunt, quia in omnibus erant superbi: & semper videri volebant melioribus argumentis vallati: dum eorum quilibet credebat, & dictitabat,

ctitabat se in suo agro felicitatem reperisse. Aliqui volebant eam consistere in bonis animæ, vt Aristoteles; alij autem corporis, vt Epicurus; alij in honoribus & diuitijs, vt maior mortalium pars. Et sic quilibet suum aduersarium refutare conabatur. Aristoteles Platonem; Epicurus Zenonem; alij alios: omnes autem non veritatem, sed vanitatem quærebant: quilibet enim illorum videri volebat veritatem solus attigisse; ac proinde honoris punctum retulisse. Supra eundem gradum fundata fuit ars Magica, & commercium cum Dæmonibus, dum curiositas filia superbiæ omnia affectauit scire. Vt quocunque tandem modo ac expensis se ostentaret.

Arist. lib. 1. Eth. c. 1. ad Nicomach. & lib. 1. moral. ad Eudemium 10. 2. Cic. 4. Acad.

Superbia origo hæresum, & plurium vanitatum. Antithesis humilium & superborum.

SECTIO XLVI.

IN ijsdem superbiæ antris hæreses sibi spelæa & cuniculos fecerunt ad euertendam Ecclesiæ Dei veritatem.

Cùm enim superbi illi spiritûs cedere nescirent, & timerent despici, magnaq; cum præsumptione diuina mysteria proprij ingenij capacitate, & non Dei omnipotentiâ, mensurarent, non credentes quicquam aliud, quàm quod ingenio suo comprehendere posse se putarent: factum est, vt fidei lumen amitterent. Vnde peruersas doctrinas, in fornace sui cerebri effictas tanquam statuas quasdam spirituales populo adorandas proponere cæperunt, vt in illis, velut Nabuchodonosores, honorarentur. Et, vt designatum ex proposito scopum attingerent, mutuati sunt omnis generis vitiorum suppetias, eas subministrante superbiâ, quæ supremum est caput, & dux absolutus vitiorum omnium auaritiæ, luxuriæ, gulæ, crudelitatis, ostentationis, mendacij, iactantiæ, hypocrisis, rebellionis, seditionis, belli, & omnium deniqúe infernalium potestatum, quibus adiuuarentur in defendendis suis inuentionibus: quas iactabant, tanquam alijs longè meliores & firmioribus argumentis stabilitas: & hoc purè ad obtinendam vanam gloriam, quam animo sibi propòsuerant.

Daniel. 3. 1. 6.

fuerant. Hæc patefacta sunt per miseras, per infortunia, ac funesta incendia atque excidia, quæ diuersis in Regnis, & Rebuspublicis exorta sunt; confirmatum etiam est manifestâ experientiâ, quòd sapientis sententia sit verissima: *initium omnis peccati superbia.* Prouerb. 10. 15.

Quæ homo humilis facit & dicit, eo fine facit & dicit, vt Deo placeat, & ab eo remunerationem sui facti accipiat; contrà, superbus omnia sua facit & dicit, vt hominibus placeat, & ab ijsdem honorem consequatur. Tales fuêre inter Ethnicos illi, quos superius in genere notauimus: tales & inter Iudæos scribæ & Pharisæi, qui peculiari sectâ profitebantur huius scientiæ, & fictæ pietatis vanitatem. Hi (vt testatur Christus) præmisso plurimorum indiciorum apparatu, ieiunabant, orabant, prædicabant, vt viderentur ab hominibus, & gloriam ab illis, quod superbis solenne est, reciperent. Inflati eodem vento & impulsi erant illi, qui Saluatori dicebant: *transi hinc & vade in Iudæam, vt & discipuli tui videant opera tua, quæ facis. nemo quippe in occulto quid facit, & quærit ipse in palam esse, si hæc facis, manifesta* Ioan. 7. 3.

Vis huius triplicis voti & humilitatis, quam illud generat, descendit vsque ad ipsius terræ centrum: quod est dominari toti terræ, & pertingit vsque ad ipsos cælos. Vnde quicunque illud obseruârit, & humilitatem per illud productam adeptus fuerit, securus est de pretiosa illa, quam Deus ad honorandos humiles ab omni æternitate præparauit, coronâ accipiendâ.

De gradibus superbiæ contrariis humilitatis huius gradûs.

SECTIO XLIV.

SVperbia & superbi etiam habent suos gradus, sed contrarios humilitatis & humilibus hoc gradu descriptis. Humilitas enim mouet & impellit sui amatores, vt inquirant sapienter & amplectantur fortiter omnis generis mortificationes, in anima, in corpore, & in rebus fortunæ: imbuant insuper in omnibus animum suum humilitate, ad imitationem sui Saluatoris; Beatæ Matris; Sanctorum Angelorum, ac omnium aliorum Sanctorum,

rum, vti iam ostendi. Ex diametro autem docet superbia more suo, id est stulto, semper aspirare ad res magnas, iuxta mundi opinionem; semper & absque intermissione alta petere æmulando Luciferum, & eius complices, spiritus malignos; qui vnà cum illo assiduè dicunt: CONSCENDAMVS; in quo, quod Dauid loquens cum Deo condemnabat, agunt: *superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* Dei filius omnium rerum sator è cælo veniens humilis nos docuit, vt qui SIMVS, AGNOSCAMVS, & vbi COGNOVIMVS INFIMIS CONTENTI VIVAMVS: Lucifer autem pura creatura, voluit se comparare Creatori: Vnde meruit de cælo præcipitari in abyssum sulphureum. nec hoc obstante, insuper se ab insanis in terra, vt Deum adorari fecit: habens suos Prophetas & prædicatores, qui fictitia eius miracula promulgent, faciantque, quod ille fecit, & adhuc facere continuè pergit inter filios tenebrarum. quò se exaltet, & ad sui imitationem suas asseclas (qui prorsus se ignorant) eò præsumptionis adducat, vt quemadmodum ille se,

Isaiæ 14. 13.

Psal. 73. 23.

ita

ita & ipsi sese eousque eleuent, vt Deos se existiment: prout supra vidimus in nonnullis exemplis de Nabuchodonosoribus, Alexandris, Neronibus, Caligulis, & alijs eiusdem superbiæ alumnis. Idem Saluator aperiens ACADEMIAM HVMILITATIS, primâ statim lectione humiles, vocauit Beatos, ijs hæreditatis loco promittens æternam felicitatem, seque pro regulâ ad illam acquirendam constituens dixit: *discite à me, quia mitis sum & humilis*
Matth. 11. 29. *corde.* Lucifer contrâ, primum, quod dedit mortalibus documentum in personis nostrorũ protoplastorum Adam & Euæ, fuit, docere eos superbiam & stultitiam (quâ affectarent diuinitatem) dum ijs porrexit escam vanitatis
Gen. 3. 5. his verbis contentam: *eritis sicut Dij.* Et vt in cælo se caput rebellium, ita in terris regem & patronum omnium superborum se constituit: quod etiam nunc continuat. Summatim vt Saluator inspirauit Ecclesiæ suæ spiritum humilitatis, docens eam in omnibus, & per omnia bona, & mala, tum animæ, tum corporis, tum etiam fortunæ se humiliare; ita Angelus hic refracta-
tius

rius insufflauit mancipijs suis spiritum superbiæ, docens eos planè contraria tenere, ac in omnibus, & per omnia quærere transitorios honores, fluxam gloriam, superfluas commoditates, & voluptates huius vitæ, postpositâ omnino, aut fere omnino, curâ alterius: quod nunc breuiter videndum est.

Vanitas hominum mundanorum in bonis animæ, & origo errorum, ac scientiarum magicarum, & aliorum malorum.

SECTIO XLV.

POstquam huius tyranni mancipia in animis suis priores quatuor superbiæ locârunt gradus, non negligunt hunc quintum illis quatuor superaddere. Eius autem est omni conatu & indagine mundanam gloriam, & media ad omnem ostentationem venari. Inflati iam sunt sui ipsorum æstimatione: quâ in sui esse primus superbiæ gradus constituitur, didicerunt se alijs præferre, iuxta secundum; desiderant ardentissimè magni haberi & omnibus

Graduum superbiæ ordo.

omnibus anteponi, quod docet tertius; triſtantur & impatienter ferunt, ſi alia de ipſis concipiatur opinio, quàm ipſi vellent. & hoc eſt, quod quartum efficit gradum. Super hos quatuor priores gradus locant ac exaltant fabricam quinti: ſuper quem omnia ſua materialia congerunt, omnemq; machinarum ſuarum molem collocant, vt per oppoſitionem quinti humilitatis gradus, qui eſt inueſtigare & inquirere omnes vias ſe humiliandi, vt iam diximus, ſe ſuper omnes extollant. Eorum INTELLECTVS aliâ non occupatur re, quàm nouis adinueniendis, quibus ſe oſtentet; eorum MEMORIA hoc vnum iuxta ſuam capacitatem agit, vt quàm plurimas recluſas apud ſe habeat vanitatis merces, quas omni occaſione venales exponat; VOLVNTAS erga ea quæ intellectus adinuenit, & quæ ab eo accepta ſinu ſuo recondidit, non mediocriter affecta, vtrique facultati dat mandata, ſicuti etiam imaginationi, oculis auribus, linguæ, manibus, & omnibus ſenſibus tam interioribus, quàm exterioribus, vt totis viribus contenderet, ad obtinendam

obtinendam gloriam. Tales fuêre olim Sapientes mundi. Magi inter Persas; Chaldæi inter Babylonios; Brachmanes inter Indos; Philosophi inter Græcos. qui omnes toti quanti occupati erant ad curiosè inquirenda naturæ secreta, & ad subtiles instituendas de virtutibus, & vitijs disputationes: non ad inducendos homines ad Dei cognitionem, sed ad ostendendos coram hominibus se alijs doctiores; & in particulari, se ipsos suis collegis. Per hanc autem suam imaginariam scientiam sibi asciscebant magnifica nomina, eóq; sua stultâ curiositate deueniebant, vt, seipsos ignorantes, stulti fierent. Nomen verò PHILOSOPHI, id est amatoris sapientiæ, quod sibi Græci postmodum sub modestiæ vmbrâ, vt proprium assumebant, non minùs erat elatum & superbum, imò & adhuc magis, quàm sophos, sapiens; quia ei inerat eadem prætensæ sapientiæ vanitas, adhibito solùm fictæ modestiæ velo.

Super hunc gradum peregrinæ, & inter se discordantes opiniones antiquorum fuerunt exstructæ in disputatione de mundo, & de rebus creatis:

Pythág. apud Cic. Tusc. 5.

Arist. lib. 1. phys. & alibi. Democ. ex atomis omnia fieri putabat. Cic. lib. 1. de finibus bon. & mal. Anaxag. niuem nigram dixit Cic. 4. Acad. Nicetas Syracusius cælum stare censet & terram moueri. Cic. ibid.

dum quilibet in sua schola vult haberi altero sapientior: alijs asserentibus mundum creatum ex aqua, alij asserebant ex igne; alij ex atomis & minimis corpusculis, qualia videntur in radijs solis transmeantibus locum opacum; alij denique ex amicitia, alij è contra ex discordia; nonnullis asserentibus omnia esse falsa; alij dicebant omnia esse vera; niuem esse nigram, cælum esse fixum & immobile; terram autem moueri, & solem esse lapidem ignitum; terram autem esse stellam. Quod est ex centro facere circumferentiam, & ex circumferentia centrum, & vniuersum prorsus inuertere. Omnis ista varietas opinionum veniebat ex vanitate iudicij. Quæ vanitas, quemadmodum ambitio turris Babel procreauit confusionem linguarum, ita generauit multitudinem opinionum. In quæstione de FELICITATE & BEATITVDINE, (quæ omnium summi est momenti) neque conuenerunt magis, neque sapientiores fuerunt, quia in omnibus erant superbi: & semper videri volebant melioribus argumentis vallati: dum eorum quilibet credebat, & di-

ctitabat,

ctitabat se in suo agro felicitatem reperisse. Aliqui volebant eam consistere in bonis animæ, vt Aristoteles; alij autem corporis, vt Epicurus; alij in honoribus & diuitijs, vt maior mortalium pars. Et sic quilibet suum aduersarium refutare conabatur. Aristoteles Platonem; Epicurus Zenonem; alij alios. omnes autem non veritatem, sed vanitatem quærebant: quilibet enim illorum videri volebat veritatem solus attigisse; ac proinde honoris punctum retulisse. Supra eundem gradum fundata fuit ars Magica, & commercium cum Dæmonibus, dum curiositas filia, superbiæ omnia affectauit scire. Vt quocunque tandem modo ac expensis se ostentaret.

Arist. lib. 1. Eth. c. 1. ad Nicomach. & lib. 1. moral. ad Eudemium 10. 2. Cic. 4. Acad.

Superbia origo hæresum, & plurium vanitatum. Antithesis humilium & superborum.

SECTIO XLVI.

IN ijsdem superbiæ antris hæreses sibi spelæa & cuniculos fecerunt ad euertendam Ecclesiæ Dei veritatem.

Cùm enim superbi illi spiritûs cedere nescirent, & timerent despici, magnaq; cum præsumptione diuina mysteria proprij ingenij capacitate, & non Dei omnipotentiâ, mensurarent, non credentes quicquam aliud, quàm quod ingenio suo comprehendere posse se putarent: factum est, vt fidei lumen amitterent. Vnde peruersas doctrinas, in fornace sui cerebri effictas tanquam statuas quasdam spirituales populo adorandas proponere cæperunt, vt in illis, velut Nabuchodonosores, honorarentur. Et, vt designatum ex proposito scopum attingerent, mutuati sunt omnis generis vitiorum suppetias, eas subministrante superbiâ, quæ supremum est caput, & dux absolutus vitiorum omnium auaritiæ, luxuriæ, gulæ, crudelitatis, ostentationis, mendacij, iactantiæ, hypocrisis, rebellionis, seditionis, belli, & omnium deniq́ue infernalium potestatum, quibus adiuuarentur in defendendis suis inuentionibus: quas iactabant, tanquam alijs longè meliores & firmioribus argumentis stabilitas: & hoc purè ad obtinendam vanam gloriam, quam animo sibi propòsuerant.

Daniel. 3. 1. 6.

fuerant. Hæc patefacta sunt per miserias, per infortunia, ac funesta incendia atque excidia, quæ diuersis in Regnis, & Rebuspublicis exorta sunt; confirmatum etiam est manifestâ experientiâ, quòd sapientis sententia sit verissima: *initium omnis peccati superbia.* Prouerb. 10. 15.

Quæ homo humilis facit & dicit, eo fine facit & dicit, vt Deo placeat, & ab eo remunerationem sui facti accipiat; contrà, superbus omnia sua facit & dicit, vt hominibus placeat, & ab ijsdem honorem consequatur. Tales fuêre inter Ethnicos illi, quos superius in genere notauimus: tales & inter Iudæos scribæ & Pharisæi, qui peculiari sectâ profitebantur huius scientiæ, & fictæ pietatis vanitatem. Hi (vt testatur Christus) præmisso plurimorum indiciorum apparatu, ieiunabant, orabant, prædicabant, vt viderentur ab hominibus, & gloriam ab illis, quod superbis solenne est, reciperent. Inflati eodem vento & impulsi erant illi, qui Saluatori dicebant: *transi hinc & vade in Iudæam, vt & discipuli tui videant opera tua, quæ facis. nemo quippe in occulto quid facit, & quærit ipse in palam esse, si hæc facis, manifesta* Ioan. 7. 3.

te mundo. Proprijssima isthæc est stultorum & superborum lingua. Et quemadmodum docti superbi suam vænalem habent scientiam, vt cognoscantur & laudentur; ita pugnant strenui superbi; ita ambitiosi dignitates, & magistratûs ad eundem scopum collimantes suscipiunt. & omnes quotquot hoc malo, & quasi caduco morbo laborant, quærentes extolli super alios, incedunt per vestigia, quæ penitus opposita sunt semitis, per quas graditur humilitas. Inter homines studiosos humilitatis axioma est, *abscondere eximia talenta quantùm lex charitatis permittit; de ijs autem nunquam se iactare: sed ea cum modestia, absq; vllius contemptu, quando necesse est, expendere*: contrà superbis consuetum est, ea si habeantur, magnificare & ostentare: præsertim verò scientiam si adsit iactare & vænalem exponere cum aliorum contemptu, sibique persuadere satyricum illud verissimum esse:

Persius Sat. 1. *scire tuum nihil est, si scire hoc non sciat alter.* Ideo inflatis buccis omni occasione, veluti tubis ea publicant. Græci hoc artificio excellentes, ex musca, adhibitis vanis amplificationibus faciebant

bant

bant elephantem, & reboare facientes sua Gymnasia clamosis disputationibus, cæteros omnes contemnebant, vt soli laudarentur tanquam soli sapientes; cùm verè essent pueri comparatione Hebræorum & Ægyptiorum, vt ijs bene exprobrat Plato.

Descriptio superbi gloriosi, doctrinæ & scientiæ opinionem de se habentis, & mores superborum.

SECTIO XLVII.

SAcræ litteræ exhibent nobis exemplar huiuscemodi hominis viuis coloribus depictum, in persona iuuenis scioli nomine Eliu: qui, auditis discursibus & sermonibus amicorum Iob se seniorum, indignatus est contra eos, iudicans illos non bene ei respondisse. vnde, cum aliorum contemptu, magis se idoneum existimans in hunc modum loquitur: *iunior sum tempore, vos* Iob. 32. 6.
autem antiquiores, idcirco demisso capite veritus sum vobis indicare meam sententiam, sperabam enim, quòd ætas prolixior loqueretur, & annorum multitudo doceret sapientiam. sed vt

Video spiritus est in hominibus, & inspiratio omnipotentis dat intelligentiam. Non longaeui sapientes nec senes intelligunt iudicium. Ecce contemptus aliorum; audi iam eius iactantiam: *ideo dicam, audite me, ostendam vobis etiam ego meam sapientiam, plenus sum enim sermonibus & coarctat me spiritus vteri mei, en venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod laguncula nouas disrumpit.* Hic iactabundus Eliu, vt sibi videbatur, turgebat suis sublimibus discursibus, cogitationibus & sententijs, & inflatus in se ipso, postquam indignè & iniuriosè reprehendisset hos senes, aggressus est Iob, eum verbis non minus aculeatis, quàm insolentibus arguens ignorantiæ. Iste Eliu vera est imago eruditi superbi, & eruditus superbus est efformatus Eliu. Ideoque cùm gerat animum æstimatione suæ scientiæ inflatum, quantumuis exiguæ, anhelat eam ostentare. nactus proinde vel minimam occasionem, statim admirandâ loquacitate eam palàm facit. Et vt suæ scientiæ æstimationem reddat celebriorem, aliorum sapientiam quibus potest tenebris obscurat, eosque velut alter Eliu redarguit. Si quis coram eo inchoauerit

choauerit ſermonem, & aliquid in medium proferre voluerit, quod hic ſuperbus calleat, non expectat donec loquendi ordo ſe attingat, ſed anteuertens interrumpit inchoatum ſermonem, & loquenti verbum eripit ex ore: dicitque quod alter dicere volebat. Si quiſpiam Doctor doceat in publico, ſiue concionando in loco ſacro, ſiue pluribus præſentibus diſcurrendo, & hic notet punctum aliquod exquiſitæ doctrinæ, quod altâ voce non audeat efferre, aſtanti ſibi in aurem ſuſurrat, datq; ſignum ſe id ſciuiſſe; vel ſi phantaſia id ſuaſerit, interloquens, refutat illud vel deprimit ganniendo & muſſando, ad imitationem Eliu. & hoc eo fine, vt videatur ſapientior. Humilis autem in more poſitum habet, vt ſuos fateatur defectus, ſe accuſet, ac etiam corrigat, vt dictum eſt; at ſuperbi natura eſt planè contraria. Patet ex eo: quòd peccata ſua, & lapſus paruos æquè ac magnos occultat, & omni linguæ garrulitate excuſat; omnibuſque tum corporis, tum animi viribus ſe tuetur, ne conuictus videatur. & quantò magis eſt culpæ obnoxius, tantò ob-

stinatius se defendit, vt prorsus alienus à crimine videatur. Humilis tacet, si charitas sinat, esto falsè accusetur; superbus autem non solùm defensionis arma parat, sed etiam, posthabitâ omni veritate, proximum suum accusat. Iosephus calumnijs impetitus prorsus si-
Gen. 38. 7. let, contentus peccatum declinasse: at
Psal. 104. 18. meretrix & adultera superba, quæ eum calumniabatur, brachijs in modum ansæ ab vtroque latere proiectis coram marito tumultuando clamat, & Iosepho adulterij minas obijcit. Quàm ab
Dan. 3. 35. hac aliena fuit Susanna, quæ ad supplicium ducta, non loquebatur nisi lacrymis & suspirijs; Veteratores autem & criminosi isti senes absque intermissione loquebantur, & eam ad lapides, ad silices, ad saxa, ad mortem denique condemnabant. Et quemadmodum humilis, se accusans ad frugem se recipit, eundo de virtute in virtutem; ita superbus sese excusans, & studiosè sua peccata tegens, semper in sua pelle, id est, in sua superbia seipsum inuenit. vel, quod minus tolerandum est, fit peior. Causa autem cur nolit fateri suos lapsus, est, vel quia illos non nouit, quod

quod permagnum est impedimentum conualescentiæ spiritualis; vel si eos nouit, non vult deserere. Quæ cordis peruersitas maior est obex sanitati recipiendæ, quàm ignorantia. Vnde manet incorrigibilis ob suam cæcitatem, vel ob pertinaciã, vel certè ob vtrumq;. Et iuxta vitij propensionem, quod caret omni soliditatis fundamento, in dies abit in peius, & ex febri cadit in phrenêsin. Paucis, homo humilis custodit silentium, & os, oculos, reliquosque sensus, vt Deo placeat, sapienter custodit: superbus autem semper vult loqui, & si subinde tacet, non modestiæ, sed timoris causâ tacet; timor autem superbiæ est, qui illi claudit os, ne, si loquatur, ignorantiæ suæ tenebras in lucem proferat. Atque ita in omnibus & per omnia exerit quicquid virium habet, vel ad famam & gloriam mundanam acquirendam; vel ad tegenda sua vitia hypocrisi mundanâ. Prou. 11. 12. Eccl. 20. 7.

Eloquentia superborum.

SECTIO XLVIII.

Humiles,

stinatius se defendit, vt prorsus alienus à crimine videatur. Humilis tacet, si charitas sinat, esto falsè accusetur; superbus autem non solùm defensionis arma parat, sed etiam, posthabitâ omni veritate, proximum suum accusat. Iosephus calumnijs impetitus prorsus silet, contentus peccatum declinasse: at meretrix & adultera superba, quæ eum calumniabatur, brachijs in modum ansæ ab vtroque latere proiectis coram marito tumultuando clamat, & Iosepho adulterij minas obijcit. Quàm ab hac aliena fuit Susanna, quæ ad supplicium ducta, non loquebatur nisi lacrymis & suspirijs; Veteratores autem & criminosi isti senes absque intermissione loquebantur, & eam ad lapides, ad silices, ad saxa, ad mortem denique condemnabant. Et quemadmodum humilis, se accusans ad frugem se recipit, eundo de virtute in virtutem; ita superbus sese excusans, & studiosè sua peccata tegens, semper in sua pelle, id est, in sua superbia seipsum inuenit. vel, quod minus tolerandum est, fit peior. Causa autem cur nolit fateri suos lapsus, est, vel quia illos non nouit, quod

Gen. 38. 7. Psal. 104. 18.

Dan. 3. 35.

quod permagnum est impedimentum conualescentiæ spiritualis; vel si eos nouit, non vult deserere. Quæ cordis peruersitas maior est obex sanitati recipiendæ, quàm ignorantia. Vnde manet incorrigibilis ob suam cæcitatem, vel ob pertinaciã, vel certè ob vtrumq́; Et iuxta vitij propensionem, quod caret omni soliditatis fundamento, in dies abit in peius, & ex febri cadit in phrenêsin. Paucis, homo humilis custodit silentium, & os, oculos, reliquosq́ue sensus, vt Deo placeat, sapienter custodit: superbus autem semper vult loqui, & si subinde tacet, non modestiæ, sed timoris causâ tacet; timor autem superbiæ est, qui illi claudit os, ne, si loquatur, ignorantiæ suæ tenebras in lucem proferat. Atque ita in omnibus & per omnia exerit quicquid virium habet, vel ad famam & gloriam mundanam acquirendam; vel ad tegenda sua vitia hypocrisi mundanâ.

Prou. 11. 12. Eccl. 20. 7.

Eloquentia superborum.

SECTIO XLVIII.

Humiles,

HVmiles, si donum bene dicendi aut scribendi adepti sunt, in honorem illius, qui ipsis dedit, pro bono publico, iuxta eius intentionem, expendunt; superbi autem non nisi pro se loquuntur, gloriantes in commercio talentorum suæ linguæ, quæ, non obstante quòd sint denarij diuinæ gratiæ ijs commissi, mundo diuendunt ad vanam aucupandam gloriam. Aduocatus in septis curiarum, & publicis conuentibus omnes suas exerit vires ad bene lateque expandenda eloquentiæ suæ vela, legesque explicandas, non amore iustitiæ, aut, iuxta diuinarum legum iura, defendendorum suorum clientum gratiâ; sed colligendæ laudis & auctoritatis causâ: ac replendæ animæ suæ, vanitatis vento, marsupij verò auro & argento. Ille vnicus scopus est eorum argumentorum, & constituta meta finisque periodorum. Scriptor superbus idem prorsus facit. si quando res bonas scribat, non ideò scribit, quia bonæ sunt, sed quia eum exaltare, & celebriorem reddere possunt. Quod si sese obtulerit aliquod plausibile argumentum, esto sit contra virtutem, statim

ſtatim illud arripit, ſtatim vertit folium, & mutat calamum, curſumque ſuum iuxta flantem Zephyrum dirigit: ac demûm optatam nactus occaſionem onerat chartas numeris, fabulis, amoribus: quin etiam erroribus & hæreſibus: vt, dum eas exponit, & vænales proponit ſecundum affectum, aut ignorantiam eorum, qui eas vt probatas merces emere volent, pecuniam & famam colligat. Si hiſtorias ſcribat, diſcurſus ſuos vendit numeratâ pecunia; mendacium æquè ac veritatem adhibet, iuxta appetitum & propenſionem eorum, à quibus maiorem ſperat gloriam, & â quibus turgentius nummis marſupium oſtenditur, non aliter atque accipiter, qui relicto ſuſcepti volatûs curſu, reuolat ad ſe reuocantem, ſpe, etiam fallacis, prædæ.

Concionator vanus idem agit; prædicat quidem IESVM Chriſtum apparenter, ſed reipſa ſeipſum deprædicat. Deberet concionari pro auditorum ſalute; ſed concionatur ad ijs placendum, & aures mollibus quibuſdam verbis demulcendas, vt laudem inde conſequatur. Hinc eſt, quòd multùm

ſit

sit solicitus & studiosus in inuentionibus, comptus & exquisitus in verbis; affectatus in gestibus; & si polleat memoriâ, nullum dicendi finem facit; & (quemadmodum iuuenis ille superbus
Iob 32. 6. apud Iob) se effundit, velut vas musto plenum, & dicit non quæ necessaria sunt ad animas trahendas ad virtutis cultum, & ad retrahendas à vitijs, sed quod illi idoneum videtur ad persuadendum hominibus, quod sit doctus; & ad se ostentandum ac iactandum, populoque imponendum, vt dicant: *na iste prædicator est excellens, ausim affirmare à centum annis, neq; visum, neq; auditum in Cathedra illi similem.* Et miser hic agyrta istis se implens rumoribus, credit eos esse veros, & ex sinceritate cordis prolatos; credit insuper se populo dominari, cùm populus illi dominetur, eiq; concionis thema præscribat; dicens, quod mundani illi dicebant
Isaiæ 30. 10. olim mundanis vatibus. *Loquimini nobis placentia.* Hunc hominem mente captum, & voluntati ac petitioni suæ obsequentem inducunt, vt loquatur ac scribat quod illis arridet, nec latum, quod dicitur, vnguem, ab eorum beneplacito

neplacito discedit. Quo fit, vt cùm deberet esse prædicator Christianus, efficiatur præuaricator infidelis, & miserabilis proditor causæ Dei: dilapidat enim eius Ecclesiæ & sacrarum scripturarum thesauros pro vanitate comparanda. peior in hac parte & stultior eo, qui globis aureis iacularetur in passeres, faciens in id aucupium expensas infinitijs prope modis excedentes valorem prædæ. In hac autem præuaricatione primum locum tenent errantes Ministri, & falsi Prophetæ. nam præter quam quòd non laborent nisi pro vanitate, vt iam relatum est, impudentissimè insuper carnem, abdômen, Venerem, & obscœnitatem prædicant: mentientes interim & imponentes ijs, qui talibus doctoribus digni sunt, meram hanc esse voluntatem & legem Dei; cui talibus ferculis sit seruiendum. summa sanè perfidia; nec minor in Deum & homines iniuria & illusio; Scilicet hæc germina sunt infernalis istius, & maledictæ radicis superbiæ: quæ tali modo peruertit animas, & rebus sacrosanctis impiè abutitur, ad producendos non fructus, sed abortus.

Adulterantes verbum Dei. 2. Corint. 12. & c. 4. 2. Quod solam carnis voluptatem non spiritus fructum quærant.

De

De fortitudine & strenuitate superborum.

SECTIO XLIX.

QVi humilis est corde, prouentum facit ex omnibus bonis, quæ habet, eaque dirigit ad gloriam Dei; superbus autem contrario prorsus modo negotiatur: abutitur enim, vt bonis animæ, vanitatis causâ; ita & bonis corporis: fortitudine, strenuitate, pulchritudine, & sanitate ob eundem finem. Samson, Machabæi, Iosuë, Dauid, & alij generosi & strenui duces ac principes in lege veteri; Godefridi, Bulionij, Sancti Ludouici, & infiniti prope alij in lege gratiæ fortitudinem suam bellando bella domini pro Dei honore, pro gloria & bono Ecclesiæ ostenderunt. quia humilitatis erant studiosi, & signati charactêre filiorum Dei. at verò Nabuchodonosores, Goliathæ, Alexandri, Cæsares, & alij vanitatis milites, fuêre quidem strenui, & strenuè pugnarunt, sed vt se ostentarent, triumpharent, & magni præ

alijs

alijs apparerent, immortalitatisque in hac mortalitate nomen acquirerent. Et hoc quia erant superbi, id est stolidi, primique in catalogos ac commentarios regis superborum relati. Vide vel vnum Nabuchodonosorem regem Assyriorum conuocantem suos consiliarios, & ijs declarantem, in animo sibi proposuisse sceptro & imperio suo subiugare vniuersum mundum: eumque in finem potentissimum exercitum statuisse conscribere; duces tanquam instrumenta suæ ambitionis & sublimium cogitationum executores deligere, & ad expugnanda regna & prouincias, sibi necdum subiectas, mittere. Alexander Magnus è Græcia traijcit in Persiam cum exercitu triginta millium lectissimorum bellatorum: qui, vniuerso mundo subiugato, eum regem constituant. Romani fraude æquè ac virtute vsi sunt, vt tum vicinas, tum remotas nationes expugnarent: & ex eo quicquid ambitus totius continet vniuersi, vnam efficerent ROMAM, terramque vniuersam suæ ambitioni constituerent prædam. Pompeius Africam, Asiam, & Europam expugnat,

Iudicum 2. 2.

Plutarch.

1. Machab. 8. & 3.

1. Æneidos 19. & 6. 791. Liuius dec.

vt finem suis triumphis imponat, & in suа ciuitate se conspiciendum & suspiciendum exhibeat, radiantem fulgore rerum à se fortiter gestarum. Cæsar exteros æquè ac domesticos expugnauit, & victor victorum effectus, totius mundi Monarcham se constituit: dum residens in luce patriæ suæ ad supremum honoris mūdani fastigium ascendit. Hic scopus erat sublimium eius cogitationum, hæc meta ambitionis, vanitatis, clementiæ, strenuitatis, vigilantiæ, apparenter quidem virtutum; in veritate autem vitiorum: octingentæ vrbes, quas expugnauit, trecentæ nationes quas durante bello gallico subiugauit; quinquaginta prælia, in quibus superior extitit; victoriæ contra potentissimos reges, quos edomuit obtentæ: milliones hostium quos attriuit; vndecies centena millia hominum, quos internecioni dedit; thesauri & spolia quæ è diuersis regionibus abstulit; damna, iniuriæ, animorum afflictiones, quæ hominibus intulit, tandem bona, & mala quæ commisit, atque res in bello, & pace ab eo gestæ, & ad finem perductæ, in sua primæua origine

Plutarchus in eius vita.

origine quid aliud fuerunt, quàm effe- ctus eius superbiæ, quàm scalæ & gradus ad eum in alta sustollendum, ad quinos, vti factum est, instituendos triumphos, & tandem ad altissimum inter mortales dignitatis gradum, id est ad dignitatem & fastigium totius mundi Imperatoris, conscendendum? O quantò ei fuisset melius, suos labores impendisse, vt inter immortales esset gloriosus, vel potius simplicem agricolam egisse, quàm mundanum Imperatorem, qui postremò factus est mortis æternæ esca & spolium! Et hoc modo superbia inflat & inflammat hominum animos, quousque eos præcipitet, vti eum præcipitauit, qui PRIMATVM tenebat inter Angelos, & eo non contentus adhuc dicebat: CONSCENDAM, docens suo exemplo, & modo dicendi, eos, qui eum secuti sunt, quorumque *superbia ascendit semper*, idem facere.

Isaiæ 14. 13. Psal. 73. 23.

De pulchritudine superborum.

SECTIO L.

Licet pulchritudo corporalis ex se non sit res tanti momenti, vt debeat homini esse occasio superbiendi, aut de ea multùm gloriandi, vtl primo & secundo gradu dictum est; nihilominus cùm superbia semper habeat comitem stultitiam, nunquam finem facit quærendi vanitatem, etiam in rebus paruis; & deficientibus maioribus, in abiectis. vult enim æstimari & laudari ob corporis colores & lineamenta, non secus atque superbi docti ob ingenij pulchritudinem. Quæ superbia vt plurimùm est fœminarum propria, aut virorum effœminatorum. Actus superborum, si eos lubet cognoscere in hoc quinto gradu, sunt libenter multa videre, & velle cum animi voluptate videri, laborare item, vt suspiciaris, & comprimis ameris, & tandem te ipsum voluntariè des, aut casu venias in prædam alterius concupiscentiæ. Ita Dina filia Patriarchæ Iacob fecit iacturam suæ pudicitiæ, & euidenti periculo vniuersam patris sui domum exposuit. sua eam curiositas traxit foras vt videretur, & vt ipsa videret nobiles viros, atque fœminas Sichem

Gen. 34. 2.

Cananeæ.

Cananeæ. Vnde filius Regis, Princeps non minus elegans, atq; illa, eius pulchritudine captus eam concupiuit, illaque abusus est. Ob quod facinus cum suis subditis interfectus est. Ita & pulcher Absolon se perdidit, & pulchritudinem suam deturpauit, dum ob eam nimiùm se amans, superbiendi finem nullum facit. PRIMÒ quidem per nimiam ac vagam luxuriam, & tandem per horribiles incestus in Patris sui Dauid thalamum commissos. vnde postmodum eius cincinni, & compti ac longi, coloris aurei capilli, qui omnibus eum admirandum reddiderant. fuêre funis & restis, quâ moriens suspensus est. Pulchritudo elatam reddidit Reginam Vasthi, coniugem Assueri Regis, & eò vsque abripuit; vt mariti sui Regis mandata contemneret. Vnde iustâ superbiæ pœnâ, Deo peculiariter in hoc vitium animaduertente, repudiata est; & quæ paulò antè Regina honoratissima fuerat, mox vt vilissimum mancipium est tractata; Esther autem humilis in captiuitate detenta, eius in locum substituta, & ad thronum Regium euecta. Illam pulchritudo fecit superbam,

& superbia infelicem; humilitas autem huius pulchritudinem in tuto posuit, & felicem reddidit. Animæ decoræ, quæ nunquam non sunt studiosæ virtutis, quæ immortale est ornamentum animi, amant æternitatem; turpes autem, quæ nihil sapiunt nisi carnem, & res carnales, sibi placent in pulchritudine corporis: quæ est donum carnis, deceptio animæ, & tyrannis atrox, sed non diuturna. Prô Deum immortalem, quæ ista est dementia, quæ cæcitas superbiæ, innitentis rei tam fragili, & tam citò transeunti, & credentis se tali deceptrici, heræque tam vili, se mancipantis?

Vanitas diuitum superborum, & nominatim in conuiuijs.

SECTIO LI.

Val. Max. lib. 9. c. 2. excessus in cibo potu, veste, habitatione.

VT se habet superbus in bonis corporis, ita & in bonis fortunæ: semper insolens, semper stolidus. præcipuè autem in diuitijs, quæ mirum in modum inflant corda mortalium, vt sæpius dictum est. Illæ, illæ sunt quæ

quæ eos impellunt ad inuestigandum, & omni conatu & viâ venandam vanitatem. quâ captâ se omni occasione ostentant, possessiones suas iactitant, thesaurosque conspiciendos exhibent. Diuitijs cùm abundant à maioribus acceptis, vel ita ijs accumulandis student, acsi nihil possiderent; vel certè modis plurimis eas dissipant, sed maximè in conuiuijs, in vestibus, in lusibus, in donis suo nec loco, nec tempore exhibitis: alijsque pluribus parum conuenientibus modis. Et hoc totum faciunt, vel vt laudentur, & in admiratione ab hominibus habeantur; vel vt ad scopum aliquem vanæ gloriæ, quē sibi præfixerunt, prouehantur. Assuerus Rex Dominans cum imperio ab India vsque Æthyopiam super centum viginti septem prouincias, opulentior omnibus mundi Monarchis; conuiuium, siue apparatus, siue temporis diuturnitas spectetur, prorsus magnificum cunctis suis principibus, & Præfectis Prouinciarum, populoque vniuerso, qui Susam ciuitatem Regiam inhabitabant, fecit. Sed non alio fine, inquit scriptura, nisi *vt ostenderet diuitias*

Esther 1. 4. *gloria Regni sui, ac magnitudinem atq; iactantiam potentiæ suæ.* Vnde vt vanitas omni ex parte spectandam se exhiberet, voluit conuiuium istud multo tempore durare: *centum videlicet & octoginta diebus.* qui faciunt sex menses, expressos pluribus numeris ad exprimendam exactius diuturnitatem vanitatis. Intra hos sex menses liberum fuit cuicunq;, & vndecunque aduenienti gratis conuiuij mensam accedere.

Cleopatra Plin. lib. 9. c. 35. Cleopatræ Reginæ Ægypti diuitijs abundantissimæ, & vanitate ditissimæ, non fuit satis ostendisse magnitudinem suam vijs Regibus consuetis, vti ostendit Assuerus & alij Principes ac Reginæ: sed modo non minus prodigioso, quàm inopinato. Nam cùm ei certamen esset cum Marco Antonio Romano suo amico: quis eorum alterum magnificentiâ, melius dixissem, ingluuie, ac gulâ, superaret, mox post Antonium conuiuium per omnia Regium illa instituit. Et volens apertè iudicari, quòd Antonium superasset (qui vsq; ad illud tempus se superiorem putabat) detrahens sibi ex dextra aure dependentem maximum vnionem. cuius

Plut. in Ant.

Plin. ibid.

pretium

pretium (admirandum enim in illo visebatur naturæ artificium) excedebat ducenta aureorum millia, in aceto liquefactum, vno vini haustu ebibit; idem factura de eo, qui pendebat ex sinistra, eiusdem pulchritudinis & valoris, nisi Lucius Plancus Antonij aulicus, & iudex certaminis constitutus, eam impediuisset, clamans elatâ voce, EAM ABSQVE CONTROVERSIA VICISSE. Imperator Caligula, diues expensis ex contributionibus oppressorum ab eo populorum, nonnunquam vnâ cænâ consumebat milliones, & reditus plurium prouinciarum. Vitellius vnico ferculo è culina allato consumpsit viginti quinque aureorum millia. Apicius diues quidem opibus, sed ditior adhuc luxu & ingluuie: cùm enim prodegisset in culina ob vanitatem duos milliones auri, & medium, & initis rationibus, quid solutis debitis sibi restaret, deprehendens sibi non restare nisi circiter ducēta & quinquaginta millia aureorum, timens ne cum hac exiguâ summâ impari suæ gulæ, fame moreretur, desperatione gulam sibi fregit, vitamque resti suis conuenienter vitijs terminauit. Suet. in Claud.

Va-

Vanitas diuitum superborum in vestibus.

SECTIO LII.

Plin. lib. 8. 48. de vest. generibus. Prou. 60. chil. 3. cent. primæ. vestis virum facit.

Lib. 3. eleg. 12. v. 50. Senec. 7. de benef. c. 9. & de vita bea. c. 17.

Plin. lib. 9. c. 35.

SVperbia non contenta quærere vanitatem prodigiosis expensis, & curiositate ac vanitate ad satisfaciendum palato & gulæ; vlterius adhuc se extendit, & effundit in superfluitatem & iactantiam vestium ex auro, argento, serico & omnibus naturæ spolijs ac diuitijs, confectarum. *Matrona, inquit, Propertius, incedit census induta nepotum.* Et Seneca: *Video uniones non singulos singulis auribus comparatos: iam enim exercitatæ aureos oneri ferendo sunt: iunguntur inter se, & insuper alij bini suspenduntur. Non satis muliebris insania viros subiecerat, nisi bina ac terna patrimonia auribus singulis pependissent. Non satis inquit Plinius est gestare margaritas capite, nisi & pedibus, & crepidarum obstragulis, & totis socculis addant, calcent, ac per uniones etiam ambulent.* Et paulò pòst eodem capite: *Lolliam Paulinam, quæ fuit Caij* Principis *matrona, ne serio quidem ac solenni cæremoniarum aliquo* ... *apparatu,*

apparatu, sed mediocrium etiam sponsalium cœna, vidi Smaragdis Margaritisq; opertam, alternè textu fulgentibus, toto capite, crinibus, spiris, auribus, collo, manibus, digitisq; : quæ summa quadringenties H. S. id est millionem auri, colligebat: ipsam confestim paratam nuncupationem tabulis probare. Qualis erit confusio huius stultæ & elatæ fœminæ, aliarumque illi similium in die iudicij, quando turpitudo illarum animarum ac corporum palàm exponetur, & nuda flammis addicetur æternis? quæ & Marci Lollij huius fœmellæ vnionibus oneratæ auunculi, non solùm propter ostentationem ab eo nepti procuratam ad iactantiam, sed vel maximè propter commissas iniurias & concussiones in exteros populos, ad prædam colligendam? fuit enim grauiter diffamatus ob accepta infinita dona & spolia ab orientalibus Regibus. Is cùm è gratia Caij Cæsaris, Augusti filij, excidisset, desperans, hausto voluntariè veneno interijt.

Iste est finis diuitum superborum, & vanitatis diuitiarum.

De vanitate diuitum superbientium in statuis.

SECTIO LIII.

INter supradictas vanitates ita solennis fuit statuarum, vt fere omnes alias comprehenderit: repræsentat enim copora cum suis ornamentis, pulchritudine, magnitudine, habitu &c. exprimitque notis quibusdam ipsum ingenium conuestitum suis qualitatibus, generositate, eloquentiâ, liberalitate, alijsque similibus, è quibus affici gloriâ homines desiderant. Huic malo mirum dictu est, quàm olim cæca gentilitas fuerit addicta, conans frustrà sui memoriam consecrare immortalitati. idque per figuras per effigies, ac statuas, res vitæ expertes. Eum in finem primi mundi Reges, Ninus, Belus, & alij potentes curarunt se depingi & sculpi, erigentes nefandam idololatriam, dum figuras suas populo adorandas proponere ausi sunt. Ita Nabuchodonosor fudit statuam auream magnitudine & crassitie non minus prodi-

Hieron. in 2. caput Oseæ.

Epiph. in præfat. de hæres.

Dan. 3. 1.

prodigiosam, quàm pretio sumptuosam: iubens vt Dei instar adoraretur. Ita dæmones in idolis nidificantes persuadebant se consulentibus, se Deum esse. Romani facultatibus & diuitijs potentes, & supra modum gloriæ cupidi, reliquos omnes gentiles hac statuarum vanitate superârunt. Tusci, inquit Cassiodorus, primi in Italia repererunt vsum statuarum: quem posteritas tanto ardore amplexa est, vt tot viros & fœminas ars effingeret, quot terra naturali modo gignendi produxerat. vnde statuarum numero multitudinem innumerabilis populi adæquabat. Primo confecit eas ex lapidibus, lignis, ære selecto, atque similibus materijs: crescente autem hominum ambitione, fecit ex ebore, ex argento, ex auro, alijsq; pretiosis materijs. Domitiani Imperatoris non minus superbi, quàm crudelis statuæ ex puro auro confectæ in capitolio totius Vrbis loco augustissimo positæ fuerunt. Vnam ex auro centum librarum ponderis fecit. Commodus vlterius perrexit: fudit enim suam decies crassiorem, continentem nimirum mille libras,

Cassiodorus lib. 7. Plin. lib. 34. c. 7. nat. histor.

Statius S. Syluar. syl. v. 192. de capitulinis æternum sedibus aurum. &c. Dio in Commodo.

libras, adiuncto illi tauro & vaccâ, quasi Romanæ Vrbis fundator existeret. Erecta est Claudio Imperatori vna simili constans materia & pondere. Pompeius autem Magnus omnium superauit vanitatem: sibi enim confecit vnam ex puris Orientalibus vnionibus summi pretij, imò quis dubitet dicere plurium millionum? quam in tertio suo triumpho ferri curauit, reuera superbam humilitatem victam luxurię triumpho. Quod factum etiam eius amicis summè displicuit: Plinius etiam admirator alioquin & laudator rerum ab eo gestarum, verbis seueris & aculeatis illi exprobrat, vt stultitiam fœmineam, & occasionem futuram aliquando magni contemptûs. *O* MAGNE POMPEI, *dic amabò, quàm exiguo putas tempore tibi mansisset nomen* MAGNI *inter exteras nationes, quas tu, rebus fortiter gestis Romano Imperio subiecisti, si ita primâ victoriâ, vt hac, triumphasses? dum parum sapienter in hoc vltimo tuo triumpho ferri imaginem tuam ex margaritis curasti; ex margaritis inquam infiniti propemodum pretij; inuentionem quidem fœminarum, & propter fœminas repertam: sed quam gerere te fas non fuit:*

Trebellius in Claudio.

Plin. lib. 37. c. 2.

fuit: & hinc fieri tuos vultus? sic te pretiosum videri? Nonnè illa similior tui est imago, quam Pyrenæi iugis imposuisti? Graue profectò fœdumq; probrum erat, nì verius ira Deorum ostentum credi oporteret, clareq; intelligi posset, iam tum illud caput, orientis opibus sine reliquo corpore ostentatum. Hæc Plinius in ea re verè dixit, quòd nimirum id esset præsagium infortunij huius principis; non tam ob luxum, quàm ob superbiam, quâ erat inflatus: quamque peculiari modo ostenderat in templo Hierosolymitano, in quo contra diuinas leges vsque ad sancta sanctorum intrauit, Deumque sua præsumptione taliter irritauit, vt ab eo tempore (vt notant historiæ) paulatim ex sua auctoritate, & summo fortunæ splendore continuè vsque ad miserabilem suum exitum deciderit. Ad exemplum potentiorum quilibet etiam plebeius in hac ostentatione factus est vanus, & statuas, inquit Ammianus, si non ex auro aut argento, ad minus ex optima materia, quam eius facultates ei subministrabant, fieri curauit; neq; vllus tam vilis erat, quin suam haberet, aut etiam plures. Vnde adeo numero

Ioseph. antiq. lib. 14. c. 8.

Lib. 16.

mero excreuerunt, vt in plateis impedimento essent potius, quàm ornamento. Quare, vt excessum tolleret Claudius, fecit edictum, ne quis auderet erigere sibi statuam absque licentia senatûs. Non tantùm numero, sed etiam quantitate, figurâ, & venustate, sicuti & genere & materiâ fuerunt diuersæ. aliquæ enim giganteæ, & velut colossi; aliquæ mediocres & naturales, aliæ paruulæ & decurtatæ, nil præter caput & pectus ostentantes; aliquæ insidebant equis, aliquæ pedestres erant, hæ bigis impositæ, coronis ornatæ & pretiosis vestibus amictæ triumphabant; illæ armatæ erant à pedibus vsq; ad verticem, locatæ situ pugnantium. Et quemadmodum curiosi erant in erigendis sibi statuis, imaginarijs immortalitatis signis, ita accurati erant in ijs conseruandis. Vnde officium COMITIVÆ ROMANÆ, constans pluribus militibus, qui noctu pro templi foribus, & locis publicis vigilabant, ne quis aurum aut argentum abraderet è statuis, aut frangeret, aliamúe iniuriam inferret, constituerunt & stabiliuerunt. Et vt serius rem commendatam haberent,

Plin. lib. 34. c. 6.

haberent, magistratus ponens Vigilias hac forma & his verbis vtebatur: COMITIVA ROMANA, HANC TIBI DIGNITATEM, & HOS MILITES DAMVS. IVBEBIS NOCTV VIGILARE; NAM DE DIE CIVITAS IPSA SE CVSTODIET. Porrò, quam immortalitatem elegantes eorum statuæ illis attulerunt, nisi æternam vanæ eorum stultitiæ notam? eorumné accurata custodia cauit, ne tempus edax rerum elîmans & consumens omnes res mundanas, eorum statuas non elimaret, non consumeret? & æternæ obliuioni traderet? & si fortasse adhuc aliquæ restant, ad quid seruiunt ijs, qui eas statuerunt, nisi fortasse ad animas eorum affligendas, quæ in altero mundo constitutæ sentiunt pœnas, dum intelligunt despectûs, qui in hoc illis inferuntur? Equidem fieri non potest, quin statua Pasquini verbi gratiâ, vt & aliorum, non sit magno ei dolori, qui illam fieri curauit (qui forsan fuit excellens aliquis Princeps) dum intelligit affixam, vnà cum sua memoriâ in vno angulo fori Romani, solenni cum irrisione & despectu, sine oculis, sine naso,

sine brachijs, sine figura, merè truncum, & molem lapideam, cum vna sica, quæ ad aliud non seruit, nisi ad sustinendas ridiculas inscriptiones, & dicteria Poëtarum, ac populi Romani, quando vel risum iocosis, vel fletum aculeatis verbis volunt mouere.

De vanitate eorundem in ludis, in donis, in officiis, & similibus operibus.

SECTIO LIV.

REperit & alium modum superbia ad ostentandas suas diuitias diuersis à suprà relatis expensis: quæ tam parum sunt necessariæ, quàm illæ de gula, de vestitu, de statuis. hic autem abusus deprehenditur in ludis, in donis, & ædificijs, alijsq; vanæ iactationis operibus. Antiqui Persarum, Ægyptiorum, ac Græcorum Reges sat ostenderunt, quid aggredi audeat superbia affluens diuitijs, in magnificentia ludorum, tam Olympicorum, quàm aliorum. ad quos velut ad feuda & retrofeuda, vt loquuntur Iuristæ, vanitas euocabat

Vanitas Regum Persiæ, Ægypti & Græciæ.

euocabat & subeuocabat homines, eos congregans ex omni mundi parte, & eorum stultitiam, ipsorummet expensis ducebat in triumphum: ac deinde pro compensatione laborum, & susceptarum molestiarum eos donabat coronâ folijs contextâ. Romani vt potentiâ omnes mundi populos superârunt, imperioque suo subiecerunt, dum generales compilatores diuitiarum totius vniuersi, eas vnum in locum comportarunt per diuersa bella: quæ à Romulo vsq; ad Augustum contra exteras nationes trecenta & duodecim gesserunt, & totidem vicibus earundem expensis triumphârunt; ita prodigiosis ostentationum & vanitatis inuentis omnes omnino anteierunt. Cæsar Augustus diuersis vicibus iussit celebrari viginti quatuor ludos publicos suo nomine, & viginti tres alios nomine suorum amicorum: qui diuersis in locis magistratûs gerebant, quiq; vel erant absentes, vel si præsentes, ijs non pollebant facultatibus, vt tantas facere possint expensas. Porrò in quemlibet horum ludorum expendebantur minimum decem milliones auri. Plus

Plin. lib. 33. c. 3. & Dio in Neron. tamen expensum est in eos, quos exhiberi curauit Nero; in quibus singularis planè apparuit vanitas, eò quòd theatrum & scenam laminis aureis curârit cooperiri, & ex eodem metallo confici omnia necessaria ad eos celebrandos instrumenta; superiorem autem theatri partem curauit obduci purpurâ, gratiosè in ea proseminatis stellulis, quibus incidentes solis radij cohiberentur & refringerentur. Qui apparatus causam dedit, vt dies illa vocaretur aurea. Iulius Cæsar ante Neronem, ædilis solùm existens, & nondum Princeps, in Patris sui funeralibus immensarum, ac prope infinitarum expensarum ludos fecit exhiberi. fuitque primus qui theatri solum proseminauit arenis argenteis, iussitque hastis, lanceis, ac sarissis argenteis pugnari. Vrsos item & alias bestias feroces ex diuersis & longinquis regionibus adduci. Titus Vespasiani filius non obstante, quòd naturâ erat suauis & modestus, omnium vanitatem superauit. Nam in dedicatione sui theatri fecit ludos, qui durarunt centum dies. & omissis apparatûs expensis, quolibet

(Margin notes: Plin. lib. 33. c. 3. — Dio in Tito.)

quolibet die dabat decem millia aureorum, curans per mille & mille inter turbas proijci sphærulas ligneas missiles, in quibus scriptum erat donum, quod is, qui talem habebat, accepturus erat; v. g. qui sphærulam, in qua equus, in quâ auis magni pretij, in quâ domus, in quâ aper, in quâ vas aureum, in quâ lapis pretiosus, acceperat, eâ exhibitâ, illi equus, auis, &c. dabatur. Atque ita ritè calculatis & computatis expensis in istos ludos, deprehensum est, quòd vltra octoginta milliones auri prodegerit. quos in partibus orientalibus, maximè autem in Palæstina & Hierosolymis per eum destructis & subuersis, rapuerat. Heliogabalus non valens facere maiores expensas, maiorem commisit stultitiam; celebrauit enim ludos Circeos cum repræsentatione plurium bellorum naualium, pro quibus fecit mare, non aquis deductis ex aquæductu, sed ex vino Italico, & ex alijs regionibus allato: super quod velut supra mare rubrum naues & triremes pugnaturæ ad inuicem concurrebant. Nec tantum Imperatores & Principes his & si-

Lamprid. us in Heliogabalo.

millibus ludis se, suasque diuitias ostentabant, sed etiam priuati ciues: nam Probus Alyppij filius, expendit in hæc & similia mille & ducentas libras auri, quæ excedunt sexaginta millia aureorum. Symmachus autem in prætura filij sui Symmachi, illi suppeditauit ducenta millia aureorum. Quid referam de infinitis donis, de curiosis, superfluis, & vanis ædificijs, quæ cæca gentilitas extruxit, vt suam opulentiam palàm faceret? Quid de pluribus dominis & principibus Christianis, qui eos non quidem in quantitate diuitiarum, sed proportione quadam stultitiæ sequuntur. Quòd enim tot milliones, quot illi, non profundant in tales prodigiosas expensas, causa est, quia illos non habent. profundunt tamen sine modo, spectatâ eorum thesaurorum exiguitate. Vnde eorum vani excessus vel in mediocritate satis apparent. Non quidem in vnum ferculum suæ mensæ expendunt viginti quinque millia aureorum, vt Vitellius; neque in vna cœna septuaginta millia, vt sæpius solitus fuit facere Heliogabalus; verùm sibi non ducunt religioni de-
Plin. 35. cem,

cem, & etiam viginti millibus coëmere sibi pudicitiam alicuius nobilis puellæ; vel sumptuosius se vestire, quàm ferant eorum reditûs; mille, duo millia, etiam viginti millia aureorum ludo prodigere chartarum, aut latrunculorum, & expendere in stolidas expensas quatuor, & quinque millia. quæ sunt maior pars eorum prouentuum. Si autem agatur de decem aureis dandis pauperibus, en manum chiragrâ contractam nequeunt aperire ad benefaciendum. quantumuis sint Christiani, & in schola, non solùm naturæ (vt miserabiles Ethnici) sed etiam fidei Catholicæ, quæ docet eorum opes & diuitias esse à patre luminum, instructi. Quas proinde opes, cùm non nisi dispensatores & œconomi earum sint, communicare deberent cum pauperibus: scientes futurum vt aliquando de earum vsu seuera ratio à se exigatur; præmiumq; vel supplicium æternum, juxta quod ijs vsi fuerint, tribuatur.]

Lamprid. in Heliogabalo.

Et ista est superbiæ vanitas
in suis diuitijs.

Superbi celebres & nominati.

SECTIO LV.

HOmo humilis & sapiens non quærit celebritatem sui nominis, sed, si fortasse non quęsita eum sequatur; eâ nec capitur, nec decipitur: superbus autem è contrario, si in communi hominum turba sit incognitus, si potest, erigit caput, & velut alter Neptunus super aquas sese ostentat. & si peruênit ad alicuius ingenij celebrioris, scientiæ, strenuitatis, vel pietatis, aut alterius ornamenti notam & famam, continuè male negotiando, ijs abutitur: vt solent ij, quorum malignantis ingenij prauitas omnia conuertit in malum, & ex omni ligno, imò & ex proprio excremento, veluti Ægyptij in deserto, excitat ignem & fumum. PRIMO enim ambas aures exhibet patulas omni rumori, & narrationi, quam sibi fauorabilem credit; si talem deprehendit, gaudet in sinu suo: & plenus ac inflatus vanitate, sibi persuadet omne quod de se dicitur ipsissimam esse

veritatem;

veritatem; quin & opinionem, quæ de se habetur, credit minorem esse suis meritis: Et intellectum (etiam conscientiá repugnante) vt idem credat cogit: & prætermisso propriæ conscientiæ (quam intuetur) testimonio, sibi blanditur in alienæ, quam ignorat. Quid multa? ita profundè se immergit in tenebras suæ stultitiæ, vt de se res manifestissimè falsas credat: & hoc fere adinstar eorum, qui imaginantur se esse ollas testaceas, gallos gallinaceos, & res similes, quæ non sunt. credit se esse strenuum, si quispiam id insusurret, cùm in rei veritate sit ignauus; & stolidus cùm sit, credit se sapientem; & hoc quia aliquis forte fortuna in eo notauit aliquem prudentiæ actum; si Philosophum quispiam eum vocârit, id continuò credit, nec qualemcumq; Philosophum, sed omnibus numeris absolutum; quin & alterum Sosiam. si quispiam Mercurius ei loquatur, facile persuadebit, vt credat se non esse qui est, sed alium. Si nôrit perorare, esto satis miserè; si aliquos versus cudere, quamuis exigui momenti, adueniente vno vel altero adulatore, qui

eum promulget, dicens eum esse consummatum Oratorem, celebrem Poëtam, non minus stultâ, quàm firmâ fide id credit, licet propria experientia ei dictet contrarium. Tam est superbia debili capite, & facilis ad admittendas adulationes, & paradoxa; quin & manifesta mendacia, quando aliquâ adulatione ei auris demulcetur! Vt autem ad oculum pateat (sæpius idem repetiui) quòd superbia & stultitia comites sint indiuiduæ, ostendam (pro vltima manu imponenda huic gradui) quanta sit socordia & cæcitas superborum in inquirenda mundi gloria, quam tam ardenter desiderant.

Stultitia superborum in inquirenda mundi gloria.

SECTIO LVI.

DEduco ex quatuor capitibus & rationibus superbos esse amentes, dum in hac vita gloriam velut præmium suarum rerum & actionum benegestarum quærunt. PRIMÒ, quia assumunt rem humilem & interitui

ritui obnoxiam pro pretio virtutis, qualitatis diuinæ & incorruptibilis. SECVNDÒ, quia volunt remunerationem recipere tempore non congruo. TERTIÒ, loco non conuenienti. QVARTÒ per homines, qui id præstare nequeunt. Quod ad PRIMVM attinet, maximæ est dementiæ pro remuneratione virtutis acceptare gloriam mundanam, rem transitoriam, rem nullius pretij, neq; ponderis. quæ proinde neminem dignè potest remunerare; quia sola gloria æterna digna est virtutis compensatio. Accipere autem aliud salarium, est accipere somnium pro veritate, tempus pro æternitate, & vanitatem pro soliditate; & permittere sibi imponi in re summi momenti. Longè maior est dementia, quàm loco auri æs acceptare; loco adamantis crystallum; loco carbunculi vitrum rubrum aut viride.

Grad. 6. sect. 10. & 18.

Vera & sola gloria est pretium virtutis, & bonarum actionum: ad quam acquirendam omnis anima ratione prædita est procreata; si autem aliud quid eligit, sectaturúe, grauiter decepta, à ratione longissimè recedit, desinitque

nitque esse rationalis. Gloria mundana falsa res est, falsa gemma, & apparentia solùm depicta, pura puta vanitas, non valens ex se hominem magis reddere quietum, quàm pictæ Heliogabali dapes satiare & nutrire poterant; cum non sit nisi transiens fumus: quæ sæpe per stultos, qui in momento euanescunt, confertur. Nabuchodonosor, Alexander Magnus, & complures Romani Imperatores, qui diuinitatis in animis mortalium sibi pepererant opinionem (quod est summum fastigium, & excellentissimus humanæ gloriæ apex) in hoc putas titulo acquieuerunt? hîcné substiterunt? minimè gentium: sed semper vlterius & vlterius desiderabant progredi: & dicebant assiduè:
Isaiæ 14. 13. CONSCENDAM: & hoc iuxta veterem notam REGIS FILIORVM SVPERBIÆ LVCIFERI. Vnus pro cæ-
Plin. lib. 30. c. 10. teris sit testis Nero, qui omnibus Dijs, quin & ipsi Ioui volebat imperare. Sed age, dic, aliquisné aliquando extitit mortalium, qui collectos habens omnes mundi honores dixerit, satis est? Est igitur mera deceptio eligere gloriam humanam, pro gloria solida; fumum

mum pro splendore; & depicta solùm bona pro bonis infinitis: quid dico deceptio? imò est dementia, quæ omnem mundi superat dementiam. Vnde superbi, qui eam eligunt, ostendunt vnà simul cum intellectu & cerebro, seipsos perdidisse.

Aliæ superborum stultitiæ in inquirenda gloria mundana.

SECTIO LVII.

PRo secundo argumento positæ assertionis, dico permagnam esse stultitiam, rem aliquam requirere extra tempus suæ existentiæ. ille dubio procul absque iudicio existimaretur, qui in nostra Europa ficûs aut vuas recentes mense Decembri in vinea quæreret. Porrò certum est in vita hac non esse tempus accipiendæ coronæ, aut acquirendæ veræ gloriæ: ea enim solùm confertur in domicilio beatorum. Nostra vita, & nostrum tempus, est tempus pugnandi pro vera gloria acquirenda, & non cum gaudio hîc possidenda. Quod si aliqua subinde in hac vita

vita tribuitur mortalibus, qui rem, siue in bello, siue in pace bene gesserunt; non est id ad compensandam rem bene administratam, sed ad excitandos animos, & accendendos hac gloriæ scintillulâ; & alliciendos ad rem melius & melius semper gerendam, fortiusque contra hostem pugnandum, vsque ad tempus veræ compensationis recipiendæ. Non est itaque huic velut iniectæ escæ immorandum, vt supremo felicitatis apici, neque inhærendum cursui mortalis vitæ, sed contendendum *ad brauium supernæ vocationis*; cauendumque, ne media pro fine accipiantur, neue inuestigetur gloria immortalis intra spatia huius temporis, quæ sunt mortis confinia: cùm non inueniatur talis gloria, nisi intra ambitum æternitatis. TERTIÒ extremæ est dementiæ, rem quærere, vbi non est: quære quantùm velis delphinos in apicibus montium, aquilas in Oceano, malum aureum in crepidine Caucasi, minimè reperies. Stultum est igitur in his terris, vel sperare, vel quærere veram gloriam, cùm non magis hæc terra pretiosæ istius gemmæ sit locus, quàm montes del-

phinorum

phinorum receptacula. Terra hæc, est terra mortis, spelæum mortis, terra mortalium & mortuorum; transitus peregrinorum, & non permanens ciuitas. Quale ergo delirium est velle nominis sui immortalitatem stabilire in labente hac mortalitate, & volans tempus, quod nunquam subsistit, accipere pro æternitatis die? Romani & alij olim Victores non petebant sibi decerni triumphos, neque triumphabant in loco vbi pugnabant, sed Romæ in patria & loco propriæ commorationis. Hæc terra non est ad triumphandum, sed ad faciendum virtutis experimentum. illa, illa terra immortalitatis, *terra viuentium*, vera Patria filiorum Dei, & verorum bellatorum locus est triumphi & gloriæ; velle autem triumphare in terra, certaminis & laboris loco, est ignorare suam sortem, & vocationem, quin & prorsus delirare. I. Hebr. 3. 14.

QVARTÒ, dico vlterius maximam esse mundanorum hominum dementiam, suorum laborum expectare præmium ab ijs, qui nequeunt dare. Quanto vitio daretur illi duci, qui rerum à se gestarum remunerationem peteret à pueris,

pueris, mendicis, aut tenuibus agricolis, qui omnem militiam ignorant? Est igitur suprema superborum stultitia, quærere pro compensatione rerum in bello, vel pace à se præclarè gestarum gloriam mortalium. PRIMÒ, quia non sunt boni iudices actionum virtutum, cùm animum habeant obrutum tenebris ignorantiæ, aut vitio propriæ passionis sint excæcati. Quod est obex, quò minus sincerum ferant iudicium de veritate. SECVNDÒ, quia non habent salarium dignum virtute, cùm debeat esse æternum, & ipsi virtuti præponderare: aliàs non esset proportionatum. Ideóque non nisi Deus sapientissimus potest esse iudex virtutis, & ditissimus ad iustè compensandum gloriâ. quæ aliud non erit, quàm ille ipse Deus, qui est super omnia, verum præmium, & gloriosa remuneratio humilium. Et hoc est, quod ipse
Gen. 17. 1. Deus dicebat Abrahamo: AMBVLA CORAM ME, ET ESTO PERFECTVS.
Gen. 15. 1. EGO SVM MERCES TVA MAGNA NIMIS. Ille ergo merces æterna, & non bonum aliquod creatum. Ex his quatuor rationibus facile est perspicere
esse

esse extremam mortalium amentiam, quærere pro mercede suorum operum gloriam mortalem, acceptam ex paupertate mortalium, tempore huius mortalitatis, & loco huius vallis miseriæ & mortis.

Alia probatio stultitiæ mundanorum, sumpta ex testimonio eorundem SAPIENTVM.

SECTIO LVIII.

SVpradicta ita clara sunt, vt multi naturaliter discurrendo, beneficio luminis naturalis ea cognouerint: vt fidem facit Ethnicus Philosophus Aristoteles: qui cùm proposuisset quare antiqui non decreuerint præmium SAPIENTIÆ, id est veræ virtuti, vti decreuerant STRENVITATI, FORTITVDINI, & alijs qualitatibus eorum, qui in ludis Olympiacis, in Poëtica, in Rhetorica, & alijs actibus, & concertatione agitationéue corporis & mentis victores extiterãt? duas principales reddit rationes. PRIMA est, quia in terris non reperiuntur idonei,

& competentes iudices SAPIENTIÆ; iudex enim debet esse supra rem, quæ iudicatur: quis autem hominum est supra SAPIENTIAM? quis ergo eius poterit esse iudex? SECVNDA, quia in vita hac nulla digna merces reperiri potest SAPIENTIA. præmium enim & merces magis exoptanda sunt, quàm medium, quo finis acquirendus est. exempli causâ victoria magis, quàm pugna, præmium propositum victori, magis, quàm cursus. Porrò in hac vita certum est, nihil pretiosius, nihil desiderabilius esse SAPIENTIA. Ecquod igitur salarium & merces illi poterit assignari? Si nullus est ex mortalibus, qui possit sapienter ferre iudicium de humana sapientia, vt verè affirmat Philosophus: quî inueniri poterit tam sublime & tam excultum ingenium, quod sufficienti lumine sit instructum, & ita ab omni passione liberum, quod sciat formare sincerum iudicium de operibus prudentiæ, iustitiæ, fortitudinis, & aliarum virtutum Christianarum, surculorum sapientiæ, non humanæ, sed diuinæ? quodque valeat cognoscere earum meritum & perfectionem,

nem, vti ad Lidium lapidem examinatur & cognoſcitur aurum, iuxta omnem ſuum valorem & circumſtantias? ſed demus idoneum & ſufficientem iudicem reperiri, vbi autem tam potens reperietur remunerator, qui iuſtâ gloriâ & liberalitate in terra eas valeat coronare? in ea ſiquidem nullum donum, aut præmium inuenitur, quòd inferius non ſit virtute Chriſtianâ, neq; mortalium aliquis, qui maius conferre poſſit, quàm mortale, & interitui obnoxium, eſt igitur pura & vana mundanorum dementia in hac vita quærere gloriam pro remuneratione, & mercedem operum ex virtute factorum. Expectandum eſt, ô mortales, expectandum inquam eſt aliud tempus, quàm huius vitæ, alia remunerationis manus, quàm hominum, cælum nimirum & futura vita, ac cælorum creator, à quo merces ſperanda eſt.

Aliud documentum de non quærenda ab hominibus gloria, deſumptum ex ſacra ſcriptura & experientia.

SECTIO LIX.

CÆlestis patria est locus felicitatis: ibi, ibi de manu Dei præpotentis, & in omnes liberalissimi, merces magna nimis accipienda nos manet. Et hoc est, quod suprema sapientia suos Apostolos, & in eorum persona omnes Christianos docebat, monens seriò, ne opera sua facerent coram hominibus (vt faciunt mundani) sed coram Deo: neque thesaurizarent in terra, sed in cælo: *attendite*, inquit, *ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab illis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cælis est.* (Matth. 6. 1.) Idem solus bonorum operum est iudex competens, & solus potens dare veram & solidam mercedem: *nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, vbi fures effodiunt & furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cælo: vbi neque ærugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt nec furantur.* (Ibid. 6. 19.) Docet non esse facienda bona opera propter respectum humanum, neq; à mortalibus expectandam mercedem, sed à solo Deo, qui se ipsum dat in mercedem veræ gloriæ. Gloria enim, & omnia bona

bona huius mundi res sunt caducæ, interitui obnoxiæ: siue id proueniat à fragilitate, & debilitate, earum naturam concomitante, quæ eas destruit, rubigine obducit, & consumit; siue à longiore annorum, & sæculorum decursu, qui veluti latrones quidã omnia circumrôdunt, memoriam subfurantur, & perpetuâ obliuione sepeliunt.

Præter hactenus dicta, rem videndam ijs, qui oculos habent sat manifestè experientia proponit. Vbi est gloria Monarcharum totius mundi, qui tot molestijs, tot expensis, & totis viribus contendebant, vt laudarentur & honorarentur ab hominibus? vbi sunt eorum diuitiæ. vbi honores, vbi triumphi, vbi pompæ? vbi merces excellentium eorum operum? & quid in hac laboriosâ, pœnali, & ambitiosâ honorum mundanorum inuestigatione aliud agebant, quid aliud quærebant & venabantur, quàm muscas & papiliones, escam stultorum & volatilium ingeniorum? nonné id agebant, quod quidam eorum Poëta dicit: *Conemur cælum conscendere per scalas stultitiæ, æquè ac vanitatis.* per scalas inquam, quæ

non magis valebant eos in altum attollere, quàm paleæ pedibus substratæ? Vt ergo terram quærebant, ita in terra remanserunt, & nomina eorum scripta sunt in terris; animæ autem in centro inferni inclusæ clamant, & in æternùm clamabunt: *lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem domini ignorauimus, quid nobis profuit superbia aut diuitiarum iactantia, quid contulit nobis? transierunt omnia illa tanquam vmbra, & tanquam nuncius percurrens, & tanquam nauis quæ pertransit fluctuantem aquam: cuius cùm præterierit, non est vestigium inuenire, neque semitam carinæ illius in fluctibus: aut tanquam auis quæ transuolat in aëre, cuius nullum inuenitur vestigium itineris.* Vox ista est dolentium & pœnitentium POTENTVM MVNDANORVM, qui, morte obitâ, parui facti & confusione pleni, detrusi sunt in INFERNVM: qui sine fine in illo æternarum pœnarum loco gratis, & absque fructu lamentabuntur: quia vanitatis causâ in hoc mundo laborârunt, & humilitatis viam, quæ ducit ad cælum, vel deseruerunt, vel nunquam tenuerunt, & semitam superbiæ, quæ ducit ad sempiternam confusionem, ambulauerunt.

Sapient. 5. 7.

Percur-

Percurrerunt terras & maria ad bella gerenda, ad quærenda diademata, ad triumphos consequendos: & omnia propter vanitatem: extruxerunt superba theatra, & magnificos ludos instituerunt, & hæc propter vanitatem, & tandem vanitate decepti æternùm perierunt. Sed vnde prouenit quòd mortales voce Dei, & sanctorum toties admoniti, edocti etiam ab ipsâ experientiâ, quæ toties eis ob oculos ponit incertitudinem & fallaciam vanitatum; vnde inquam prouenit, quòd eam non animaduertant? quia sunt superbi, quia amentes; & quia sensus habent sopitos; oculos & aures habent, non hominum sensatorum, sed bestiarum omnis rationis expertium: vnde, neq; vident, neque audiunt lumen & vocem veritatis. Percipiunt quidem bestiæ oculis & auribus obiectum materiale, sed formale, sed quod diuinum est, minimè. Asinus exempli causâ aduertit quidem sonum musicæ, sed ipsum concentum & harmoniam nequaquam: gerit enim animam & aurem Asininam. Et hi quidem audiunt rumorem omnium harum veritatum,

sed

ſed neſciunt earum ſuccum & fructum ad ſe trahere: quia habent oculos & aures non ſapientum, ſed carni, vitijſque alijs deditorum: quæ neque malum, neq; bonum prius præſentiſcunt, quam ipſo præſenti malo tangantur, & extra ſpem omnis boni conſtituantur. EN VT SVPERBIA EST CAVSA STVLTITIÆ! ET VICISSIM STVLTITIA CAVSA SVPERBIÆ! ET VT HÆ DVÆ PERVERSÆ QVALITATES SEMPER SIMVL SVNT! ET AMBÆ SIMVL HOMINIS ADÆQVATA PERDITIONIS CAVSA! Sed aſcendamus nunc ad ſextum & vltimum gradum.

FASTIGIVM



Fastigium & Coronis ACADEMIÆ HONORIS

SVPRA

SEXTVM HVMILITATIS GRADVM.

QVI EST

LÆTARI DVM HVMILIAMVR.

Facilitas & lætitia in actionibus virtutis signum est habitûs acquisiti.

SECTIO I.

HIc GRADVS omnibus alijs sublimior in eo consistit, vt quis in actibus humilitatis lætetur. hoc autem fit in tribus bonorum & malorum generibus (de quibus hactenus tractauimus)

dum homo lætatur quòd in ijs nihili fiat; quòd contemnatur, & molestijs afficiatur; quòd occasionem habeat imitandi humilitatem crucis Saluatoris, sustinendo persecutiones, pœnas, ignominias, & alias incommoditates & aduersitates huius vitæ: quæ ex triplici bonorum & malorum scaturigine profluunt. Amplior autem est, quàm vllus ex præcedentibus: eósque omnes continet, fertq; secum animi quietem, & apicem diuini descensûs & ascensûs. quem ad conscendendum thronum veri Salomonis in cælo regnantis erigimus; præfert insuper notam humilitatis penitus acquisitæ. Nam cum facilitate & gaudio exercere actus alicuius virtutis, est ad eius perfectionis culmen peruenisse. Effectûs enim cuiusuis boni habitûs acquisiti, siue is sit virtutis, siue artis, est reddere faciles & iucundas eius actiones; vti enim saccharum ex sua natura cibos edulcat, & aqua corpus humectat; ita exempli causâ, habitus charitatis omnes illius virtutis proprias actiones cum lætitia perficit. mouet ad amandum Deum & proximum; inducit ad stipem

Facilitas in operando signat habitum acquisitum. Aristoteles lib. 2. Ethicor. c. 1. Vide supra gr. 1. f. 11.

stipem pauperibus elargiendam; ad visitandos infirmos, & ad similia alia charitatis opera cum animi alacritate exercenda. Habitus prudentiæ aperit oculos intellectûs, vt futura non difficulter præuideat, præuisa bene ordinet, & bene ordinata cum omnibus circumstantijs & plena actionum substantia exequatur. Ita etiam in artibus, Musica verbi gratia, sculptura &c. facilitat opera illius artis. vnde is perfectè in instrumentis ludere, & Musicè canere dicitur, qui resonando & cantando artificiosè, promptè & cum voluptate manum mouet, & vocem moderatur. Et quando miles eò pertigit, vt lætetur, dum aggrediendus est hostis, & ineundum prælium, sat ostendit se habitum generosi militis possidere: vti refertur de militibus Legionis decimæ Cæsaris: qui, præ nimia alacritate & lætitia, audientes signum dari ad congrediendum cum hoste tripudiabant. & id, quia militiæ habitu præditi erant, quo apti & prompti reddebantur ad pugnandum alacriter. Est igitur gradus hic, gradus perfectionis & suauitatis; primi quinque sunt veluti Plut. in Iul.

luti radix arboris, truncus, rami, folia, & flores; sextus autem hic velut fructus. Illi laborem & difficultatem in se continent; hic voluptatem & delectationem: illi possunt esse sine hoc, hic illos semper habet comites, illos includit, facilitat, & coronat. quia per eum homo consolatur se COGNITIONE SVI NIHILI, vt placeat Deo, *& supra primum, qui sui nihili cognitionem ingerit, latè ambulat; gaudet etiam, quòd nemini præferatur; desiderat, vt humilietur; & patienter perfert se humiliari; & tandem vias & modos inquirit se humiliandi: qui sunt quinque alij gradus.* Ac ita gradus hic super omnes locatus, omnes complectitur, adiunctamque habet lætitiam. Vnde qui hunc semel in anima sua rectè & immobiliter locauit, vitam hanc peragit in continuis delicijs, imperat suis affectibus, & vt supremus Magister ex omnibus capit emolumentum, inque animo gerit suo imaginem speciosi throni Salomonis, qui est apex ipsiusmet felicitatis. Nam quemadmodum is, qui beatus est in cælo, nulla timet mala, & memoriam omnium præteritorum malorum vertit in gaudium;

Sextus gradus comprehendit alios 5.

dium; ita is, qui in hac vita pertigit ad culmen humilitatis istius gradûs, omnia vertit in suum bonum & lætitiam spiritualem, habetque effectu & praxi, quod dicit Apostolus: *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Rom. 8. 28.

De humilitate Saluatoris *in hoc gradu, & de causis eius lætitiæ.*

SECTIO II.

CErtissimum est Saluatorem hunc humilitatis gradum, vt omnes alios, eò maiori perfectione habuisse, quò magis omnes alios homines, etiam in omni virtutum genere perfectos, magnitudine virtutis superabat. proinde omnes humilitatis actus singulari cum animi tranquillitate & lætitia, atque ineffabili satisfactione & spiritûs suauitate exercebat. Causæ istius lætitiæ, præter allatas superiori sectione, ex natura habitûs humilitatis (cuius est actiones eiusdem virtutis reddere faciles, gratas & iucundas, quòd tantò excellentius præstabat humilitas Filij Dei, quantò eminentius

eam ille possidebat) desumuntur: & id tum ex parte Dei, tum ex ipsiusmet Christi persona.

PRIMA est voluntas Patris, quæ erat, vt se in hac vita humiliaret pro hominum salute: quam vnà cum Patre incredibili & infinito affectu desiderabat. Hæc consideratio in Patre honorando, & nominatim in exercendo aliquo singulari humilitatis actu, vt obsequio Patri grato, plus ei voluptatis adferebat, quàm cibus & potus: quod notauit, quando dixit Apostolis ipsum ad manducandum inuitantibus: *Cibus* Ioannis 4. 34. *meus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, vt perficiam opus eius.* Opus autem illud erat REDEMPTIO HVMANA, viâ HVMILITATIS ET CRVCIS PERFICIENDVM. Maximæ igitur eius deliciæ & cibi maximè sapidi erant sese humiliare iuxta Patris voluntatem.

SECVNDA eius lætitiæ causa erat gloria eiusdem Patris, coniuncta cum bono mortalium: clarè enim prænidebat futurum sua vt humilitas tum in insignem gloriam Patris, tum in singulare hominum emolumentum redundaret: cùm ea perillustre esset mundo testimo-

testimonium misericordiæ & charitatis Dei: qui Filium suum vnigenitum misit in mundum, vt humiliaretur, & eius humilitate ipse mundus exaltaretur. Ob quod beneficium immensam Dei charitatem Filium suum dantis admiratur Apostolus Ioannes: & Sanctus Paulus summè exaggerat, loquens de hoc misericordissimo Patre: *qui Fillo suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Tradidit inquam ad sufferendas pœnas, ignominias & mortem ipsam, & quidem crucis. Vnde Filij humilitate, Patris misericordia glorificatur, & Filius vicissim gaudet in sua humilitate, eò quòd illa sit gloria Patris.

1. 4. 9. & 3. 16.

Rom. 8. 32.

TERTIA erat impulsio bonitatis, sapientiæ, & omnipotentiæ: bonitas incredibili eum desiderio stimulabat ad salutem hominibus procurandam. Et quia eius humilitas maximè erat necessaria ad hunc finem consequendum, ideo iuxta sui desiderij magnitudinem se humiliabat, & humiliando desiderium pari gaudio complebat. Eius sapientia aduertebat talem humiliationem esse conuenientissimam ad expugnandum & expellendum potenti an-

ridoto caducum morbum, & ardentissimam generis humani febrim, quæ erat SVPERBIA ad docendos suo exemplo homines, vt se humilient, & omne studium omnemque conatum ad conualescentiam spiritualem consequendam conferant. Humilient, inquam, sese in terra, loco totius vniuersi infimo & minimo elemento, & comparatione cæli, exiguo puncto, vt postea in regno gloriæ, vbi omnia magna reperiuntur, exaltentur. Vnde Christus libenter & summa cum lætitia exercebat actus huius virtutis, & homines ad idem faciendum inducebat. Eius potentia ei etiam subministrabat in humilitate lætitiam, eamq; tantò maiorem, quantò magis se ostendebat, dum virtute (quæ apparet minima, & maximè fragilis) conterebat caput Satanæ, potentis & formidabilis aduersarij. Longè autem maiorem impressionem humilitate suæ crucis faciebat, quàm paruus Dauid pugnans armis contemptibilibus, nempe fundâ & baculo aduersus monstrosum illum Goliat. De hac impressione loquens Sanctus Leo, sic ait: *in quo conflictu pro nobis inito, ma-*

Lib. 1. Reg. c. 17. 40. 49.

gno

quo & mirabili æquitatis iure certatum est, dum Omnipotens Dominus cum sæuissimo hoste, non in sua Maiestate, sed in nostra congreditur humilitate. Et propterea Saluatoris lætitia in hoc humilitatis conflictu tantò erat maior, quantò argumentum & ostensio eius omnipotentiæ euidentiùs apparebat in eo, quòd in infirmitate & humilitate humanæ naturæ & crucis, huius elati spiritûs, regis filiorum superbiæ, & omnium crudelissimorum eius asseclarum, ac etiam portarum infernalium prçualidas vires prosternebat. S. Leo serm. 2. de Natiuitate Dom.

QVARTA causa est consideratio magnæ illius gloriæ, quam ex hac humilitate, & sibi prouenturam, & simul suum, ac Patris nomen (magnitudo enim gloriæ sequitur magnitudinem humiliationis) tantò magis exaltandum, quantò magis se humiliaret, præuidebat. Vnde monet Sanctus Paulus, vt *per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem IESVM, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contemptâ.* Et loquens de eius humilitate & gloria, quæ illum consequebatur, sic ait: Hebr. 12. v. 2.

tidoto caducum morbum, & ardentissimam generis humani febrim, quæ erat SVPERBIA ad docendos suo exemplo homines, vt se humilient, & omne studium omnemque conatum ad conualescentiam spiritualem consequendam conferant. Humilient, inquam, sese in terra, loco totius vniuersi infimo & minimo elemento, & comparatione cæli, exiguo puncto, vt postea in regno gloriæ, vbi omnia magna reperiuntur, exaltentur. Vnde Christus libenter & summa cum lætitia exercebat actus huius virtutis, & homines ad idem faciendum inducebat. Eius potentia ei etiam subministrabat in humilitate lætitiam, eamq; tantò maiorem, quantò magis se ostendebat, dum virtute (quæ apparet minima, & maximè fragilis) conterebat caput Satanæ, potentis & formidabilis aduersarij. Longè autem maiorem impressionem humilitate suæ crucis faciebat, quàm paruus Dauid pugnans armis contemptibilibus, nempe fundâ & baculo aduersus monstrosum illum Goliat. De hac impressione loquens Sanctus Leo, sic ait: *in quo conflictu pro nobis inito, magno*

Lib. 1. Reg. c. 17. 40. 49.

quo & mirabili æquitatis iure certatum est, dum Omnipotens Dominus cum sæuißimo hoste, non in sua Maiestate, sed in nostra congreditur humilitate. Et propterea Saluatoris lætitia in hoc humilitatis conflictu tantò erat maior, quantò argumentum & ostensio eius omnipotentiæ euidentiùs apparebat in eo, quòd in infirmitate & humilitate humanæ naturæ & crucis, huius elati spiritûs, regis filiorum superbiæ, & omnium crudelissimorum eius asseclarum, ac etiam portarum infernalium prævalidas vires prosternebat. S. Leo serm. 2. de Natiuitate Dom.

QVARTA causa est consideratio magnæ illius gloriæ, quam ex hac humilitate, & sibi prouenturam, & simul suum, ac Patris nomen (magnitudo enim gloriæ sequitur magnitudinem humiliationis) tantò magis exaltandum, quantò magis se humiliaret, præuidebat. Vnde monet Sanctus Paulus, vt *per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem IESVM, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta.* Et loquens de eius humilitate & gloria, quæ illum consequebatur, sic ait: Hebr. 12. v. 2.

Philip. 2. 8. *humiliauit semetipsum, factus obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen.* Et sanè si spes colligendæ suo tempore messis animat agricolas ad arandum, & colendum cum lætitia terram; & spes coronæ accipiendæ impellit & excitat militem ad fortiter pugnandum, quis dubitabit, quin Saluator præuidens fructum & gloriam ex suis humiliationibus sequuturam, se humiliârit perfusus lætitiâ tantò iucundiori, quantò clarius & certius præuidebat res futuras, & gloriam ex sua humilitate prouenturam?

Lætitia Beatæ Virginis & Sanctorum, iuxta hunc sextum humilitatis gradum.

SECTIO III.

EX iam dictis facile est colligere, omnes Sanctos ad imitationem Saluatoris in suis humiliationibus eâ mensurâ habuisse lætitiam, quâ habuerunt humilitatem: maximè autem Beatam

Beatam Virginem, vt in domo Dei omnium humillimam. Ideo vt maxima erat eius humilitas, ita & eius lætitia in humilibus exercitijs animæ, corporis, silentij, propriæ abiectionis, modestiæ: in oculis, in verbis, in incessu, in paupertate, in cōtemptu mundi, & his similibus actionibus, quas maxima cum lætitia exercebat. quia perfectam in anima sua possidebat humilitatem, quæ mirâ eam dulcedine istius lætitiæ perfundebat. Quod si scriptura ea de re clarè non loquatur, id fit ideo, quòd illud tanquam certissimum supponat. Vnde quandoquidem ipsæ sacræ litteræ dicunt de Apostolis, quòd *ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti essent pro nomine IESV contumeliam pati*: satis illæ ipsæ clarè id enunciant de Beata Virgine, cùm dubitari non debeat, quin omnes sanctorum virtutes, easque summo gradu & titulo, quo in aliqua creatura pura reperiri possunt, complexa fuerit. Quare, si Apostoli in sua humilitate gaudebant, illa longè magis in suis humiliationibus, iuxta maiorem in animo residentem humilitatem, exultabat. Vnde quicquid

Act. 5. 41.

quicquid de Sanctis in materia huius virtutis, vt & aliarum, refertur, absq; vlteriori indagine & inquisitione debet intelligi de hac Virgine: & id quidem eminentiori longè prærogatiuâ. Porrò omnes magni tantò eminentiores fuêre in hoc humilitatis gradu, quantò excellentiores in omni perfectione. Beatissima igitur Virgo, post Filium, eminentius alijs omnibus eam lætitiam (licet in diuersis humiliationum generibus, conuenientibus tamen suo sexui & personæ) habuit. Quòd autem etiam Sancti in diuersis exercitijs humilitatis perfusi fuerint huius gradûs lætitiâ, historiæ, quæ eorum verba, acta, & vitas describunt, satis testantur: quod nunc in nonnullis exemplis videndum est.

De lætitia nonnullorum sanctorum in suis humiliationibus.

SECTIO IV.

DAuid quidem semper fuerat humilis, sed tunc maximè, quando ad regni fastigium fuit euectus. vnde

vnde omnia humilitatis opera ob habitum acquiſitum, mirâ exercebat lætitiâ. Diximus alibi eum coram arca omnibus lætitijs incedentem tripudiaſſe. quod aliud non erat, quam ſe humiliaſſe, & in humilitate gaudio exultaſſe. Quando Abraham accepit mandatum de filio ſuo Iſaac immolando, dubio procul & in iudicio & in voluntate magnam ſenſit humiliationem & repugnantiam, non valens facile ſimul combinare & componere Dei promiſſum, quo ei numeroſam poſteritatem pollicitus fuerat, & eiuſdem mandatum, quod hic & nunc iubebatur vnicum filium, ſpem omnis poſteritatis, è viuis tollere & ſacrificare. Diſpoſuit ſe tamen & præparauit omni cum humilitate & gaudio, ad exequendam Dei voluntatem, & non ſuam; eſto in parte ſenſitiua afficeretur triſtitiâ. Tres Hebræorum pueri humiliati fuêre, quando confeſtim cum veſtibus *ſuis miſſi ſunt in medium fornacis ignis ardentis*: vbi tamen magna cum lætitia in medio tribulationis, & flammæ (quæ ijs flabelli & ventilabri refrigerijque loco ſeruiebant) cantare cœperunt. Spiritus

2. Reg. 6. 14.

Grad. 5. ſect. 41.

Gen. 22.

Dan. 3. 24.

tus

tus humilitatis, est spiritus refrigeratorius. proinde alacritas & lætitia comitantur omnia humilium opera, sine quibus eorum humilitas non esset perfecta, neque grata Deo, qui sibi lætè seruientes, sicut & lætè exhibentes opera charitatis, amat ac diligit. Longè plura & illustriora exempla extiterunt hac de re post apertam à Christo humilitatis Academiam. præsertim in primitiua Ecclesia, primitijs illiûs spiritûs illectâ, quando Christiani in continuis humilitatis exercitijs, & simul continuâ humiliationum lætitia vitam traducebant. Magna profectò humiliatio erat ipsi iudicio complecti, verem diuinam, crucis & passionis Saluatoris mysterium; Euangelij prædicationem factam per homines simplices & idiotas: maximè quòd res non solùm repugnantes sensibus, sed etiam intellectui humano, contineret. vti sunt omnes fidei articuli, quos ipsi magno cum animi sensu credebant, captiuantes & submittentes suum intellectum verbo veritatis: & in particulari præstabant id, quod in magna nostri temporis Sancta, Matre Therêsa de

Hilarem datorem diligit Deus. 2. Corint. 9. Eccl. 35. 12.

IESV

IESV notatum est: quæ tantò maiorem voluptatem capiebat in credendis mysterijs nostræ religionis, quantò magis animaduertebat ea superare capacitatem sui intellectûs. Longè profectò aberat ab arrogantia nostrorum hodie ERRANTIVM, qui nihil volunt credere, nisi quod tortuoso suo cerebro sit commensuratum. Magna est humiliatio maledictis excipi, vt excipi solet homo omni scelerum genere coopertus, magna item haberi vt purgamenta & colluuies huius mundi; minoris æstimari, quàm nihil; postponi nequioribus &c. Hæc primi Christiani magna cum humilitate & lætitia sustinebant, in memoriam sibi reuocantes Christum inter Latrones crucifixum; hominem nequam, cùm ipsa esset bonitas, ab impijs reputatum, & Barrabæ postpositum: recordantes item omnes has similesque humiliationes ab eo prædictas illis, qui eum sequi vellent, ideóq; ab eodem motum fuisse Apostolum Petrum, vt scriberet ad Christianos in hunc modum: *communicantes Christi passionibus gaudete, & vt in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes.*

Vide eius vitam per Patrem Franciscum Riberam conscriptam.

1. Pet. 4. 14.

Confor-

Conformiter S. Petro sic monet Sanctus Iacobus: *omne gaudium existimate fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis:* id est lætamini quotiescunque diuersis afflictionibus humiliabimini. Nec dictis solùm Sancti Apostoli ad lætandum in aduersis nos cohortati sunt, sed vt generosi duces, & strenui pugnatores in ipso exultantis humilitatis bello exemplis præiuernnt. Nam, vt paulò ante dicebam, cùm decreto concilij, manu carnificis virgis essent cæsi, dicuntur *iuisse gaudentes à conspectu concilij, quia digni habiti fuerant, pro nomine IESV contumeliam pati.* Certè lætitia hæc, non nisi ex profunda humilitate, & quasi in amore diuino absorpta, sibiq; summè complacens in tolerandis iniurijs pro gloria Dei, prouenire poterat.

Iacobi 1. 2.

Act. 5.

Lætitia Sancti Pauli in tribulationibus.

SECTIO V.

Diuinè prorsus, verbo & exemplo huius gradûs humilitatem, vt alias virtutes docuit Sanctus Paulus. Is vno loco dicit: *superabundo gaudio in omni*

2. Corint. 7. 4.

in omni tribulatione nostra; & alibi gloriatur in cruce & ignominia Christi. & etiam in sua: *mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri IESV Christi.* Galat. 6. 14. Stolidi & superbi scandalizantur in ignominia crucis: Sanctus autem Paulus sapiens & humilis, vt omnes veri Christiani, gloriatur. Porro gloriari de re aliqua, est singulariter in ea gaudere. Item Diuus Paulus monet Romanos, *vt spe gaudeant, & in tribulatione sint patientes,* Rom. 12. 12. id est in humiliatione: animat verò exemplo suo Colossenses, vt exultent in suis tribulationibus: *gaudeo,* inquit, *nunc in passionibus pro vobis.* Colossen. 1. 24. Magis verò adhuc disertè de se loquitur ad Corinthios, magnos olim honoris & gloriæ mundanæ amatores, referens mirâ quâdam voluptate, & quasi gustu lapidationes, ignominias, quas ipse pertulit; item ictus virgarum à Iudæis acceptos. Quin & de ijs triumphat veluti de præclarissimis & rarissimis spolijs, dum sic ait: *à Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi, ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum.* 2. Corinth. 11. 24. Nunquam maiori cum sensu & lætitia miles quispiam suas ostendit cicatrices: neque Aquilius dux Romanus in Cicero in Orat. pro

 Senatu

Flacco. v. L. de Orat. Plin. lib. 7. c. 25. & lib. 22. c. 5. v. Vrsin. de num. 245.

Senatu suas monstrauit maiori cum voluptate & gaudio; neque etiam L. Sicinius etiam dux Romanus tantum gloriatus est de quadraginta quinque acceptis aduerso pectore, in centum & viginti prælijs vulneribus, quibus interfuit, quantum Apostolus se sanctè iactat, lætatur, & gaudio prope exilit: quòd fuerit percussus, susque deque actus, & mille modis propter amorem Christi humiliatus. Quod maximè autem eum deijciebat & humiliabat erat carnis stimulus eo fine illi datus, ne propter magnitudinem reuelationum extolleretur, vt dictum est supra, à quo tribus vicibus petebat, vt auxilio diuino interueniente liberaretur, & totidem vicibus ei denegatum est, & dictum, vt gratiæ Dei fideret, & crederet per humilitatem se non solùm victorem futurum, sed etiam gloriosè victorem. Atque ita se diuinæ conformans voluntati, à qua humiliabatur, non solùm decreuit pati, sed etiam gloriari in infirmitatibus suis: *Libenter igitur*, inquit, *gloriabor in infirmitatibus meis. Vt inhabitet in me virtus Christi.* & roborans argumentum suæ lætitiæ, & quie-

Grad. 3. sect. 38. Grad. 4. sect. 16. Grad. 5. sect. 26. 27. & seqq.

2. Corint. 12. 9.

tis

tis animi in istis humiliationibus, adiungit: *propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo: cùm enim infirmor tunc potens sum.* Quia verò videbatur se iactasse, pergit ostendere se fuisse coactum, vt nonnullis infirmioribus faceret satis, qui minorem iusto opinionem habebant de auctoritate eius Apostolatûs; & dicit: *factus sum insipiens, vos me coëgistis. ego enim à vobis debui commendari: nihil enim minus fui ab ipsis, qui sunt supra modum Apostoli: tametsi nihil sum.* Mira isthæc est PERIODVS, constans diuersis rebus, laude nimirum & contemptu: cùm enim gloriatus fuisset, & primarijs Apostolis se coæquasset, descendens ad primam basim & fundamentum humilitatis concludit se nihil esse. O Sancte Paule, si tu nihil es, quare petis commendari? quo pacto ergo gloriaris, teque comparas excellentioribus Apostolis? an id fortasse facis, quia consideras dona gratiæ diuinæ tibi collata, & in te recolis tuum nihil? O eximie sancte! quanta est tua humilitas, dum teipsum humilias, quandoquidem dum te commendas & prædicas, tam humilis deprehenderis!

Quomodo humilitas sit principale instrumentum lætitiæ in tribulationibus, & de concursu virtutum in bonis operibus.

SECTIO VI.

POrrò quemadmodum omnes virtutes in suis operibus, quælibet autem iuxta suum munus & proprietatem, subministrant lætitiam, FIDES in credendis altissimis Dei mysterijs; SPES in meditatione rerum æternarum; CHARITAS in dilectione Dei & proximi; PRVDENTIA in præuidendis & ordinandis negotijs; STRENVITAS seu FORTITVDO in bello gerendo: & ita alij eximij animæ habitûs, quorum effectus operando mirè exhilarant, vt dictum supra; eodem modo HVMILITAS in tribulationibus gaudium rarum adfert animæ, & in ijsdem velut in proprio obiecto virilem ostendit fortitudinem, & animi vigorem. Quare, licet in certaminibus Martyrum, & pugnis Confessorum reluceat FIDES, PATIENTIA, CHARI-

CHARITAS, SPES, & aliæ virtutes, quæ in huiuſmodi humiliationibus heroicis veniunt opitulatum, & veluti belli ſociæ iuuant pugnando, & in victoriam obtinendo, nihilominus humilitas eſt propriè cauſa lætitiæ in tribulationibus, & humiliationibus, quia eæ proprium eius ſunt ſubiectum, & materia. Quemadmodum in cura alicuius infirmitatis diuerſa medicamenta ingrediuntur potionem, quæ quidem omnia conſpirant ad ſanitatem, ſed tamen aliud eſt ad hunc humorem corrigendum, aliud ad alium; Rhabarbarum verbi gratia ad choleram, agaricum ad ſuperflua phlegmata tollenda; ita in bonis operibus diuerſæ virtutes diuerſimodè operantur, & quælibet in ſuo ſubiecto exhilarat: TEMPERANTIA verbi gratiâ moderatur voluptates, & ſuaues reddit ſobrietatis actiones; IVSTITIA dirigens commercia, tribuit vnicuique quod ſuum eſt, & exercentem talia opera perfundit lætitiâ; eodem modo humilitas in tribulationibus & perſecutionibus dominatur, & ſubminiſtrat lætitiam in earum tolerantia, quanquam tenendum eſt,

omnes omnino virtutes, quamlibet autem pro sua parte, ad hunc eundem lætitiæ effectum concurrere; sicuti fatendum reciprocè hanc, scilicet humilitatem, in omnium exercitijs reperiri: dum omnes comitatur & adiuuat in suis functionibus, nec vlla omnino est virtus Christiana sine humilitate, nec vlla quicquam operari potest absque eius adiutorio & concursu. Atque ita omnes sibi inuicem manus porrigunt, & simul modulantur: & dum quælibet in particulari suam agit partem, sub eâdem mensurâ, concordantia ac suauis harmonia totius musicæ spiritualis per concertationem & concursum omnium virtutum, vt partium diuersarum cum humilitate efficitur. Sed humilitatis proprium est basim & fundamentum omnium constituere.

Considerationes, quæ faciunt humiles exultare gaudio in suis humiliationibus.

SECTIO VII.

Considerationes, quæ inducunt humiles, vt omne genus humiliationum

tionum ſubeant cum lætitia, deducuntur ex illis, quæ Saluatorem in ſua humilitate gaudere fecerunt: quamuis in puris hominibus id fiat in materia longè diuerſa, & in menſurâ perfectionis infinitè inferioris. Lætantur hi, PRIMÒ, quia conſiderant Deum velle filios ſuos humiliari, & humiles effici; SECVNDÒ, quia credunt hoc ad eiuſdem ſpectare gloriam; TERTIÒ, quia exiſtimant diſcipulos, ſuum ſequi oportere doctorem, (qui eſt Chriſtus perfectum humilitatis exemplar) eumq́; imitari ea in virtute, quam nobis viuis depinxit coloribus, vt eâ armati ſuperbiam, vitium, & generalem infirmitatem filiorum Adæ, oppugnemus generosè, & expugnemus gloriosè. QVARTÒ, quia regio, in qua hanc vitā mortalem agimus, humiliationis proprius eſt locus. Et TANDEM, quia immarceſſibili coronâ gloriæ ſe donandos ſperant in æterna beatitudine. Hæ conſiderationes non poſſunt non efficere eorum humilitatem quàm iucundiſſimam. Et quidem duæ primæ admodum ſunt potentes, ad inducendam in tribulationibus ſpiritualem animi lætitiam. Et hoc iuxta men-

ſuram zeli & ignis charitatis, quo quis accenſus eſt erga Deum ad eius promouendam gloriam. Quæ charitas efficit in homine ſic affecto, vt ardeat deſiderio omne id præſtandi, quod vult Deus, & totis viribus eius honorem quærendi. Vnde magno & erecto animo omnes tribulationes, perſecutiones, iniurias, & alias quaſcunque humiliationes iuxta Domini ſui beneplacitum, acceptat; etiam omni cum alacritate ad eius nomen gloriâ & honore celebrandum confert quicquid poteſt. Et quia Saluator amabat Patrem, & eius gloriam maiori longè perfectionis ſtudio quærebat, quàm quiſquam alius, eratque humilis ſupra omnes homines, conſequenter longè maiori, quàm quiuis alius, tali in exercitio perfundebatur lætitiâ, vti ſupra declarauimus. Tertia conſideratio, quâ ex neceſſitate obligamur, ad eum ſequendum, & nos eius exemplo humiliandum, fortiter nos debet impellere ad perfectionis metam conſequendam, & ad amplectendas forti & excelſo animo omnes humiliationes, nî haberi velimus ignaui milites, ſub ſtrenuo duce.

Quarta

Quarta & quinta, repræſentat locum, in quo mortalem curſum currimus, & gloriam, quam in futuro expectamus: subminiſtrat etiam magnam in humiliationibus iucunditatem. Quod paulo fuſius deducendum eſt.

Quarta cauſa lætitiæ humilium in ſuis humiliationibus.

SECTIO VIII.

Conſideratio loci, ſeu terræ in qua viuimus, eſt neceſſitas comprimis rationi conſentanea ad nos humiliandos, & ad hauriendam, dum nos ipſos humiliamus, ſpiritualem animo lætitiam. Humiles probè edocti in Academia filij Dei, conſiderant terram hanc vnam è quatuor magnis vniuerſi partibus (eſto ea videatur magna) eſſe minimam: tum quia ſolùm eſt centrum mundi, & punctum exiguum comparatione cæli, eius circumferentiæ; tum quia minima ſtellarum, (quas in firmamento intuemur) eam magnitudine ſuperat. Et quidem nonnullæ è maioribus triginta tribus partibus. Omitto

Terra punctum Cic. in ſomnio Scipionis.

Macrobius lib. 1. c. 20.

Omitto solem, qui centum sexaginta sex partibus eâ maior est. Et si omnes omnino homines simul congregati non conficiunt. vnam è centum millibus terræ huius seu puncti partibus; & si quilibet homo collatus numero omnium hominum simul congregatorum, minus est quàm NIHIL, nonné occasionem habet se nihili æstimandi, se humiliandi, non dico supra terram, sed infra ipsam? & se abscondendi in hoc centro, quod est NIHIL? & tamen cùm nihil sit, centies millies plus est quam ille sit. nonné & hinc ansam habet lætandi, dum exercet actiones huius virtutis in loco proprio propter honorem veritatis, & Dei gloriam? Præterea vident terram esse vltimum & infimum mundi locum, maximeque à cælis remotum. centrum enim est infimum & remotissimum à sua circumferentia. Infernus quidem longè inferiorem (cum terræ sit centrum) locum occupat; sed is locus est mortuorum, & non viuorum. Perspicientes igitur filij Dij per hanc considerationem terram situ suo efficere humiliationis & abiectionis locum; perpendentes item eum, qui

In somnio Scipionis Cic. lib. 2. Acad.

qui in ea vult exaltari, similem esse ei, qui in carcere se ostentaret; qui in cauea positus triumpharet: aut certe qui super cuspidem acûs, vt faciunt superbi (eorum exigentibus vitijs) amentes, & insensati facti, choreas ducere vellet. Vnde humiles, ducti sapientiæ spiritu (qui dicit, *qui se in hoc mundo exaltat, in altero humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur*) eligentes locum proprium, ad faciendas suas actiones, & ad earum remunerationem suo tempore recipiendam, humiliant se, vbi conuenit se humiliare, vt in loco exaltationis exaltentur: & expectantes tempus ad percipiendos operum suorum fructus, spei interim aliâ subleuati, gaudent; & imitantur antiquorũ Romanorum industriam, imò non tantùm imitantur; sed longè etiam eos, tum sapientiâ, tum felicitate superant. nam quemadmodum illi in extraneis regionibus bella gerebant. & Romæ in patria sua, & Imperij loco principali triumphabant; atque vt in suis molestijs & laboribus spe subsequuturæ gloriæ inescati, ad fortiter agendum sese excitabant; ita humiles contra vanitatem, contra

Matth. 23. 12. Luc. 14. 11. & 18. 14.

mundum,

mundum, contra carnem & Diabolum hoſtes, quos habet in terris, loco peregrinationis, loco certaminis, pugnant; ſe humiliant; gaudentque ſe humiliantes, dum ſperant in cælo (patriâ animarum humilium, quæ fortiter hîc pro illo decertant) glorioſè ſe triumphaturos. Et quod illi faciebant ob gloriam mundanam & tranſitoriam, hi ſapientiores & beatiores, faciunt ob cæleſtem & immortalem.

Quinta cauſa lætitiæ humilium in hac vita, & de eorum humilitate, menſurâ gloriæ.

SECTIO IX.

QVinta cauſa lætitiæ ſanctorum in ſuis humiliationibus eſt conſideratio futuræ gloriæ, quæ humilibus pro compenſatione dabitur: vt enim humiliationibus ſe ſubmittent in hac vita, ita exaltabuntur in futurâ. ſiquidem humilitas cuiuſlibet, eſt futura menſura gloriæ. quanta erit humilitas, tanta & gloria: quanta charitas in terra, tanta & felicitas in cælo.

Seu

Seu quod idem eſt, quantò quiſque amori diuino fuerit vicinior, & à terreſtri remotior, tanto arctiore in æterna beatitudine charitatis nodo ipſi Deo vnietur. Paucis, tantò glorioſior, quantò fuit humilior. Et ita diſponente diuinâ iuſtitiâ, vt gloria adæquetur, & reſpondeat humilitati. Inde eſt, quòd S. Paulus declarans exaltationem & celſitudinem gloriæ Filij Dei, primò loco proponit humilitatem, & ANTITHESIN & PRÆMISSAM, vt loquuntur Philoſophi: dicit enim, *cum ſe exinaniuiſſe & humiliaſſe, factum obedientem vſque ad mortem crucis, & propter hoc à Deo exaltatum & donatum nomine, quod eſt ſupra omne nomen.* In quo oſtendit, quòd quemadmodum Chriſtus humiliatus fuit pluſquàm omnes creaturæ rationales, ita altius omnibus eſt exaltatus. Et Beata Virgo in ſuo Cantico Deum magnificans, & in eo exultans adæquat ſuam exaltationem & gloriam ſuæ humilitati, *reſpexit,* inquit, *humilitatem ancillæ ſuæ: Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Quæ eſt gloria tam latè patens, quàm patet orbis vniuerſus, & curſus ac continuatio omnium ſæculorum. Et paulò poſt: *depoſuit potentes* de

Philipp. 2. 8.

Luc. 1. 51.

de sede, & exaltauit humiles. Saluator eandem exponit lectionem, dum illud
Matth. 23. 12. Luc. 14. 11. & 18. 14. sæpius iterat. *qui se exaltabit humiliabitur, & qui se humiliabit exaltabitur.* Ex hoc enim sequitur, quòd, qui magis se humiliabit, magis sit exaltandus: & quòd altitudo gloriæ tanta sit futura, quanta, seruatâ proportione, eius est basis & fundamentum, nempe humilitas. Omnes quidem virtutes & eximia opera, v. g. FIDEI, SPEI, CHARITATIS, PRVDENTIÆ, FORTITVDINIS, & aliarum virtutum habebunt propriam mercedem, sed gloriam solùm iuxta normam & mensuram humilitatis. Samson habebat fortitudinem crinibus respondentem, & iuxta eorum
Iudic. 16. 17. incrementum, erat & fortitudinis augmentum; crines nostri sunt actiones humilitatis nostræ, quæ ex se quidem sunt exigui valoris, & fortitudinis, sed tamen eximiam producunt fortitudinem & gloriam. Meditatio futuræ huius compensationis mirè recreat & animat humiles in suis tribulationibus: & hoc tantò acrius, quantò magis humiliantur, eò quod maiorem gloriam præstolentur. Porrò quia gloria est co-

rona

rona humilitatis, & in ea cardo rei totius vertitur, ne quis decipiatur in negotio tanti momenti, expedit vt illam bene cognoscat, eius essentiam & valorem perspectum habeat, atque per eius definitionem pertingat ad aliqualem cognitionem, vel coniecturam futuræ gloriæ, expedit eadem de causa, vt cognoscat quid sit honor, & laus, quæ sunt veluti alæ gloriæ.

Gloria est frequens de aliquo fama cum laude Cic. 2. de inuent. Vide Orat. pro Marc. Marcello, & 3. Tusc.

Quid sit gloria, bonor, & laus.

SECTIO X.

GLoria, inquit Sanctus Ambrosius, secutus antiquos Philosophos, est clara & laudabilis notitia de aliquo. Item celebris fama & manifesta beneficiorum ac meritorum alicuius erga suam Patriam, aut totum mundum: Iuxta primam definitionem omnes illi, qui innotuerunt per egregium aliquod facinus, aut per actum scientiæ, prudentiæ, fortitudinis, vel alterius virtutis, aut artis, fuêre gloriosi. PLATO, verbi gratia, per SCIENTIAM, SOLON per LEGES, ALEXANDER

August. lib. 5. de Ciuit. c. 12.

DER per RES IN BELLO BENE GESTAS, ARISTIDES per IVSTITIAM, APELLES per PICTVRAM, & HIPOCRATES per MEDICINAM: atq; ita de alijs, qui per nobilem aliquam animi, aut corporis dotem euasêre celebres. SECVNDA DEFINITIO nobiliorem denotat gloriam, & eos solùm comprehendit, qui suis in Rempublicam beneficijs & obsequijs seipsos charos reddiderunt, ac singularibus aliquibus factis mortales sibi obstrinxerunt: talis inter Ethnicos fuit Hercules, & plures Romani in Patriam.

Inter filios Dei Ioseph Hebræus in Ægypto, Moyses, Iosue, Samson, Dauid. Et post aduentum Filij Dei in has terras, Sancti Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, & innumerabiles Christiani famâ celebres, quòd vitam pro Dei honore, & bono eius Ecclesiæ, ac hominum salute tradiderint: aliaq; præstiterint, ob quæ immortale nomen adepti sunt. Vtraque hæc gloria ex se bona est, & personæ excellentiam sequitur, vt claritas lumen, hac tamen conditione, vt homo eam quærat in Deo, & propter Deum, ad bonum

aliquem

aliquem finem. nam si illam quærat ab hominibus, vt finem vltimum suæ actionis, eaque pascatur & infletur; fit illa vana, & ipse vanus ac vitiosus. Fuit autem, & est ac semper erit communis stultitia hominum Paganorum & aliorum non paucorum, qui omnia sua egregia alioquin facta, in hanc gloriam velut in vltimum finem referrent; vnde mercedem suam recipiunt in hoc mundo, vt ait Saluator; in altero autem nihil alud recepturi sunt præter vanitatis suæ confusionem. & ita quidem, vt de iudicio diuino nihil queri possint, quandoquidem ijs collatum est, quod petebant: vt S. Augustinus obijcit Romanis, qui cùm plurima tum prudentiâ, tum fortitudine, ad placendum hominibus, & emendicandam ab ijs magni nominis famam, & non ad Dei obsequium, præclarè gessissent, nomen in terris iuxta suam intentionem & desiderium inuenerunt: at verò iusti, qui in hac vita se humiliarunt ob Dei gloriam, eliminato è cordibus suis omni affectu gloriæ mundanæ, compensationem felicitatis, & æternæ gloriæ recipient in altera; vbi virtus iustum pretium

Matth. 6. 5.

2. de Ciuit. Dei. c. 13. 14. &c.

tium recipiet de manu illius, qui solus potest dignè bona opera remunerari. Atqui isthæc est definitio & essentia gloriæ.

Cic. in Brutum.

HONOR est præmium virtutis, iudicio studioque ciuium delatus ad aliquem; ita coronæ, præmia, statuæ, & alia si quæ ducibus vel militibus, qui fortiter pugnarunt, vel bonis ciuibus & excellentibus Doctoribus per leges decreta, erant facta & indicia honoris.

Arist. lib. 2. Rhet. ad Theod. c. 2.

LAVS est oratio, magnitudinem virtutis ostendens, id est, manifestans excellentem vnam quampiam virtutem, aut factum aliquod egregium, aut plura. Iuxta hanc legem ac laudis definitionem, orationes panegyricæ, poëmata, inscriptiones, & his similia, facta aliquibus in hac vita aut in altera degentibus, inter Laudes numerantur: & verò tam honor, quàm laus sunt veluti tubæ virtutis & bases gloriæ; quia personæ excellentiam manifestant & diuulgant, ac per talem manifestationem reddunt celebrem & gloriosam, vt est euidens.

Nulla

Nulla vera in hoc mundo gloria, sed solùm in altero reperitur, quæ confertur à Deo humilibus.

SECTIO XI.

NE aliquis specioso hoc nomine gloriæ decipiatur, sciendum est, quòd quemadmodum vita hæc mortalis non est vera vita, sed vitæ solùm vmbra; ita huius vitæ gloria, non est vera gloria, sed vmbra gloriæ. Vera & pura vita debet esse absq; admixtione mortis, & rerum morti affinium, quales sunt dolores, angustiæ, molestiæ, & aliæ corporis ac mentis miseriæ, quæ accelerant mortem. debet esse IMMORTALIS, & eiusdem durationis, atque est essentia animæ. Verùm neutra istarum qualitatum, vt experientiâ constat, reperitur in his terris. Eodem prorsus modo vera gloria debet esse clara absque vllis tenebris, absque obscuritate alicuius ignorantiæ, absque vllo temporis termino, adæquata proinde mensura immortalitatis animæ. Quod in hoc mundo, vbi omnia Grad. 5. sect. 55.

plena sunt tenebris, omnia terminis circumscripta, haberi non potest. In altero igitur mundo humiles expectare debent veram gloriam, vti & veram vitam. Et hoc non ab infirmis & ignaris mortalibus, qui facilè decipiunt, & decipiuntur; sed à Deo, qui omnia nouit, qui iustâ statêrâ seruorum suorum facta, & virtutes ponderat; qui & est omnipotens ad ea manifestanda, nec non optimus ad eadem cumulatè remuneranda. Mortales autem tenebris obcæcati, animo debiles, & mediorum indigi, nequeunt substantiam bonarum actionum dignoscere, neque eas ad suos numeros reuocare, & conuenienter alijs manifestare; multò autem minus dignè compensare: Dei solius est summum illud opus præstare, vti suo tempore præstabit: quando aperiet conscientiarum libros, de quibus loquitur Daniel, dum dicit: *Libri aperti sunt.* Et quæ intus latent, æquè ac ea, quæ foris patent, palàm faciet. *manifestabit* (vt dicit Apostolus) *consilia cordium*; bonas cogitationes, sancta desideria, & humilium affectûs. quæ omnia illi soli sunt cognita. Præterea in propatulo constituet

Daniel, 7. 10.

1 Corint. 4. 5.

constituet omnes & singulas eorum actiones. Et quemadmodum intellectui ac memoriæ Angelorum ideam ac cognitionem omnium creaturarum impressit; ita in mentibus hominum & Angelorum notam & imaginem omnium virtutum, & meritorum insculpet Iustorum. Et vti humilitas eos induxit ad desiderandum & procurandum, vt in hac vita conspectum hominum latere vellent, contenti à solo Deo videri; ita iustitia diuina excellentiam EORVM virtutum coram hominibus & Angelis publicabit: non in aliqua terræ parte, Europa v. g. aut Asia, neque ad breue labentis temporis spatium, aut plurium sæculorum, vt in hoc mundo contingit, sed quàm latè terra, cælum, & æternitas patet. Erunt veluti stellæ indeficientes, & in loco patenti lucentes, vt ab omnibus hominibus, qui sunt, fuerunt, & adhuc futuri sunt, conspiciantur; erunt enim tunc omnes præsentes, & velut claritas stellarum in cælo lucentium ab oriente vsq; ad occidentem videtur, ita gloria humilium, scripta in libro Dei, velut in cælo, ante Angelorum & hominum oculos defe-

retur, vt cum honore, cum laude insculpta indelebiliter memoriæ omnium, semper videatur. Erit igitur manifestatio generalis, & notitia admirabilis, gloria integra, completa & interminabilis, flos felicitatis, corona honoris, & indumentum immortalitatis, quo Deus donabit humilitatem eorum, qui amore eius gloriæ ei inseruiuerunt: & iuxta eius beneplacitum, propriæ & alienæ saluti cooperati sunt. Hac consideratione sese excitent, & lætentur humiles in sua humiliatione, seque animo generoso humilient, vt in fine exaltentur. Experientia huius lætitiæ, est quies eorum laborum, & spes istius boni, est esca eorum virtutis; quin & ambitio istius gloriæ est exercitium eorum humilitatis; sed ambitio sine superbia; & exercitium sine fastidio. Vtrumq; autem gratum oculis humilis Regis, *qui exaltat humiles, & humiliat superbos.*

Plures sancti gloriosi fuère in hac vita.

SECTIO XII.

Porrò

POrrò licet præmium veræ gloriæ reſeruetur conferendum in altera vita, Deus nihilominus tantus eſt zelator honoris humilium, & tam liberalis remunerator eorum humilitatis, vt etiam in hoc mundo, belli & humiliationis loco, tum viuentes, tum vitâ functos ſæpiſſime reddat glorioſos: ABRAHAM, qui ſe *puluerem* appellabat, & vt humillimus Dei famulus nihili ſe æſtimabat, exaltatus eſt, & effectus PATER OMNIVM FIDELIVM, ET PROGENITOR PRINCIPVM, ET REGVM COMPLVRIVM POPVLORVM. Gen. 12. 10. 2. 3. Gen. 39. 27. item 39. 8. 17.

IOSEPH humiliatus & venditus à fratribus, calumnioſè ab vxore Domini ſui accuſatus, & afflictus tolerantiâ moleſtæ ſeruitutis, & duodecim annorum carceris, tandem in aula Regis Ægypti ſuper omnes Principes eſt exaltatus. & ex abiecto mancipio vidit ſe proclamari gubernatorem totius Regni. Grad. 4. ſect. 9.

MOYSES mitiſſimus & humillimus, dux & caput conſtitutus eſt ſuper ſexcenta millia Hebræorum. Grad. 4. ſect. 9.

DAVID paruulus & humilis opilio, in funda, abſque vllo ferro & ar-

nis, contra cataphractum Goliath pugnans, & expugnans, honore, laude, & gloriâ exaltatus fuit à populo Dei; & ex humili subdito, factus est Rex eiusdem populi.

Grad. 4. sect. 15. & 34. CASTA IVDITH ducens vitam priuatam & humilem, re pro populo suo præclarè gestâ, celebris effecta est. Quis nesciat Apostolorum, Martyrum, Confessorum, & Virginum Christianarum, à tempore descensûs Filij Dei è cælo in has terras, vsque ad hoc, gloriam manifestatam non solùm ad actiones mentis, sed etiam ad præsentiam eorum corporum; imò & ad ipsam eorum vmbram? vt legimus de Sancto Petro, cuius vmbra sanabat infirmos, quos transiens eâ attingebat. quis Imperator, inquit S. Augustinus, Romæ vnquam in vita fuit honoratus, vt Sanctus Petrus post mortem, & Sanctus Paulus? ille piscator, hic scenofactoriæ artis. Qua autem alia de causa honorantur, nisi quia humiliati, insignes persecutionibus & iniurijs sine fine & modo propter Christum & eius Euangelium effecti sunt, & tandem pro vltima humiliatione patibulo veluti latrones

Act. 5. §15. hic sect. 23.

Matth. 4. 16. Marc. 1. 16. Luc. 5. 1. Act. 18. 3. Grad. 5. sect. 14.

nes sunt addicti? Sanctus PAVLINVS Nolæ Episcopus, vt captiuitate eximeret filium pauperis viduæ, quæ id beneficij ab eo petebat, carens alio ad eum redimendum pretio, seipsum loco Iuuenis, in captiuitatem dedit: qui ductus in Africam, & factus Generi Regis hortulanus, pluribus annis in ea vixit humilitate, donec Deus eum manifestauit, & coram hominibus gloriosum effecit, quia hominũ gloriam fugiebat.

Lege Baron. in Martyr. Rom. die 22. Iunij.

Sanctus Alexius nobilis Romanus, peragratis amore Christi diuersis Prouincijs & regionibus, mundum contemnens, & etiam diu contemptus à mundo, rediens Romam patriam suam, à patre tanquam alienus pauper hospitio accipitur; apud quem cùm spatio septemdecim annorum ignotus delituisset, postmodum non solùm cognitus, sed etiam illustris redditus fuit: & eius humilitas omnibus sæculis eius mortem consequentibus summo in honore fuit.

Vide notas Baron. in Mart. Rom. 17. Iunij.

Corpora S.S. Stephani, Geruasij & Protasij, & plurimorum aliorum sanctorum, postquam multis sæculis sub terra latuissent, tandem inuenta sunt, &

De cuius inuentione Baron. die 3. Augusti.

DER per RES IN BELLO BENE GESTAS, ARISTIDES per IVSTITIAM, APELLES per PICTVRAM, & HIPOCRATES per MEDICINAM: atq; ita de alijs, qui per nobilem aliquam animi, aut corporis dotem euasêre celebres. SECVNDA DEFINITIO nobiliorem denotat gloriam, & eos solùm comprehendit, qui suis in Rempublicam beneficijs & obsequijs seipsos charos reddiderunt, ac singularibus aliquibus factis mortales sibi obstrinxerunt: talis inter Ethnicos fuit Hercules, & plures Romani in Patriam.

Inter filios Dei Ioseph Hebræus in Ægypto, Moyses, Iosue, Samson, Dauid. Et post aduentum *Filij Dei in has* terras, Sancti Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, & innumerabiles Christiani famâ celebres, quòd vitam pro Dei honore, & bono eius Ecclesiæ, ac hominum salute tradiderint: aliaq; præstiterint, ob quæ immortale nomen adepti sunt. Vtraque hæc gloria ex se bona est, & personæ excellentiam sequitur, vt claritas lumen, hac tamen conditione, vt homo eam quærat in Deo, & propter Deum, ad bonum

aliquem

aliquem finem. nam si illam quærat ab hominibus, vt finem vltimum suæ actionis, eaque pascatur & infletur; fit illa vana, & ipse vanus ac vitiosus. Fuit autem, & est ac semper erit communis stultitia hominum Paganorum & aliorum non paucorum, qui omnia sua, egregia alioquin facta, in hanc gloriam velut in vltimum finem referrent; vnde mercedem suam recipiunt in hoc mundo, vt ait Saluator; in altero autem nihil alud recepturi sunt præter vanitatis suæ confusionem. & ita quidem, vt de iudicio diuino nihil queri possint, quandoquidem ijs collatum est, quod petebant: vt S. Augustinus obijcit Romanis, qui cùm plurima tum prudentiâ, tum fortitudine, ad placendum hominibus, & emendicandam ab ijs magni nominis famam, & non ad Dei obsequium, præclarè gessissent, nomen in terris iuxta suam intentionem & desiderium inuenerunt: at verò iusti, qui in hac vita se humiliarunt ob Dei gloriam, eliminato è cordibus suis omni affectu gloriæ mundanæ, compensationem felicitatis, & æternæ gloriæ recipient in altera; vbi virtus iustum pre-

Matth. 6. 5.

2. de Ciuit. Dei, c. 13. 14. &c.

tium recipiet de manu illius, qui solus potest dignè bona opera remunerari. Atqui isthæc est definitio & essentia gloriæ.

Cic. in Brutum.

HONOR est præmium virtutis, iudicio studioque ciuium delatus ad aliquem; ita coronæ, præmia, statuæ, & alia si quæ ducibus vel militibus, qui fortiter pugnarunt, vel bonis ciuibus & excellentibus Doctoribus per leges decreta, erant facta & indicia honoris.

Arist. lib. 9. Rhet. ad Theod. c. 9.

LAVS est oratio, magnitudinem virtutis ostendens, id est, manifestans excellentem vnam quampiam virtutem, aut factum aliquod egregium, aut plura. Iuxta hanc legem ac laudis definitionem, orationes panegyricæ, poëmata, inscriptiones, & his similia, facta aliquibus in hac vita aut in altera degentibus, inter Laudes numerantur: & verò tam honor, quàm laus sunt veluti tubæ virtutis & bases gloriæ; quia personæ excellentiam manifestant & diuulgant, ac per talem manifestationem reddunt celebrem & gloriosam, vt est euidens.

Nulla

Nulla vera in hoc mundo gloria, sed solùm in altero reperitur, quæ confertur à Deo humilibus.

SECTIO XI.

NE aliquis specioso hoc nomine gloriæ decipiatur, sciendum est, quòd quemadmodum vita hæc mortalis non est vera vita, sed vitæ solùm vmbra; ita huius vitæ gloria, non est vera gloria, sed vmbra gloriæ. Vera & pura vita debet esse absq; admixtione mortis, & rerum morti affinium, quales sunt dolores, angustiæ, molestiæ, & aliæ corporis ac mentis miseriæ, quæ accelerant mortem. debet esse IMMORTALIS, & eiusdem durationis, atque est essentia animæ. Verùm neutra istarum qualitatum, vt experientiâ constat, reperitur in his terris. Eodem prorsus modo vera gloria debet esse clara absque vllis tenebris, absque obscuritate alicuius ignorantiæ, absque vllo temporis termino, adæquata proinde mensura immortalitatis animæ. Quod in hoc mundo, vbi omnia Grad. 5. sect. 55.

plena sunt tenebris, omnia terminis circumscripta, haberi non potest. In altero igitur mundo humiles expectare debent veram gloriam, vti & veram vitam. Et hoc non ab infirmis & ignaris mortalibus, qui facilè decipiunt, & decipiuntur; sed à Deo, qui omnia nouit, qui iustâ statêrâ seruorum suorum facta, & virtutes ponderat; qui & est omnipotens ad ea manifestanda, nec non optimus ad eadem cumulatè remuneranda. Mortales autem tenebris obcæcati, animo debiles, & mediorum indigi, nequeunt substantiam bonarum actionum dignoscere, neque eas ad suos numeros reuocare, & conuenienter alijs manifestare; multò autem minus dignè compensare: Dei solius est summum illud opus præstare, vti suo tempore præstabit: quando aperiet conscientiarum libros, de quibus loquitur Daniel, dum dicit: *Libri aperti*
Daniel, 7. 10. *sunt.* Et quæ intus latent, æquè ac ea, quæ foris patent, palàm faciet. *manifestabit* (vt dicit Apostolus) *consilia cordium*
1 Corint. 4. 5. bonas cogitationes, sancta desideria, & humilium affectûs. quæ omnia illi soli sunt cognita. Præterea in propatulo constituet

constituet omnes & singulas eorum actiones. Et quemadmodum intellectui ac memoriæ Angelorum ideam ac cognitionem omnium creaturarum impressit; ita in mentibus hominum & Angelorum notam & imaginem omnium virtutum, & meritorum insculpet Iustorum. Et vti humilitas eos induxit ad desiderandum & procurandum, vt in hac vita conspectum hominum latere vellent, contenti à solo Deo videri; ita iustitia diuina excellentiam EORVM virtutum coram hominibus & Angelis publicabit: non in aliqua terræ parte, Europa v. g. aut Asia, neque ad breue labentis temporis spatium, aut plurium sæculorum, vt in hoc mundo contingit, sed quàm latè terra, cælum, & æternitas patet. Erunt veluti stellæ indeficientes, & in loco parenti lucentes, vt ab omnibus hominibus, qui sunt, fuerunt, & adhuc futuri sunt, conspiciantur; erunt enim tunc omnes præsentes, & velut claritas stellarum in cælo lucentium ab oriente vsq; ad occidentem videtur, ita gloria humilium, scripta in libro Dei, velut in cælo, ante Angelorum & hominum oculos defe-

retur, vt cum honore, cum laude insculpta indelebiliter memoriæ omnium, semper videatur. Erit igitur manifestatio generalis, & notitia admirabilis, gloria integra, completa & interminabilis, flos felicitatis, corona honoris, & indumentum immortalitatis, quo Deus donabit humilitatem eorum, qui amore eius gloriæ ei inseruiuerunt: & iuxta eius beneplacitum, propriæ & alienæ saluti cooperati sunt. Hac consideratione sese excitent, & lætentur humiles in sua humiliatione, seque animo generoso humilient, vt in fine exaltentur. Experientia huius lætitiæ, est quies eorum laborum, & spes istius boni, est esca eorum virtutis; quin & ambitio istius gloriæ est exercitium eorum humilitatis; sed ambitio sine superbia; & exercitium sine fastidio. Vtrumq; autem gratum oculis humilis Regis, *qui exaltat humiles, & humiliat superbos.*

Plures sancti gloriosi fuêre in hac vita.

SECTIO XII.

Porrò

POrrò licet præmium veræ gloriæ reſeruetur conferendum in altera vita, Deus nihilominus tantus eſt zelator honoris humilium, & tam liberalis remunerator eorum humilitatis, vt etiam in hoc mundo, belli & humiliationis loco, tum viuentes, tum vitâ functos ſæpiſſime reddat glorioſos: ABRAHAM, qui ſe *pulnerem* appellabat, & vt humillimus Dei famulus nihili ſe æſtimabat, exaltatus eſt, & effectus PATER OMNIVM FIDELIVM, ET PROGENITOR PRINCIPVM, ET REGVM COMPLVRIVM POPVLORVM. Gen. 12. 10. 2. 3. Gen. 39. 27. item 39. 8. 17. Grad. 4. ſect. 9.

IOSEPH humiliatus & venditus à fratribus, calumnioſè ab vxore Domini ſui accuſatus, & afflictus tolerantiâ moleſtæ ſeruitutis, & duodecim annorum carceris, tandem in aula Regis Ægypti ſuper omnes Principes eſt exaltatus. & ex abiecto mancipio vidit ſe proclamari gubernatorem toti9 Regni.

MOYSES mitiſſimus & humillimus, dux & caput conſtitutus eſt ſuper ſexcenta millia Hebræorum. Grad. 4. ſect. 9.

DAVID paruulus & humilis opilio, in funda, abſque vllo ferro & ar-

mis, contra cataphractum Goliath pugnans, & expugnans, honore, laude, & gloriâ exaltatus fuit à populo Dei; & ex humili subdito, factus est Rex eiusdem populi.

Grad. 4. sect. 15. & 34. CASTA IVDITH ducens vitam priuatam & humilem, re pro populo suo præclarè gestâ, celebris effecta est. Quis nesciat Apostolorum, Martyrum, Confessorum, & Virginum Christianarum, à tempore descensûs Filij Dei è cælo in has terras, vsque ad hoc, gloriam manifestatam non solùm ad actiones mentis, sed etiam ad præsentiam eorum corporum; imò & ad ipsam eorum vmbram? vt legimus de Sancto Petro, cuius vmbra sanabat infirmos, quos transiens eâ attingebat. (Act. 5. 15. hic sect. 23.) quis Imperator, inquit S. Augustinus, Romæ vnquam in vita fuit honoratus, vt Sanctus Petrus post mortem, & Sanctus Paulus? illε piscator, hic scenofactoriæ artis. (Matth. 4. 16. Marc. 1. 16. Luc. 5. 1. Act. 18. 3.) Qua autem alia de causa honorantur, nisi quia humiliati, insignes persecutionibus & iniurijs sine fine & modo propter Christum & eius Euangelium effecti sunt, & tandem pro vltima humiliatione patibulo veluti latrones (Grad. 5. sect. 14.)

nes sunt addicti? Sanctus PAVLINVS Nolæ Episcopus, vt captiuitate eximeret filium pauperis viduæ, quæ id beneficij ab eo petebat, carens alio ad eum redimendum pretio, seipsum loco Iuuenis, in captiuitatem dedit: qui ductus in Africam, & factus Generi Regis hortulanus, pluribus annis in ea vixit humilitate, donec Deus eum manifestauit, & coram hominibus gloriosum effecit, quia hominũ gloriam fugiebat. Lege Baron. in Martyr. Rom. die 22. Iunij.

Sanctus Alexius nobilis Romanus, peragratis amore Christi diuersis Prouincijs & regionibus, mundum contemnens, & etiam diu contemptus à mundo, rediens Romam patriam suam, à patre tanquam alienus pauper hospitio accipitur; apud quem cùm spatio septemdecim annorum ignotus delituisset, postmodum non solùm cognitus, sed etiam illustris redditus fuit: & eius humilitas omnibus sæculis eius mortem consequentibus summo in honore fuit. Vide notas Baron. in Mart. Rom. 17. Iunij.

Corpora S.S. Stephani, Geruasij & Protasij, & plurimorum aliorum sanctorum, postquam multis sæculis sub terra latuissent, tandem inuenta sunt, De cuius inuentione Baron. die 3. Augusti.

de ſhorum etiam agitur in Mart. Rom. die 10. Ianuarij.

& pluribus miraculis condecorata. Voluit enim Deus præpotens hac ſerá reuelatione oſtendere memoriam amicorum & ſeruorum ſuorum diuturno annorum ſpatio ſibi minimè excidiſſe. Vocabant ſe, agentes in hoc mundo, ex humilitate exemplo Abrahæ *Puluerem & Cinerem*, verum Deus poſt obitum, puluerem eorum corporum in honore haberi voluit intra Eccleſiæ ſuæ ſanctuarium. qui PVLVIS vt inferni poteſtatibus eſt formidabilis, ita mortalium infirmitatibus ſalutaris. Nec tantùm PVLVIS, ſed etiam eorum corporum VMBRA (vt notaui de Sancto Petro) honoratus fuit. quin & inſtrumenta quibus humiliati & ſupplicio affecti ſunt. exempli cauſa vincula, catenæ, & cuſtodiæ eorum captiuitatis in honore fuerunt. Quod vnquam diadema & ſceptrum in pretio & honore habitum eſt, vt crux & corona humiliati Saluatoris? quod Regium palatium tanto fuit in honore, quanto domuncula, in qua Saluator conceptus, ſe humiliauit & exinaniuit, aſſumens indumentum noſtræ infirmitatis, ad veſtiendam gloriam ſuæ Maieſtatis?

Vide Baron. in Mart. 1. Auguſti.

Palatia

Palatia Ægyptiorum, Babyloniorum, Aſſyriorum & Romanorum, regia ædificia Salomonis, Aſſueri, Cæſaris Amphitheatra, Palatia ſuburbana, & omnia mundi ſuperba ædificia, nonné viribus humanis & annorum diuturnitate ſolo ſunt adæquata, & hæc humilis domuncula in ſua integritate ab vnâ regione in aliam aſportata, etiam hodie conſeruatur? ab Angelis honoratur? & ab hominibus ſumma in veneratione & cultu habetur? eſtque totius Chriſtiani orbis miraculum maximum. Si Deus tam eſt liberalis in exaltandis humilibus in hac vita, non ſolùm in eorum corporibus, ſed etiam cineribus, & inſtrumentis quibus occiſi ſunt, quin & in domibus, in quibus viuentes commorati ſunt, quanta in vita futura aduerſus eos, illius erit liberalitas? ſed & quanta illorum erit gloria, quando illi ipſi in proprijs perſonis integram humilitatis ſuæ mercedem recipient? Quæ proinde eſſe debet eorum alacritas & gaudium, quando in hoc mundo, amore tanti Magiſtri, & ſpe tantæ gloriæ recipiendæ, vident ſe humiliari?

Lege Horat. Turſel. de hac ſacra domo admirandam hiſtoriam.

De

De lætitia humilium in humiliatione bonorum naturalium animæ.

SECTIO XIII.

QVemadmodum humiles se Dei amore in bonis animæ, intellectu, iudicio, voluntate, & memoriâ humiliârunt & abiecerunt; ita in ijsdem facultatibus exaltabuntur & glorificabuntur: & ita quidem glorificabuntur, vt per omnia eorum exaltatio respondeat humilitati. Qua ex consideratione accipiunt argumentum lætandi ob sui humiliationem tot modis animæ illatam, quot placuit diuinæ prouidentiæ eam permittere. Ita
Psal. 25. 1. Dauid Deum orabat: *proba me, Domine, & tenta me; vre renes meos, & cor meum.* quasi diceret: sume experimentum mei intellectûs, propone res arduas, vide si fide humili verbo tuo me subijciam, ei potius credens, quàm lumini meorum discursuum; examina & tenta meam voluntatem & affectus meos, & in ijs me humilia, vt eos dirigam secundum rectitudinem tuarum legum, & inde

inde recipiam mercedem futuræ gloriæ. Et alio in loco gaudet se probatum esse. *Domine, probasti me & cognouisti me, tu cognouisti sessionem meam, & resurrectionem meam.* Et in alio: *Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt ossa humiliata.* quasi diceret: docebis me, vt intelligam bona humilitatis, & OSSA MEA, id est: vires animæ meæ, INTELLECTVS, IVDICIVM, VOLVNTAS, iam ante humiliatæ gaudebunt in scientia & recordatione tuæ sapientiæ, & in spe gloriæ: quam præparas humilibus, & specialiter eorum INTELLECTVI. qui intellectus eleuabitur ad claram Dei visionem, eo modo & mensurâ, quâ fuit humiliatus, quando cum obscuritate credidit res diuinas, quæ creditu erant perquam difficiles. Ij autem omnes, qui singulariter in aliqua virtute se humiliauerint, sessionem habebunt ad tribunal iustitiæ, iudicantes cum Christo in supremo iudicij die homines & Angelos. quæ est gloria prorsus diuina, & actio penitus sublimis. Quid enim vel cogitatione potest homo maius concipere, quam esse Dei assessorem ad iustitiæ tribunal?

Psal. 38. 1.

Psal. 50. 10.

tribunal? actu tam excellente, & essentialiter ad supremam Maiestatem spectante? ad ferendum suffragium, ad pronunciandam sententiam decreto generali supremi Iudicis, iungendam. idque adstantibus & spectantibus Angelis & hominibus? & quæ mens vel aspirare ausa fuisset ad tam sublimem gloriam, nisi ipsa veritas suprema disertis verbis id asseuerasset dicens?
Matth. 19. 28. *Amen dico vobis, quòd vos, qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede Maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.* Et hoc est, de quo Electus ille, & sublimis eius Apostolus Christianos monet, dum ad Corinthios scribit: *an nescitis,*
1. 6. 2. 3. *quoniam sancti de hoc mundo iudicabunt? nescitis quoniam Angelos iudicabimus?* O quantam humilis ex hac compensatione gloriæ, quæ humilitati eius intellectûs nunc promittitur, & pòst dabitur, haurire potest lætitiam! Quod ad VOLVNTATEM attinet, nos docet fides, quòd ea cum diuina vna sit futura: & quidem tantò maioribus cumulanda honoribus, quantò magis Dei amore humiliationibus, contradictionibus & omni subiectionis genere probata est. ME-
MORIA

MORIA sibi repræsentans afflictiones, & aduersitates hîc amore eiusdem Dei & Domini sui toleratas, efficietur thesaurus consolationum, & officina lætitiarum. Hæc consideratio bene mansa & in succum & sanguinem redacta, efficax & potens est subministrare tantas vires animæ, vt omnes eas aduersitates, quas quispiam his in terris pati potest, læta & alacris perferat. Ita lætantur humiles in suis afflictionibus!

De futura gloria humilium in donis gratuitis animæ, & de eorum lætitia in humiliationibus toleratis.

SECTIO XIV.

HVmilium corda consolantur etiam se in humiliationibus aliorum bonorum animæ, scientiæ, verbi gratia, eloquentiæ, & similium, quæ vocauimus BONA ACQVISITA, id est, dona data quidem & ipsa à Deo, sed interueniente commercio & exercitio propriæ industriæ & laboris. Considerant enim eos gloriâ coronandos, qui

qui & in eorum vsu, & in priuatione eorundem debitam humilitatem seruauerunt: siue quòd inflati ea possidentes non fuerint (sed ad honorem illius, cuius benignitate in deposito habebant, ea expenderunt) siue quòd eorum priuationem patienter tulerint, contenti scientiâ, eloquentiâ, & similibus donis aut prorsus carere, aut perquam tenuiter ea possidere. Et tali consideratione gaudent, diuinæ se conformantes dispositioni & prouidentiæ. quæ vt talenta in hoc mundo distribuit iuxta suum beneplacitum, ita in altero iuxta humilitatis & charitatis vniuscuiusque mensuram, conferet gloriam. Argumentum etiam se consolandi in suis necessitatibus inde sumunt, quòd certò sibi persuadeant diuinam bonitatem pro maiori eorum bono eas ita ordinasse. Cùm facile futurum fuisse intelligant (quod pluribus contigit) vt dictis bonis ad suam damnationem abuterentur, quorũ nunc priuatione coguntur suauiter, modestè se gerere. & infirmitatis suæ pondere grauati in infimis habitare. vnde ad cælum, per humilitatem lucrandum,

ijs facilior patet via. Quæ humilitas eos docet, quòd pro exigua ſcientia multis ignorātijs hîc permixtâ (quam, ſi Deus voluiſſet, non ſine magno ſuperbiæ periculo habere potuerant in hoc mundo) habituri ſint in cælo conſtanter claram Dei viſionem. cuius viſionis beneficio futuri ſunt doctiſſimi ac ſapientiſſimi. Nam vno mentis inſtanti abſque vllo diſcurſu & labore, abſque etiam tenebrarum admixtione, eſſentiam, exiſtentiam, & pulchritudinem omnium creaturarum particulatim, à minima vſque ad maximam intuebuntur; & in genere, omnem ordinem, œconomiam, & vnanimem earum omnium conſenſum, totiuſque vniuerſi excellentiam aſſequentur: nec id tantùm in ipſis, & in ſinu earum cauſarum naturalium, ſed in ipſa Dei eſſentia, cauſarum omnium ſuprema; quæ infinito interuallo eſt nobilior ratio omnia cognoſcendi, quàm ſit ea, quæ haberi poſſet ex omnium creaturarum eſſentia: & ſi humana diuinis licet conferre, ad eum fere modum, quo imago ſculpta in adamante ſine comparatione eſt excellentior, quàm

quæ efformata est ligno. Quid multis? eorum quilibet longè sapientior erit, quàm fuerit Salomon, qui tamen *habuit*
Grad. 1. *sapientiam & prudentiam multam nimis, di-*
sect. 41. *sputauitq; ac scripsit de omnibus*, (vt supra diximus) *de piscibus, de volucribus, de iumentis, de arboribus, de plantis, & lignis à cedro, quæ est in Libano, vsq; ad hyssopum, quæ egreditur de pariete.* Et vt sapienter vtuntur scientiâ si quam habent; aut si prorsus ea careant, aut admodum eâ tenuiter tincti sint, simplicitate suâ cótenti, patienter se habent; ita eandem sapientiam & modestiam in eloquentiâ adhibent, dum eâ, vt decet, ad Dei gloriam, & bonum publicum, absque vllius contemptu, vtuntur; aut si eam non habent, sese humiliant in patientia, scientes quòd etiam in hoc mercede non sint carituri, sed in cælo loquuturi, non viginti tribus linguis, vt Rex Mithridates, sed tot, quot in mundo sunt nationes. Ibi enim replebuntur spiritu linguarum, qui vno momento omnia mundi idiomata eos edocebit, vt docuit Apostolos, & primos Christianos, quando super eos descendit in formâ linguarum ignitarum. Fient di-
serti

ferti non minus fortunatè, imò fortunatius quàm paruus ille simplex & humilis bubulcus: qui ad breue tempus in cælum raptus, Græcam, Hebraicam, Persicam & alias linguas didicit. vnde cùm ad terras rediisset, & eas loqueretur, eum omnes, qui illum audiebant, & eius conditionem ante nôrant, summè mirabantur. Loquentur linguis non Demosthenis, non Ciceronis, sed Angelorum: suas dicent cogitationes, & easdem non secus silentio, atq; verbo declarabunt. Cognoscent insuper omnes scaturigines & fontes eloquentiæ, contemplando eum, qui res omnes, & earum veritates *verbo virtutis suæ creauit*: & dedit homini labia & linguam ad eas enodandas; quin & gratiam eidem contulit, vt aliis valeat declarare. Hac igitur consideratione bene ponderatâ, vel in possessione, vel in priuatione horum bonorum animæ, gaudeant quotquot humilitatis sunt studiosi.

De lætitia humilium in humiliationibus corporis.

SECTIO XV.

Vna Quem

QVemadmodum ſancti ſe humiles oſtenderunt in bonis corporis, in ſanitate atque fortitudine, ijs vtendo ad Dei gloriam, ad ſuccurrendum tum ſanis, tum infirmis, eos ſolando; & etiam infirmis in hoſpitalibus, in carceribus, aut alijs locis inſeruiendo, & ipſimet morbos ac infirmitates ſuſtinendo, vel ieiunijs, cilicijs, & diſciplinis atque alijs voluntarijs afflictionibus propria corpora macerando: contemnendo item ſuam pulchritudinem, aut Chriſto caſtarum & generoſarum animarum ſponſo eam conſecrando; ita lætos & hilares in exercitio talium humiliationum ſeſe exhibuerunt. Et quidem ſpiritualis eorum lætitia ſubinde adeo excreuit, vt in corpora redundârit, & dolores, quos perpetiebantur, in delicias verterit. Quod maximè in Martyribus, tum viris, tum fœminis, tum ſenibus, tum iuuenibus, & omnis conditionis & ætatis hominibus animaduertebatur: nam in medio torturarum, flammarum, virgarum, ſcorpionum, fornacum, eculeorum, & aliorum ſuppliciorum animis jubilabant, & excruciati per

per tyrannos omni genere tormentorum & ignominiarum, contra ipsos insurgebant, & proprijs eorum armis illos oppugnabant, patentibusque ad oculum suæ iucunditatis ac lætitiæ notis ac argumentis illos affligebant. S. Andreas Apostolus in suo Martyrio, quod subijt ætatis suæ anno octuagesimo, dolores crucis duorum dierum spatio tam generoso & læto sustinuit animo, vt magis timeret ne è cruce deponeretur, quàm alius, ne maximis suis delicijs priuaretur. Et quidem ex cruce non aliter atque ex speciosâ cathedrâ suis concionabatur spectatoribus; animabat Christianos, & lacrymas, quas ob eius afflictionum pœnas fundebant, contemperabat. Sed quâ non lætitiâ ei cor exsilijt, conspecto humiliationis ac mortis supplicio? quod vel ex salutatione eius ad crucem colligi potest: *ô bona crux, quæ decorem ex membris Domini suscepisti, diu desiderata, solicitè amata, sine intermißione quæsita, & aliquando cupienti animo præparata; accipe ab hominibus, & redde me magistro meo: vt per te me recipiat, qui per te me redemit.* Sanctus IGNATIVS Martyr in thea-

Lectio. sex in officio 30. Nouemb. Vide Baron. in Martyr. Rom. eod. die & 9. Maij.

Lect. 6. officij 1. Februar. tro constitutus, & videns rugientes leones exire de suis caueis, & spelæis, ad se deuorandum, nouo exultans gaudio, ait: *frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, vt panis mundus efficiar.*

Antiph. ad Mag. 2. Vesp. Sanctus Laurentius pluribus iam horis supra craticulam assabatur, cùm irridens tormenta, lætus tyrannum ad manducandum inuitauit dicens: *assatum est iam, versa & manduca.* Sanctus

Lect. 9. officij 11. Augusti. Tiburtius signo crucis se muniens, fidenterq; ambulans in carbonibus candentibus nudis pedibus, dixit suo persecutori: *Disce, inquit, ex hoc solùm esse Deum, quem Christiani colunt, pruna enim mihi flores videntur.*

Lect. 3. officij diei 18. Iunij. Tempore Diocletiani Fabianus Præfectus & Iudex subiectis tormentorum cruciatibus Sanctis, Marco, & Marcellino, ciuibus Romanis hoc modo loquutus est: resipiscite miseri; & vos ab his cruciatibus eripite: cui animo pacato ac forti, vultuque sereno responderunt: *Fabiane, nunquam tam iucundè epulati sumus, quàm hæc libenter IESV Christi causâ perferimus, in cuius amore nunc fixi esse cœpimus: Vtinam tamdiu nos hæc pati sinat, quamdiu hoc corruptibili*

bili corpore vestiti erimus. qui hymnos cantantes Deo animam reddiderunt.

Quis dignè verbis valebit explicare constantiam & spiritualem lætitiam tot millium Martyrum, & nominatim Virginum in suis humiliationibus? Sanctæ Catharinæ, Sanctæ Barbaræ, Sanctæ Luciæ, Sanctæ Agathæ, Sanctæ Blandinæ, & innumerabilium aliarum tenerarum Virguncularum, quæ in suis humiliationibus, doloribus, ægritudinibus & infirmitatibus, sicut & in tormentis & ignominijs Martyrij triumpharunt? quarum aliquæ virgis cæsæ, pectinibus & scorpionibus dilaceratæ; aliquæ eculeis tortæ, aliquæ in flammas, in ahena bullientis aquæ, olei, & ardentis picis iniectæ fuerunt; aliquæ scorpionibus, serpentibus & omnibus terrorum ac exquisitorum suppliciorum generibus obiectæ fuerunt. Quæ omnia non minori spiritûs alacritate, quàm animi fortitudine pertulerunt. Ecquæ obsecro tam felix aura earum afflabat animam, & eas victrices tormentorum efficiebat, nisi humilitas, quam Deus exaltat in tribulationibus? quamuis enim

25. Decembris. 4. Decembris. 13. Decembris. 5. Februarij. 2. Iulij. De his vide Baron. in festis earum.

talibus in exercitijs plures interuenerint virtutes, Fides, Fortitudo, Constantia, Spes, Charitas; hæc tamen maximè est idonea ad obtinendum diuinum succursum,& digna comprimis eius misericordiâ: regnabat humilitas in hisce humiliationibus, vt in proprio subiecto & dominio (vt dictum est supra) & inter eas apparebat regina (vt verè suo modo est regina virtutum) principaliter in tormentis & afflictionibus lætitiam subministrans.

De futura gloria humilium.

SECTIO XVI.

QVandoquidem experientiâ compertum est futuram gloriam esse causam generalem, quæ humiles reddit strenuos, & animosos in suis angustijs, vt dictum supra, opere pretium est, hanc considerationem applicare particulariter tolerantiæ tribulationum corporis (vti hîc supra fecimus in humiliationibus animæ) & ob oculos ponere, quòd quemadmodum humiles recipient animæ gloriam iuxta propor-

Grad. 6. sect. 13. 14.

proportionem ſpiritualium humiliationum, ita in ſuis corporibus, prout probati fuerint in humiliationibus corporalibus, in ieiunijs, in laboribus, in tormentis, in morbis, in infirmitatibus, in rerum defectu, in veſtium paupertate, & modis alijs, quibus corpus ſuum afflixerunt, glorificabuntur. Scriptura dicit Deum ſine remuneratione nihil, ne potum quidem aquæ frigidæ, ſuo nomine porrectum, relicturum; & eius prouidentiam ſe extendere vſque ad vnum capitis pilum: Ex quo colligemus credendum eſſe, quòd ne minimam quidem humiliationem pro eo ſuſceptam in toto corpore corruptibili, & in qualibet eius parte, ſine corona & mercede relinquet. Pro ieiunijs, longam lætitiæ, ac honoris ſeriem accumbentibus deliciarum menſæ, proportionatam tamen, ſemper toleratæ humiliationi tribuet; pro laboribus & moleſtijs, requiem & gaudium æternum, gloriâ ſuâ concomitatum conferet; pro tormentis, torrentem voluptatis; pro infirmitate & ægritudine, fortitudinem & ſanitatem ſempiternam; pro rerum inopia abundantiam

omnium bonorum; pro paupertate circa amictum, stolam gloriæ. quæ non ex bysso (vti fuit Iosephi; non ex purpura & cocco, vti fuit Mardochæi, Daniel. 5. 28. Danielis, & similium) sed ex materia siderea, splendenti, & ineffabile lumen emittenti, confecta erit. Corpora enim hæc, quæ modo sunt crassa, terrestria, grauia, & obscura, fient cælestia, subtilia, impassibilia, leuia, & lucentia veluti stellæ in firmamento, imò vt sol ipse. Dicit enim scriptura, quòd *iusti fulgebunt vt sol, ad similitudinem Saluatoris* ducis ac capitis sui. Qui cùm exiguam gloriæ suæ in monte Thabòr exhibuisset demonstrationem, dicitur *facies eius resplenduisse velut sol; & vestimenta facta alba velut nix.* Et quantum quisque corpus suum humiliârit, tantum in eo & in omnibus ac singulis partibus illius, recipiet gloriæ: in capite, in oculis, in brachijs, & alijs membris. In corpore Diui Petri apparebit nota toleratæ humiliationis in cruce, & inflictorum per Carnifices ictuum; in sancti autem Pauli videbuntur signa gloriæ, quæ respondebunt flagellationibus: in corpore sancti Bartholomæi excoriati, gloriosæ exuuiæ

Marginal notes: 6. 7. / Daniel. 5. 28. / Sap. 3. / Matth. 17. 2.

exuuiæ pellis detractæ: quot vulnera capiti sancti Stephani lapidibus torrentis sunt inflicta, tot erunt veluti pretiosi immortalitatis lapides pro gloria istius membri, & aliorum quæ læsa fuerunt. Corpora Sanctarum Virginum, & aliorum, iuxta eorum abiectionem & humiliationem donabuntur gloriâ: humilitas eorum oculorum, incessûs, silentij, & aliarum huius virtutis actionum, peculiare habebit præmium. S. Appollonia speciali condecorabitur gloriâ in dentibus, quos immanes Carnifices magnis malleorum ictibus ex ore excusserunt. Sancta Maria Magdalena peculiarem honorem recipiet in suis crinibus, in compensationem exhibiti humilis obsequij, & extersionis per eos factæ pedum Saluatoris. Verùm quis edifferere valebit magnitudinem & varietatem gloriæ corporis, & membrorum ipsiusmet Saluatoris? gloriam capitis spinis coronati? gloriam pedum & manuum clauis transfixarum? gloriam lateris lanceâ aperti? gloriam dextræ sceptro arundineo illusæ? gloriam faciei irrisæ, & sputis conspurcatæ? gloriam totiûs eius corporis,

poris, virgarum ictibus dilacerati, ac pluries irrisionis chlamyde amicti? Quis poterit explicare, vel etiam concipere gloriam huius glorificati corporis in genere, & in specie, omnium & singulorum membrorum in particulari humiliati? Et verò si exiguum huius gloriæ signum in dicto monte Tabor, in corpore eiusdem Saluatoris adhuc morti obnoxio datum, tantum edidit splendorem, tantæque fuit efficaciæ, vt oculos & animam Sancti Petri, eiusque sociorum, qui illius transfigurationi interfuêre, præ admiratione & gaudio obstupescere faceret, quæ erit gloria eius corporis iam in cælo & throno Maiestatis suæ triumphantis de morte? & quæ, secundum illius proportionem, corporum electorum, & nominatim gloriosæ eius Matris Virginis Mariæ gloria? Humiles hanc futuram credunt gloriam, quia Deus suprema veritas in suo codice exaratam promulgauit, & dum eam credunt ac meditantur firmiter adhærent spei anchoræ, & inter medios persecutionum fluctus tranquillo mari nauigant, ac innixi promissis bonorum, in omnibus
humili-

humilitatis actibus mirùm dictu quàm lætentur! Amore huis promissi (inquit Sanctus Augustinus, in genere loquens de Martyribus) sanctus Martyr eleuatus super res terrenas, quodam pregustatu supremæ dulcedinis mirandum in modum captus, dicebat cum Psalmista: *Quid mihi est in cælo? & à te quid volui super terram?* non valens verbis declarare gaudia & triumphos cæli, eos admiratur exclamans: *quid mihi est in cælo?* quasi dicere vellet, non possum dicere, neque intelligere, quanta sit gloria, quantus honor, & excellentia, in qua Saluator reparabit humilitatem corporis nostri. Et consideratione huius perfectæ libertatis nulla timebat pericula, neq; supplicia; vnde etsi millies valeret mori, adhuc non putaret se promeruisse magnitudinem tam liberalis compensationis. Ita solidantur, ita recreantur & consolatione replentur humiles in afflictionibus suorum corporum!

Sanctus August. s. 44. de Sanctis.

Psal. 72. 25.

De lætitia humilium in humiliationibus bonorum & malorum fortunæ.

SECTIO

SECTIO XVII.

ACtus humilitatis, qui exercentur in bonis & malis fortunæ, habent gloriam peculiarem pro compensatione, & gaudium ex spe eiusdem gloriæ acquirendæ. Qui diuites sunt, Nobiles, & celebres in hoc mundo, lætantur quando possunt bene & modestè vti suis diuitijs, eas elargiendo pauperibus, vel alijs modis sapienter expendendo, absque vlla iactantia; vel (quod perfectius est) parati sunt eorum iacturam facere, si cedat id ad Dei gloriam: conseruant etiam existimationem & dignitatem suam pro Dei honore, & bono proximi; & eodem fine eandem contemnunt, nihil soliciti an noti, an ignoti sint mortalibus, contenti vni Deo se notos esse, & in eiusdem gratiâ se custodire. Talis est lætitia diuitum & fama celebrium in sua humilitate, quamdiu fruuntur bonis huius vitæ. Quod si acciderit, vt diuites sese suis diuitijs voluntariè spolient, vel aduersâ flante fortunâ, aut hominum violentiâ easdem perdant, læ-

tantur

tantur spe opum immortalium in cælo acquirendarum, in commutationem amissarum, & mercedis suæ paupertatis accipiendæ. Tales erant Hebræi recens conuersi ad fidem Christianam, quos Apostolus laudat, ijs congratulans constantiam in patientia toleratorum opprobriorum, & rapinæ bonorum cum gaudio susceptæ: ait enim: *rememoramini pristinos dies, in quibus illuminati magnum certamen sustinuistis passionum, & in altero quidem opprobriis & tribulationibus spectaculum facti, in altero autem socij taliter conuersantium effecti, nam & vinctis compassi estis, & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis:* & statim lætitiæ causam addens, sic pergit: *cognoscentes vos habere meliorem & manentem substantiam.* Qui eâdem malitiâ, & inconstantiâ hominum, vel temporis, subeunt iacturam famæ, se etiam in sua humilitate consolantur, sperantes fore vt pro mensura, qua ex calice Saluatoris ignominias & humiliationes biberint, eâdem in regno (vbi epulantibus iustis ipse ministrabit) honorem & consolationem sint bibituri. Ita animat illos Sanctus Paulus ad quodlibet aduersum tolerandum, exemplo eiusdem Saluatoris, his

Hebr. 10. 32.

Rom. 8. 17. his verbis: *sumus quidem hæredes Dei, cohæredes autem Christi, si tamen compatimur, vt & conglorificemur. Existimo enim, quòd non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Vult dicere Apostolus, quòd honoris compensatio modis infinitis superatura sit labores & difficultates. quod alibi alijs dicit verbis: *id, quod in præsenti momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operabitur in nobis* Hæc est arrha & spes humilium, quæ in mundi fluctibus ad spem serenitatis eos erigit, & in tormentis persecutionum constantes & firmos reddit ad omnem incursum & impressionem reflantis fortunæ: dum se, vt idem dicit Apostolus: *in omnibus exhibent*

2. Corint. 6. 8. *semetipsos sicut Dei ministros, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus per arma iustitiæ à dextris, & à sinistris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, sicut qui ignoti & cogniti.* Se item consolantur, dum cõsiderant loco calumniarum, quibus impetuntur, æternam laudem de ore veritatis, & de manu Dei se recepturos: qui plumbum & scoriam infamiæ, auro gloriæ, & fumum maledicentium, splendore nominis im-

mortalis

mortalis commutabit; omnemq; eorum deiectionem & humiliationem exaltabit: & virtutes atque præclara eorum acta in generali hominum & Angelorum congregatione promulgabit; eorumque nomina in libro æternitatis, ijs æternùm vitam prorogans, exarabit: & pro exigua ac breui ignominia, quam in hac mortali vita in oculis paucorum mortalium pertulerunt, in altera honoris laurum ſemper coram Deo viridantem, ſuper theatrum in ſocietate omnium beatorum ſpirituum, atque hominum recipient: eamque ſine numero & menſura annorum atque temporum glorioſi, capite geſtabunt.

De ſuperbia oppoſita ſexto gradui humilitatis.

SECTIO XVIII.

QVemadmodum præcedentes humilitatis gradus habent oppoſitos ſuos ſuperbiæ gradus, ita & ſextus habet ſuum: qui ſuperbiæ gradus conſiſtit in hoc, vt, patrando

actum aliquem superbiæ oppositum actui humilis animæ, lætitia capiatur. Quæ humilis anima vbi iam pertigit ad sextum & vltimum humilitatis gradum, & exercet actum aliquem humilitatis circa vnum ex quinque præcedentibus gradibus, gaudio perfunditur. Hic sextus superbiæ gradus est abyssus & consummatio omnis infortunij: quia, qui super eum sedet, peccat non solùm sine scrupulo & conscientiæ remorsu, sed audaci superbiâ, elato supercilio, & cum alacritate non verâ, non solidâ, verum perniciosè vanâ: & simili illius hominis, qui correptus esset phrenêsi. vel somniaret. Gaudet quòd se magni faciat, quòd se alijs præferat, quòd aspiret ad vanitatem (quam gloriam falsò reputat) quòd impatientiâ motus, cælum & terram miscere videatur (dum eius voluntas suo frustratur proposito) gaudet item inuestigare & adhibere omnia media, quæ vel maximè malitiosè excogitauit ad emendicandum mundanum honorem. nihili interim ducens, neque cælum, neque infernum, factus prorsus similis ei, de quo dicit scriptura:

impius

impius cùm in profundum peccatorum venerit, contemnit. Superbia huius gradus est profunditas & summitas omnium peccatorum. Quicunq; superbus ad hanc superbiam peruenit est sine cura & timore, gaudet de suo malo; Deum Deique mandata contemnit; homines spernit, bona, & mala futuræ vitæ flocci facit; præsentis autem solam stultitiam & vanitatem æstimat, credens ipsissimam esse felicitatem. Dicit semper, CONSCENDAM. & semper profundius & profundius in foueam descendit, adinstar Diaboli, qui cùm diceret CONSCENDAM, præcipitatus est in abyssos infernales: ac deinceps semper de malo in peius iuit, factus rex filiorum superbiæ. id est stultorum, cùm ante Angelorum & filiorum Dei esset princeps. Quid multis? detrusus est cum suis affeclis infra omnes creaturas ratione præditas, qui antè erat super omnes; & qui nutriebatur croceis, amplexus est stercora; in ijsque, non obstante, quòd sit confusione plenus, delectatur, & in dies magis delectabitur, magisque confundetur. Quod nunc est considerandum.

Prouerb. 18. 3.

Isaia 14. 13.

Threnorum 4.

Diabolus rex superborum miserandum in modum humiliatus in suo intellectu & voluntate.

SECTIO XIX.

QVemadmodum Christus per suam humilitatem exaltatus est super omnem creaturam, & factus Doctor & exemplar humilium atque sapientum; ita Diabolus per suam superbiam infra Angelos & homines deiectus est, &, suo malo, factus rex superborum & amentium. Et vti idem Saluator humilitatis actus inenarrabili cum lætitia exercebat, vti & humiles eius exemplar semper exultârunt in suis humiliationibus; ita Diabolus semper continuauit, & adhuc continuat suam arrogantiam, & in ea sibi complacet adinstar alicuius hominis desperati, cui maximè volupe est seipsum discerpere & pessundare. Eius spiritu qui sunt inflati, eum sequuntur, sibique in vanitatibus complacent; non secus atque si eæ essent res honestæ & solidæ voluptatis. Est is maledictionis

nis spiritus: quam Deus ei intimauit, recitato contra eum suo decreto, in Paradiso terrestri (vbi in assumpto serpentis corpore creatori suo calumniatus fuerat, & progenitores nostros deceperat) quod decretum sic habet: *quia fecisti hoc*, inquit, *maledictus es inter omnia animalia & bestias terræ: super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* Gen. 3. 14. Maledictio hæc indicat humiliationem dæmonis in suo peccato, & miseriam in complacentia, quam capit illud continuando cum summa sua confusione. Inordinatè desiderârat laudari & extolli super omnes creaturas; depressus est infra omnes, & maledictioni subiectus à creatore. Dicebat: CONSCENDAM, ET ERO SIMILIS ALTISSIMO. est autem detrusus, & infimo similis effectus: id est bestiæ, & prorsus serpens spiritualis, gradiens tamen super pectus, vti serpens corporalis. cuius illæ vnæ sunt deliciæ volutare sese in cœno humilium suarum & terrestrium cogitationum. Quod longè maior est pœna & humiliatio, quàm si homo (qui rectus graditur verso ad cælum vultu) eò mi-

 seriarum

seriarum esset redactus, vt repere cogeretur velut serpentes super pectus; imò & maior, quàm si prorsus in serpentem esset transformatus. Summum autem eius infortunij est, quòd sibi complaceat in continuatione operum suæ confusionis, & in dies maiori ac maiori confusione repleatur. Vescebatur quondam scientiâ veritatis rerum altissimarum & diuiuissimarum; postquam autem effectus est dæmon, eius esca est, non terræ fructus, sed ipsa terra: id est, peccata hominum terrestrium, & illius propria: quæ esca, quis dubitet, quin millies peior sit animæ, quàm pura terra corpori? Fuit autem, & est, æterno pudore humiliatus in omnibus omnino animæ facultatibus, in INTELLECTV, in VOLVNTATE, & in MEMORIA. Sed & amplius humiliabitur post diem iudicij, quando redigetur in angustias suarum adinuentionum, & recipiet complementum suæ damnationis. Eius intellectus, post rebellionem nihil aliud molitur & machinatur, quàm mendacia, calumnias, deceptiones, homicidia, latrocinia, seditiones, sacrilegia, factiones, & alia

propria dæmonum opera. quæ eius electus sunt cibus. quo animam suam pascit, vt solent diaboli. Quantùm sublimis eius intellectus humiliatus fuit in permixta & illi ambigua passione Saluatoris, quando omnia confuderat, cælum & terram mouerat & omnes suas astutias viresque adhibuerat, vt omnes malitiæ & potestates mundanæ ac infernales insurgerent contra Christum agnum mitissimum, & spe iam deuorârat ruinàm & perniciem mortalium in cruce & supplicio, quod illi procurârat? Et nonné tandem horribili Catastrophe victum se vidit, quando anima Saluatoris victrix egrediens è corpore cruci fixo petijt inferos, confregit portas, & eius regni potestates captiuauit & catenæ alligauit, consummans opus redemptionis humanæ? quantus tunc fuit dolor & confusio huius superbi spiritûs, videns se eo percussum ligno, quod erigi curârat, & proprijs irretîtum cassibus, coniectumque in cippos suarum astutiarum?

Eius voluntas erat creata ad amandum & ad fruendum visione supremæ pulchritudinis, & scientiâ admirabi-

lium Dei operum: suâ autem obstinatione effecta est amatrix rerum vilium, & abiectarum, & maximè peccati. quod summa est turpitudo: ac ideo ille in seipso, & in alijs intimè illud amat. Neque tamen putandum est quòd tantum peccatum superbiæ, & alia quæ sunt puri spiritûs opera amet; sed etiam carnis, nominatim autem luxuriæ, quam ardenter solicitat, & procurat mortalibus; eorum concupiscentiam per detestabiles cogitationes & obiecta accendens: vel etiam ipse se cum ijs commiscens, interueniente immundâ permixtione corporis mutuati, quod assumit, vt olim assumpsit serpentis in Paradiso, (cum proprio careat) abijciens se infra vilissimas creaturas. Et hoc quidem in operibus prorsus abominabilibus. Eius in memoria nihil omnino continetur, nisi quod fastidium & nauseam moueat, licet omnia deglutiat velut sapidissimum cibum. ita illius omnes corruptæ sunt facultates, & eò in omnibus abiectionis & miseriæ deuenit! Et quod eius infortunij summum est malum, hæret obstinatè & irreuocabiliter in semel suscepta malitia.

Vide supra grad. sect. de incubis. Vide Serar. in caput 6. Tobiæ q. 2. & Delrio lib. 2. disq. q. 15.

litia. sibi in suis sordibus complacet, easdemque remandit, & ruminat veluti porcus lutum, vel serpens quod sibi est simile, bufonem v. g. deglutit, & pro delicijs & opipara refectione habet. Atqui iste est status, ad quem deuênit superbia in his spiritibus, qui eximia, quidem in sua origine, & principio fuêre Dei opera; sed per superbiam effecti sunt detestabiles Diaboli, id est, summè deformes ac execrabiles.

De vana lætitia Diaboli in honore, vana sui æstimatione, & bonis externis.

SECTIO XX.

FVit, est, & erit humiliatus Diabolus in bonis externis, quæ ei possunt competere, vt sunt fama, gloria, & honor, quæ cæpit concupiscere & ardenter quærere iam tum, quando dixit in corde suo CONSCENDAM, Isaiæ 14.
vt nimirum similis esset altissimo. Ad- 13. 14.
de, quòd in ea concupiscentiâ & desiderio principatum suum amplificandi & commoditates ac delicias maiores,

& maiores acquirendi semper sibi complacuit. Pro ascensu autem in cælo altiore consequendo, in terram, imò & infra terram est præcipitatus; retinens nihilominus assiduè stultam & superbam illam concupiscentiam, vt ab hominibus honorificetur & magnificetur. Quod omnibus viribus semper studuit sibi procurare, in eo vno sitam esse credens lætitiæ suæ summam. Verùm in omnibus, & per omnia se videt humiliatum, & confusione plenum. & quòd maxima eius infelicitas est, semper sibi complacet in malo progredi, non obstante grauissimâ eius confusione. Quod D. Chrysostomus breuiter in vno quodam de virtute humilitatis attingit sermone.

Homilia 39. ad pop. Ant. quid est humiliari? *Quid est humiliari? nonnè vituperari? nonnè accusari? nonnè calumniam pati? Exaltari verò, honorari, laudari, glorificari? videamus igitur hoc quomodo fiat. Angelus erat Satanas, semetipsum exaltauit. Quid ergo? nonnè plus omnibus humiliatus est? nonnè locum habet terram? nonnè ab omnibus accusatur & arguitur? Homo cùm esset Paulus, semetipsum humiliauit. Quid ergò? non admirabilis habetur? nonnè commendatur?*

tur? non laudatur? non eſt Chriſti amicus? nonnè maiora quam Chriſtus fecit? nonnè Diabolo frequenter imperauit tanquam ſeruo? nonnè tanquam lictorem circumducebat? nonnè deridebat eum? nonnè illudebat? nonnè contritum eius caput ſub pedibus ſuis habebat?

Conſideratio hæc digniſſima eſt, quæ accuratè perpendatur ad rectè intelligendum, quomodo rex iſte, & eius ſuperbiæ æmuli ſunt humiliati, & adeo infelices redditi, vt ijs volupe ſit ſemper peius ac peius agere, & ſeipſos infeliciores reddere. Quod, allatis nonnullis exemplis, videre placet. Angelus Raphaël ligauit dæmonium nomine Aſmodæum in diſerto Ægypti, veluti alligari ſolet villaticus canis ad truncum alicuius arboris. quod abſq; dubio ſingularis fuit humiliatio furioſo illi ſpiritui. Iob iacens in fimeto humilis, nudus & vlcere peſſimo percuſſus, impoſuit finem inſultibus ſatanæ, eumque à ſe abire coëgit. quod grauiſſima illi fuit humiliatio, & ſimillima illis, quas poſtea perpeſſus eſt in victoria innumerabilium ac inſignium bellatorum, Martyrum, & aliorum, quos nunquam

Tobiæ 3. 6.

nunquam non est odio persecutus, à quibus assiduè à fronte, à tergo cum suis commilitonibus cæsus est. Et quamuis passim ab Ethnicis Idololatris, nefandis istis laribus cultus aliquis delatus fuerit, nihilominus vilipendebantur, expellebantur, & ab hominibus probis male tractabantur: maximè vero post Christi aduentum: ac in primis ab ipsomet Saluatore; & pòst, ab eius Apostolis, & seruis alijs. Ipse
Matth. 4. 10. fuit, qui in sua humilitate superbiæ & serpentis caput penitus confregit, iuxta veterem increpationem, quâ in Paradiso terrestri ei fuerat comminatus. Sed quæ debuit fuisse pœna & humiliatio antiquo illi draconi & *alijs* rebellibus spiritibus, vel potius lupis infernalibus, quando è corporibus humanis supremâ auctoritate, & virtute humilitatis huius mitissimi agni, exire compulsi sunt, non valentes absque facta ab eo potestate, non dico in corpora hominum; sed ne in porcorum quidem introire? quæ & qualis, & quàm vana horum infelicissimorum dæmonum in istis humiliationibus lætitia?
Matth. 8. 31. & quàm misera eorum conditio, qui

semper

ſemper in ſua malitia perſeuerantes, ſibi complacent in actionibus, per quas ſingulis momentis fiunt infeliciores, maioreque replentur confuſione. Mat. 5. 12. 13. Luc. 8. 32. 33.

Dæmones per Apoſtolos & Chriſtianos in Dei Eccleſia humiliati.

SECTIO XXI.

ETiam humiliati ſunt Dæmones per Apoſtolos, & Chriſti diſcipulos, quando eorum poteſtati, & omnium filiorum Eccleſiæ ſuæ, latâ æternâ lege, Chriſtus illos ſubiecit dicens: *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici*, id eſt ſupra Dæmones. Quam poteſtatem & auctoritatem Dauid prædixit HVMILI dandam: *ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* figurata hæc eſt locutio, quâ ex vna parte per SIMILITVDINEM harum pernicioſarum & terribilium beſtiarum ſignificatur violentia & ſuperbia malignorum ſpirituum; ex altera verò per verba AMBVLARE & CONCVLCARE maxima humiliatio, quam pati coguntur aëreæ iſtæ poteſtates

Luc. 10. 19. Pſal. 90. 13. Ariſtotel. 8. Hiſt. anim. 2. c. 19. Plin. l. 8. c. 25.

S. Greg. lib. 15. c. 7. 8. S. Bern. in Psal. 90. serm. 13. ſtates ab hominibus iuſtis. ASPIS eſt ſerpens maximè malignus, & ſummè vindicatiuus: nec eius venenum vllo pelli poteſt remedio. Suum volatum, vt plurimùm inſtituit ad nocendum; nunquam autem non comitatus fœmellâ, quoquam pergit: vt ſi eorum alter occidatur, viuus proſequatur occiſorem. Vnde volando & gyrando ſe in omnem partem, nullam ei dat quietem, donec, ſi poteſt, viciſſim eum occidat.

Plin. l. 8. c. 21. Psal. 90. Hieron. ſuper Iſa. c. 11. 5. Apocal. 12. 1. BASILISCVS autem eſt rex ſerpentum, qui non ſolùm morſu, ſed etiam halitu & intuitu interimit, quiq; frangens veneni ſui petras exſiccat virorem per quem graditur.

LEO eſt animalium omnium ſuperbiſſimum & crudeliſſimum, rex ferocium beſtiarum.

DRACO fortior & audacior baſiliſco, pugnam audet inire cum Elephantibus & Aquilis; volat, & ſuo tum veneno, tum vncinatis pedibus nocet inſigniter. Hæ beſtiæ in ſacris litteris, peruerſis qualitatibus à natura ſibi inditis figurant dæmones, eorumque ſuperbiam & malignitatem deſignant.

Notan-

Notandum quòd, quando Dauid scribit hominem iustum super eas bestias AMBVLATVRVM, & CONCVLCATVRVM, emphaticè denotet humiliationem, quam sustinent: quia nemo magis humiliari potest, quàm si pedibus conculcetur. Ita Iosue humiliauit quinq; reges Cananæos, quando mandauit principibus exercitûs, vt euntes *ponerent pedes super colla eorum.* Quanta ergo debet esse confusio istorum superborum spirituum, dum vident sibi imperari, se vilipendi, & conculcari ab hominibus? Quis dubitet eam tantò esse grauiorem, quantò maior est eorum superbia, eorumque natura nobilior ac sublimior quorumcunque hominum, esto sint illi Reges ac Imperatores? ideoque ignominiam & contemptum sibi illatum per homines (quos summè contemnunt, detestantur & immortaliter oderunt) mirum in modum sentiunt.

Iosue 10. 24.

Vanitas lætitiæ Dæmonum in honoribus, deq; eorum contemptu in Ecclesia Dei.

SECTIO XXII.

Quod

QVod si aliqua ijs adhibentur in terris honorum obsequia, non sunt ea materia veræ lætitiæ, sed esca vanorum spirituum, & corruptorum appetituum: cùm ij honores non sint nisi spuma erroris & ignorantiæ; qui exhibentur per excæcatos idololatras, per veneficos & sortilegos abominabiles, naturæq; corruptores: necnon per homines coram Deo vilissimos, à quibus tam parum proficisci potest verus aliquis honor, quàm ex fœtenti Cloaca gratus & suauis odor. Et, quod etiam considerandum est, honor qui à talibus hominibus exhibetur dæmonibus, non exhibetur propter eos, sed propter aliquam propriam delectationem sensum concomitantem, aut commoditatem temporalem, quam ab ijs expectant: alias eos nihili faciunt, imò dedecore afficiunt, atque maledicunt, si quod petunt, non obtinent, aut aliquod incommodum ijs inde eueniat. Testes sunt Indi gentiles, qui sua idola & Deos talibus in casibus virgis cædunt; testes Romani, qui eos lapidibus impetebant, eorum altaria euertebant, statuas & templa

templa lapidibus obruebant, vti contigit in morte Germanici Imperatoris populo longè charissimi. Qui populus cum ijs expostulabat, quòd talem Imperatorem, & quidem Romanum diutius saluum & incolumem non conseruassent. Quòd ad homines bonos, & veri honoris studiosos attinet, ijs semper huiusmodi spiritus fuêre abominabiles. Infantes Christianorum confringunt eorum statuas, conspuunt imagines: minimus exorcista constitutus in Ecclesia, virgâ & baculo ijs imperat, expellit, & vlulare facit adinstar eorum, qui ignis supplicio afficiuntur, vel virgis cæduntur. S. Cyprianus scribens ad Demetrianum Africæ proconsulem sic ait: *ô si audire eos velles & videre, quando à nobis adiurantur & torquentur spiritualibus flagris, & verborum tormentis de obsessis corporibus eijciuntur, quando eiulantes & gementes voce humanâ & potestate diuinâ flagella & verbera sentientes, venturum iudicium confitentur. Veni & cognosce vera esse, quæ dicimus. Et quia sic Deos colere te dicis, vel ipsis, quos colis, crede: aut si volueris & tibi credere, de te ipso loquetur audiente te, qui nunc tuum pectus obsidet, qui*

Sueton. in Calig. c. 1.

Cyprianus ad Demet.

QVod si aliqua ijs adhibentur in terris honorum obsequia, non sunt ea materia veræ lætitiæ, sed esca vanorum spirituum, & corruptorum appetituum: cùm ij honores non sint nisi spuma erroris & ignorantiæ; qui exhibentur per excæcatos idololatras, per veneficos & sortilegos abominabiles, naturæq; corruptores: necnon per homines coram Deo vilissimos, à quibus tam parum proficisci potest verus aliquis honor, quàm ex fœtenti Cloaca gratus & suauis odor. Et, quod etiam considerandum est, honor qui à talibus hominibus exhibetur dæmonibus, non exhibetur propter eos, sed propter aliquam propriam delectationem sensum concomitantem, aut commoditatem temporalem, quam ab ijs expectant: alias eos nihili faciunt, imò dedecore afficiunt, atque maledicunt, si quod petunt, non obtinent, aut aliquod incommodum ijs inde eueniat. Testes sunt Indi gentiles, qui sua idola & Deos talibus in casibus virgis cædunt; testes Romani, qui eos lapidibus impetebant, eorum altaria euertebant, statuas &

templa

templa lapidibus obruebant, vti contigit in morte Germanici Imperatoris populo longè chariſſimi. Qui populus cum ijs expoſtulabat, quòd talem Imperatorem, & quidem Romanum diutius ſaluum & incolumem non conſeruaſſent. Quòd ad homines bonos, & veri honoris ſtudioſos attinet, ijs ſemper huiuſmodi ſpiritus fuêre abominabiles. Infantes Chriſtianorum confringunt eorum ſtatuas, conſpuunt imagines: minimus exorciſta conſtitutus in Eccleſia, virgâ & baculo ijs imperat, expellit, & vlulare facit adinſtar eorum, qui ignis ſupplicio afficiuntur, vel virgis cæduntur. S. Cyprianus ſcribens ad Demetrianum Africæ proconſulem ſic ait: *ô ſi audire eos velles & videre, quando à nobis adiurantur & torquentur ſpiritualibus flagris, & verborum tormentis de obſeſſis corporibus eijciuntur, quando eiulantes & gementes voce humanâ & poteſtate diuinâ flagella & verbera ſentientes, venturum iudicium confitentur. Veni & cognoſce vera eſſe, quæ dicimus. Et quia ſic Deos colere te dicis, vel ipſis, quos colis, crede: aut ſi volueris & tibi credere, de te ipſo loquetur audiente te, qui nunc tuum pectus obſidet, qui*

Sueton. in Calig. c. 5.

Cyprianus ad Demet.

nunc mentem tuam ignorantiæ nocte cæcauit: videbis nos rogari ab ijs, quos tu rogas; timeri ab ijs, quos tu adoras. videbis sub manu nostra stare vinctos. Et tremere captiuos, quos tu suspicis & veneraris vt Dominos.

Notandum verò est in fauorem humilitatis, quod scribit Palladius: nimirum minores diabolos præcipuè expelli fide, maiores autem & subtiliores verberibus, quæ particulariter per homines comprimis simplices & humi-
Pall. c. 28. les ijs infliguntur. ita Paulus ob magnum suum candorem & humilitatem cognominatus simplex, expulit superbum & obstinatum diabolum, cui omnes omnino homines alij erant ludi-
Pall. c. 52. de vita illius. brio; & Abbas Apollo, ille qui petierat à Deo humilitatis spiritum, alium similis nequitiæ dæmonem, qui suo collo insederat in figura parui Æthiopis, (qui eum volebat strangulare, & in arena sepelire) à se auulsit clamantem, vlulantem, atque dicentem: *sum*
Pall. ibidem. *spiritus superbiæ.* is pœnam suæ humiliationis ferebat in corpore mutuato, vt olim in Paradiso terrestri Lucifer in corpore serpentino. Neque verò tantum humiliabantur vocibus viuenti-

um.

um, sed etiam ossibus & cineribus sanctorum vitâ functorum, nec non instrumentis eorum martyrij. Ita Diabolus qui gloriabatur, & responsa dabat nomine oraculi Delphici, mutus est redditus vicinitate sepulchri Sancti Babylæ Martyris. Quod admirans S. Chrysostomus: *potentia, inquit, sanctorum tanta est, vt Diaboli non tantùm formident eorum vmbram, & habitum dum viuunt, sed etiam post mortem eorum sepulchra.* Et alibi, *Cinis Martyrum procul pellit importunos spiritus.* Item loquens de Catenis Sancti Petri: *Princeps dæmonum, inquit, eas horret & fugit & magno timore & tremore ijs infrenatur, ijsdemq́ eius malignæ cohortes fugantur.* DÆMONES, inquit, Sanctus Hieronymus: *vlulant ad reliquias & cineres sanctorum.* Quanta ista est humiliatio spiritibus obstinatè superbis? spiritibus potentibus? sapientibus? & immortalibus? Et quale illis iugum est minimis hominibus veluti terræ vermiculis in hac vita subijci, & post mortem eorum pulueri? quæ & quanta malitia eorum inesse debet superbiæ & stultitiæ, quæ corrumpens eorum intellectum & appetitum, non

Hic sect. 12.

Contra gent. in vita ipsius. idem S. Chrysost. serm. de virtutibus & vitijs.

S. Hieronym. contra Vigilantium.

finit eos perſpicere miſeriam ſui ſtatûs? imò verò efficit, vt in illo ſibi complaceant. & vt furioſi ſuâ delectantur inſaniâ; ita hi actionibus, quæ ijs cedunt in tormenta, in ignominiam & confuſionem, oblectantur. Et ſi verò in mundo hoc tantopere eorum arrogantia deprimitur, quanta eorum futura eſt cõfuſio in die iudicij, quando Chriſtus rex humilium æternâ & vltimâ ſuâ ſententiâ ac iuſto iudicio omnes ſuperbos humiliabit, & vnà cum ſuo rege infra vltimam terræ abyſſum præcipitabit, humiles verò ſuper omnes cælos exaltabit?

Vana lætitia & humiliationes dæmonum in ſuis idolis & picturis.

SECTIO XXIII.

QValiter boni Angeli, vt miniſtri & ſerui Dei, ac cooperatores humanæ ſalutis efformatis in Eccleſia ſuis imaginibus delectantur; taliter & dæmones ſuis inter Paganos repræſentati tanquam reges aliqui, aut etiam Dij, vt Saturnus, Iupiter, Mercurius,

rius, alijque similes impostores, & falsi Dij. Verùm, vt Angeli recipiunt honorem in suis imaginibus, ita hi infortunati confusionem in suis; & non solùm in hoc, quòd frangantur, comminuantur, conspuantur, &, vt merentur, per filios Dei vilipendantur; sed etiam in eo, quòd eæ de industriâ monstrosè effictæ sint ad formam & figuram capitis, caudæ bouis, equi, apri, draconis, &c. oculis prorsus horridis, & locatis non solùm in fronte, sed etiam in toto corpore cum alis vespertilionum, draconum, piscium, cum vngulis aquilæ, alijsque partibus in se quidem deformibus, sed in sua repræsentatione longè deformioribus. Et quidem mos sculpendi & pingendi tales spiritûs fundatus est in sacris litteris, quæ eos describunt verbis, vti solent pictores & sculptores Christiani eos coloribus, aut sculpturis exprimere.
Ita Sanctus Ioannes in sua Apocalypsi 12. 1.
repræsentat Diabolum per Draconem; Iob. 41.
Iob per monstrum marinum: & hoc 6. 9. 14.
ideo fit, vt etiam denotetur peccati 11.
turpitudo, & nominatim superbiæ: quæ & dæmones ex pulcherrimis Angelis

gelis fœdissimos, & homines dæmonibus similes reddidit. Vnde & hi per tales figuras non minus, quàm illi repræsentari solent. Daniel depingit quatuor Monarchias, & regna gentilium per quatuor bestias: quarum prima est LEÆNA, alas habens aquilæ; secunda est VRSVS, cuius in ore & dentibus tres erant ordines; tertia erat PARDVS, habens alas, quasi auis, quatuor, & quatuor capita; quarta deniq; quæ est sine nomine, TERRIBILIS, habens dentes ferreos magnos, & cornua decem. Porrò, dubio procul Diabolo magna est confusio, dum videt se ita effictum & contemptibiliter efformatum: nec dubium, quin si eius furori habenæ laxarentur, statim de tali contemptu se vlcisceretur. Verùm hoc non obstante, quia superbus est, sibi complacet semper male agere, & vanitati inhærere; dissimulat quantum potest suas confusiones, mandens continuè terram, & capiens suas delicias in malis, quæ committit ipse, & ad ea committenda impellit mortales, quos incredibili odio prosequitur. Et ista est vana lætitia eius damnationis, peruersitas

Daniel. 7. 3.

sitas obstinatæ elationis; & fructus extremæ eius delirationis.

De vana lætitia superborum in bonis animæ iuxta sextum superbiæ gradum.

SECTIO XXIV.

Diuites superbi in bonis animæ naturalibus aut acquisitis ambulãt triumphantes super sextum & vltimum superbiæ gradum: idq; iuxta nutum & tactum sibi à Diabolo duce suo datum: vnde & omni confusione, vt ille, vitæ finem imponentes replentur. Aspiciunt cælum non ad agnoscendum Deum auctorem bonorum (quæ possident) & ob id ei gratias humiliter referendas, sed ad pascendam superbiæ suæ curiositatem, & semetipsos exaltandos. Videntur quidem illis omnia sublimia, sed cùm sint omnium bipedum miserrimi pascunt sese in infimo sulco suarum infelicitatum, quas tamen, illusi imagine recti, apprehendunt vt quandam beatitudinem. quid multis? in dies ruunt in deterius, obstinati

in sua stultitia, excœcati in sua miseria, & deplorandi in cœcitate. Complacent sibi in contemplatione bonorum spiritualium, quæ habent aut se habere præsumunt in INTELLECTV, in IVDICIO & MEMORIA: & imaginariæ suæ lætitiæ in dies adijciunt incrementa, conferendo se & præferendo alijs, quos longè se inferiores arbitrantur. Eorum vagabunda phantasia discurrit, nihilque volatu suo non explorat, ad prædam inueniendam. quin & velut aues, quæ altiora petunt volando, ipsi se collocant super suas internas & externas sublimiores actiones vt super altiores quasdam arbores, vt quæ remota sunt, contemplentur, & contemplando se delectent. Eorum iudicium corroborat imaginationem, eandemque illustrare nititur per aliquos minus à ratione alienos discursus, repræsentans ei vt bonum quicquid phãtasia suggessit. Voluntas autem complectitur iudicium & memoriam, & vtrique imperat, vt in suis cogitationibus velut in delicijs commorentur. Et quemadmodum Rex Assuerus aureo indutus panno, residens in throno regio,

gio, pene innumerabilibus gemmis relucenti, aureâ coronâ redimitus, & dextrâ sceptrum gerens, suam magnitudinem summa cum voluptate contemplabatur; ita superbus in animo suo dona sua contemplando sibi de seipso, in seipso complacens & velut regulus quispiam gloriabundus in proprio papilione confidens, vento inflatur, vento pascitur, & ventosâ lætitiâ pene rumpitur. Si quæ habeat dona acquisita, artem aut scientiam, de ijs se iactitat veluti de naturalibus: cùm eorum auctori gratias deberet referre: qui ea equidem elargitus est non ad vanitatem aucupandam, sed ad æternæ gloriæ soliditatem cōsectandam: quod fit quando ad bonum Reipublicæ, & maiorem Dei gloriam eis vtimur. Ex donis suis rotam sibi fabricat, velut ex plumis, & in cauda suorum operum se contemplatur, vt pauo in suis oculis caudatorijs; in suis item statuis, in scientiâ, quam habet de natura, de astris, de elementis, de animalibus, & occultis creaturarum effectibus supra modum sibi ipsi complacet. Figuras, vt Archimedes, in puluere suarum cogitatio- Plutar. in Marcello.

Titus Livius lib. 5. decade 3.

gitationum, format: & non aduertit (tam est excœcatus!) quòd FINIS & INIMICVS admodum ei vicinus insidietur, vt è medio eum tollat. Vanissimè quæcunque scit, contemplatur & admiratur, nullâ prorsus factâ reflexione eorum, quæ ignorat. cùm tamen infinitis propè modis excedant ea, quæ scit: tuetur se obstinatè in consideratione suæ scientiæ, & longè maiorem putat, quàm reuera sit; deliria sunt illi deliciæ: in ijs proinde se exaltat: vnde magis ac magis semper delirat, superbit & insolescit despiciens in corde suo homines cæteros, quos se indoctiores iudicat: & perdens se in vanitate suorum discursuum, tantò tunc fortunatiorem se existimat, quantò est infelicior. & quod omnium miserrimum est, de infortunio suo lætatur, velut de magna aliqua felicitate, quia nimirum seipsum ignorat dementatus suâ inscitiâ, & stultitiâ.

De vana lætitia superborum in bonis corporis.

SECTIO XXV.

Superbus

SVperbus abutens bonis corporis, ſicut & animæ, ex ijs ſtultam ſibi fabricat lætitiam. Vanè exultat de ſua ſanitate, de fortitudine, de pulchritudine. & vt ponendo alios quinq; ſuperbiæ gradus aſſuêuit ſe ob ſua dona magni facere; alijs ſe præferre; omni ſtudio laborare, vt omnibus præferatur, poſtponatur autem nemini; patienter autem ferre, imò gaudenter, quod ſua dona pluris æſtimentur, quàm ponderent, dolere autem vehementer, ſi ſit alijs deſpicatui; & tandem omnia indagare media, & vias inquirere quibus ſe oſtentet; ita nunc in hoc ſexto gradu ſuper omnes ſe collocans, percipit vſumfructum ſuorum, vt ſibi videtur, bonorum. & vt res ſunt corruptibiles & exigui momenti; ita etiam lætitia proueniens ex vſufructu vana & inanis eſt. Eius ſtultitia creſcit iuxta incrementum ſanitatis, & bonæ corporis valetudinis. Vnde ita viuit, acſi nunquam vlli infirmitati eſſet ſubijciendus, & tam cæcus eſt, vt non videat, quòd euidens & clarum eſt, futurum nimirum vt tandem aliquando OMNIBVS SPOLIETVR, quin & eò vſque

vsque cogitatione pertingit, vt existimet aliam non esse vitam, quàm corporis, dicatque cum Epicureis, aliam non esse felicitatem, quàm sensuum. Eius sanitas, fortitudo, & pulchritudo eius deliciarum sunt esca & basis. bibit, comedit, potitat, helluatur, pergræcatur, stertit, & iuxta desiderium & votum suum omnia peragit. Et si prouentus ex eius bonis appetitui, gulæ & ventri satisfaciant, nihil denegat suæ carni, reipsâ implens, quod refert Salomon libro sapientiæ, dum loquitur de infidelibus, quibus solenne est dicere: *ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus tanquam non fuerimus. Cinis erit corpus nostrum, & spiritus diffundetur tanquam mollis aer. Venite ergo & fruamur bonis quæ sunt, & vtamur creaturâ tanquam in iuuentute celeriter. Vino pretioso & vnguentis nos repleamus. &, non prætereat nos flos temporis, coronemus nos rosis, antequam marcescant, nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra.* Item quod dicebant alij prophani. *manducemus & bibamus, cras enim moriemur.* Porrò, ingluuies stultam lætitiam, & luxuriam progenerat, inquit, Sanctus Gregorius. Ita olim Hebræi postquam lautè comedissent in deserto, *surrexerunt*

Sapientiæ 2. 2. 3. & seqq.

1. Corint. 15. 32.

S. Gregor. Pastor. cu. 3. part.

surrexerunt ludere, choros ducere, & à Deo Apostatare. De talibus dicebat Beatus Iob. *tenent tympanum & cytharam, & gaudent ad sonum organi, ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Lætitia ista bestialis est, nihil in se continens præter sensum corporalem, vt est in bestia; est perniciosa, inferens quantùm in se est, lethargum mortis spiritui: qui est MAXIMVS superbiæ EFFECTVS. qui effectus hominem procreat, & efficit bestiam, vel si malis, & vnum de numero eorum, de quibus dicit scriptura: *lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis*: est tandem punitio superbi: quia per talem voluptatem summè humiliatur & deprimitur, ac in ordinem bestiarum redigitur: in eoque completur, quod Dauid deplorat, vt magnam infelicitatem: *homo cùm in honore esset, non intellexit comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Maius malum longè id est, quàm si potentissimus quispiam Monarcha redigeretur in numerum minimorum seruorum, & mancipiorum. vel si is (vt ait scriptura) *qui nutriebantur in croceis*, & magnificentia regia,

admonit. 20. initio.

Exod. 32. 6.

Iob 21. 12.

Prou. 2. 14.

Psal. 48. 13.

Thren. 4. 5.

loco commoditatum & deliciarum, *amplexaretur stercora.* Quam punitionem ad litteram factam videmus in rege Nabuchodonosore, qui extollens se in suis cogitationibus, & sibi vanè complacens *in operibus magnitudinis suæ*, sensibiliter redditus est velut bestia, habitans in desertis: *cuius capilli in similitudinem aquilarum creuerunt, & vngues eius quasi auium.* cuius cibus erat gramen, *fœnum enim vt bos comedit.* Ita superbi efficiuntur bestiæ! & ita in suis miserijs humiliantur! sed humilitate, quâ præter Dei iram, nihil promerentur.

Dan. 4. 30.

Stulta alacritas & lætitia superborum in vanitate conuiuiorum, & corporalibus voluptatibus.

SECTIO XXVI.

POrrò, vt superbia semper declinat in peius, ita & superbi: qui non contenti vanè lætari in suorum desideriorum adinuentionibus, & voluptatibus gulæ ac ventris, sed etiam in ijsdem gloriantur: erigentes trophæum, & quasi idolum falsi ac stolidi honoris

noris super abyssum suæ ignominiæ, dum certant inter se quis eorum videatur magis vitiosus, magis gulosus, magis ebriosus, magis luxuriosus, ac denique magis dissolutus. Et qui tali in conflictu obtinet victoriam, obtinet & gloriam: nec minore effertur lætitiâ, quàm si in aliquo nobili prælio hostem prostrauisset. Complures olim nationes & homines hoc vitio mirè fuerunt infames, & inter cæteras Sybaritæ, qui ita in commoditatibus & delectationibus corporis fuêre effœminati, vt præter illas nihil aliud agitarent animo. vnde hoc titulo de ijs gloriantes, se coronabant, & procul facessebant quicquid cursum suarum voluptatum poterat interturbare. Qua de causa non sinebant fabros ferrarios, nec vllos alios artifices, qui laborando strepitum excitant, habitare in sua ciuitate. eodem modo nec gallos gallinaceos in ea enutriri, timentes ne eorum cantu somnus per noctem ijs interrumperetur. Mithridates viginti trium nationum, & plurium vitiorum, rex constituit præmia ijs, qui plus comederent & biberent (vti ante illum fecerat Alexander

Vide prouerbium Sybaritica mensa & Sybaritica oratio in Chil. Erasmi.

xander Magnus.) Quo in conflictu triginta quinque nimiâ crapulâ & repletione crepuerunt. Et quidem in conuiuijs Mithridatis magno numero ita edaces, ita bibaces reperti sunt, vt rubore perfunderent naturam humanam, erubescentem videre filios suos agentes centies peius, quàm soleant bestiæ. quæ neque comedunt, neque bibunt vltra necessitatem vitæ sustentandæ. Milo Crotoniates ordinariè vnâ refectione, si habere poterat, vorabat vnum vitulum. Ille qui in Græcia nuncupabatur paruus Hercules, in arenam gulæ cum quolibet in mensa descendebat, & postquam ientando eos vicerat, deinde prandebat & cœnabat semper cum nouis & nouis commilitonibus, quos omnes totis diebus ventrem infarciens, edendo & bibendo superabat. Adeo etiam prodigiosus & simul phantasticus fuit ille, qui supponens gallinæ oua excludenda, non cessauit helluari & comessari, quo vsque essent exclusa. Sardanapalus, Heliogabalus, & alia istius generis sordium ac excrementorum monstra, per exorbitante in omni voluptatum carnalium

Athen. lib. 10. c. 1.
Plut. lib. 1. symp. 9. 6.
Plin. lib. 10. c. 54.

cœno

cœno intemperantiam indelebili hominum memoriâ infames se reddiderunt. Et quod turpitudinem eorum auget se ipsos magnificabant iactabantque, quòd tam gulosi, tam impuri, atque abominabiles essent. Potestné maior peruersitas, maiorque stultitia excogitari? sed & maiorné superbi alicuius punitio in mentem venire, quàm sit, se existimare excellentiori honore dignum, quia sit pluribus vitijs coopertus? magis item felicem & sublimiorem honorem mereri, quò ille sit miserabilior, & profundius infra omnem bestiarum conditionem detrusus? Ecquid tam à ratione alienum est, quàm ex proprijs vitijs quærere triumphos, ex ignominiâ gloriam, & ex miserijs lætitiam? Porrò licet hi excessus habeant causam particularem proprij vitij; & quòd nimiùm se cibo & potu replere, veniat ex vinolentia & gula, aliæque corporis delectationes ex luxuria; nihilominus omnia tanquam ex prima origine scaturiunt ex superbia, matre, semente, & radice omnium vitiorum. Quæ superbia induxit Deum, illius capitalem inimi-

cum, vt iusto iudicio superbos traheret in desideria cordis: & per nimiam peccatorum absurditatem & enormitatem, eorum superbiam castigaret. Ita S. Paulus (factâ mentione superbiæ Romanorum, & antiquorum Philosophorum, *qui se sapientes dicebant, & stulti facti erant*) loquitur: *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, vt contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis.* Quo ostendit superbiam esse vere gurgitem omnium peccatorum, sed nominatim eorum, quæ spectant ad corpus, vt viliora, abominabiliora & magis propria ad humiliandum & deprimendum hominis superbi fastum.

Rom. 1. 24.

Rom. 1. 24.

De vana lætitia superborum in vestibus.

SECTIO XXVII.

AD vanam BONORVM CORPORIS lætitiam refertur HABITVS & INDVMENTVM: quæ sunt ornamenta, quæ recipiunt corpus; suntq; ordinaria materia & argumentum

Vide Prou. in chil. Sybaritica, mensa, sup. sect. 26.

tum vanitatis animabus superbis & infirmis. Atque ita hæc vanitas reperitur semper coniuncta vitio carnis. Ita supra nominati Sybaritæ oppido in abiectione suarum voluptatum effœminati erant, & plus quàm fœminæ in mollitie vestium. Diues epulo notatur à Domino, quòd esset gulosus, & quòd gestaret ordinariè vestes ex purpura & cocco. Imperatores Romanorum quò magis effœminati, eò etiam magis vani in ista erant pompa. Caius Cæsar nunquam eundem habitum bis portauit, sed quotidie nouum induebat, & comparens in publico nouam in dies vanitatem ostentabat. Nero idem faciebat; vterque in omnibus alijs vitijs, vt in hoc, monstro similis. Caligula gestabat caligas interstinctas & fibulatas varijs lapidibus pretiosis. Quem postea secutus est Galienus: Heliogabalus autem profundius descendit in vanitate, & altiùs ascendit in superbia & amentia; quia carbunculos, adamantes, atque margaritas adhibuit suis calceis: quin & saga, quæ gestabat, erant ex panno aureo, aut ex setico, quod illo tempore paris cum

Qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt. Matth. 11. 8. Luc. 7. 25.

Luc. 16. 19.

auro erat pretij. Hi igitur homines, ijsque similes, lætabantur in sua vanitate. quæ tamen lætitia in sola consistebat imaginatione, dum se ab hominibus alijs suspici cum admiratione imaginabantur. Lætitia ista, est lætitia somni, venti ac bestiarum. eâdem enim exultat pauo: ex pulchris suis plumis componens rotam, sicut & gallus Indicus ex suis alis leucophæis, seu albo & fusco colore constantibus. Et quidem hæ bestiæ ostentant, quod suum est, absque vanitatis vitio; hi verò insolescunt, & vanè gloriantur rebus alienis. Age, dic si putarent isti totum mundum cœcum esse, nonné abstinerent ab huiusmodi vano habitu, & stulta suiipsorum ostentatione? est igitur & magna vanitas, & magna stultitia sese delectare in superfluis & splendidis vestibus, quæ alteri rei non seruiunt, quàm pascendis oculis alienis. Vnde nisi superbia tales animas omni sapientiâ exuisset, haud dubiè non ita vanè, & insolenter affectarent ornare sua corpora spolijs creaturarum, & tali in ornatu ponere delicias suæ lætitiæ. Et, si Indi risu & reprehensione digni sunt,

quia collaria, coronas, & alia ornamenta ex plumis confecta gestant; auresque & maxillas perforant, vt pendentes ex ijs lapides ferant; certè hi superbi non solùm risu & reprehensione, sed etiam punitione digni sunt. Indi siquidem has res naturales nulla elaboratas arte, & in exigua quantitate ac sumptu exiguo adhibent; hi autem diuitijs auium, ouium, vermium, piscium, plantarum, arborum, multo labore & arte plurium artificum præparatis: exempli causâ, aurifabrorum, pellionum, tinctorum, phrygiorum, sartorum, sericariorum, sculptorum, & aliorum plurium se onerant, & supra se gestant laborem naturæ & artis, idq; ingentibus expensis. In quo plurimùm & Reipublicæ & pauperibus, qui ex superfluitate istâ vitam possent sustetare, præiudicant: nam dum ad aliud omnino non attendunt, quàm vt se ornent splendidè, Rempublicam spoliant pessundantque. Quidam nostrorum regum Christianissimorum videns quadam die fratrem suum vestitum thorace passim vnionibus relucente, indignabundus, ad matrem versus, dixit:

si hic homo aliquando rex fuerit factus, nonne gestabit regnum suum super humeros? quam igitur punitionem meretur superbia & amentia horum, non tantum quia superfluas & iniquas faciunt expensas, sed etiam quia lætantur, gloriantur, & Rempublicam exhauriunt, vt conspiciantur & suspiciantur ab infima plebe, vel ab hominibus sine cerebro, qui solùm vanitates admirantur?

De vana lætitia superborum in diuitiis.

SECTIO XXVIII.

INter fortunæ bona diuitiæ principale sunt instrumentum vanæ lætitiæ, vti & vanæ gloriæ; illæ enim, vt in pretio & æstimatione sunt apud mundanos, ob honores, qui fere eos consequuntur, ita sunt efficaces ad exhilarandos animos eorum, qui eas possident & amant. Sic lætabatur ille, qui videns sua granaria, sua cellaria, & cistas plenas, intra seipsum dicebat: *anima, habes multa bona posita in annos plurimos,*

Luc. 12. 19.

mos, requiesce, comede, bibe, epulare. En superbia & lætitia superbi ex suis bonis; sed audi quid Deus illi dicat: *stulte, hac nocte animam tuam repetam à te: quæ autem parasti, cuius erunt?* Viden' reprehensionem stultitiæ, constantem quinque membris, seu partibus, quæ sunt. PRIMÒ fundare stabilem lætitiam super bona transitoria; SECVNDÒ promittere sibi certos vitæ annos, qui incertissimi sunt; TERTIÒ non sentire periculum, quod iam iam imminet; QVARTÒ frui diuitijs cum propriæ animæ malo ac damno fors irreparabili. Et TANDEM eas relinquere hominibus incertis ac incognitis, qui, vt verendum est, ob eas non modò non erunt grati, sed fortasse etiam irridebunt: iisque male vtendo, eodem modo quo primi possessores, se perdent. Est igitur lætitia ista fundata in stultitia, in mendacio, & in imaginatione: est lætitia eorum, qui dormientes somniant se inuenisse & possidere magnum thesaurum, & vbi euigilant, nihil inueniunt præter impressionem deliri sui capitis: Tales erant illi, de quibus dicit Dauid: *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt*

Ibidem.

Psal. 75. 6.

runt omnes viri diuitiarum in manibus suis. Reuerà insensati, quòd totam huius vitæ mortalis noctem dormierint, oppressi somno concupiscentiæ & obliuionis; quòd requieuerint molliter in cubili suarum deliciarum & peccatorum; quòd sese opulentos & beatos existimantes, post vitæ huius exitum (quando mors & præsens supplicium ijs aperiet oculos) visuri sint bona sua terrena aliud non fuisse, quàm nugas & lusus delirantium; quòd item ex omnibus suis bonis aliud sibi nihil aduertent superesse præter immortalem conscientiæ vermen, & tormenta pœnæ æternæ, quæ sunt reditus & fructus longè deteriores, quàm nihil. Lætitia ergò ista non est lætitia, sed grauis & peior deliratio, quàm fuerit Trasyllæ Atheniensis, diuitis per opinionem, & læti per stultitiam. peior inquam, quia talis delira lætitia, cùm sit sine peccato, & solùm ex debilitate cerebri proueniat, hominem non præcipitat, ex se, ad infernum si moriatur inopinato latrocinio, aut alio quocunque casu; sed illa AVARORVM proficiscitur ex voluntaria cæcitate, quæ est proles peccati:

Vermis eorum non morietur. Matth. 9. 44. 46. 48.

peccati: nec non crimen mortis æternæ illius, qui tali in statu ex hac vita decedit.

Alia exempla de stulta lætitia superborum in suis diuitiis.

SECTIO XXIX.

VAna hæc diuitum superborum lætitia admodum latè patet: habet pro fundamento non medium, quod est virtutis sedes, sed extra vagantes vitiorum regiones. Nunc enim est in quærendis & cumulandis diuitijs nimium solicita, non solùm in rebus alicuius pretij & valoris, sed etiam in acquirendis & attrahendis ad se vilibus & abiectis; nunc autem in faciendis expensis nimijs, ad ostentationē, vti dixi quinto gradu alia occasione; nunc etiam in actionibus ridiculis, & homine indignis. Romanorum Imperatores ex diuersis tributis, & exactionibus impositis nationibus Imperio subiectis, habebant in prouentu annuo circiter centum & quinquaginta milliones: eorum tamen superbia sect. 39. 40.

maior prouentibus, eos induxit ad inueniendam rationem & modum quæstum faciendi ex excremento & vrina hominum ac bestiarum, ex omnique ætate & sexu; ex equis, asinis, mulis, &c. Imperator Vespasianus auctor fuit præclari huius commercij. Qui autem eum secuti sunt in imperio, in vigore præclarum hoc inuentum conseruarunt, & de sordida hac sua inuentione læti iocabantur inter se de absurda ista & vili excogitatione turpissimi lucri, dicentes, quod talia excrementa & fumi bonum efficerent odorem. Auari, qui erant, huius quæsturæ officium ambiebant, non secus atq; milites officium Ducis, vel supremi tribuni, inquit Euagrius. Hoc Chrysargyron ita decantatum, & per homines honestos magnopere detestatum, tandem per Imperatorem Anastasium, horrentem & erubescentem fœtore huius sordidi commercij inficere purpuram imperialem, est abolitum.

Vectigal Vrinarum Chrysargyr. Gregorius Cedrenus.

Euagrius lib. 3. Eccle. hist. c. 29.

Tyberius præparcus erat, & reseruandarum ac claudēdarum rerum perstudiosus; vnde moriens in suis cistis reliquit octuaginta & vnum milliones

auri. Caligula contrà, exponendis adeo delectabatur, vt trium aut quatuor mensium spatio dictos milliones exposuerit. Poëta Comicus deridet quosdam auaros senes, viles, & abiectos, qui omnia reseruabant & obserabant vsque ad præsegmenta suorum vnguium, & hisce sordibus delectabantur. Nero in prodigalitate, vt & in alijs vitijs prodigiosus, singulariter delectabatur stultis & exorbitantibus expensis. Vnde dicere illi solenne erat, maiorem Imperij fructum non esse, quàm bona plurima prodigere. Die quodam imperauit dari vni è custodia sui corporis militi ducenta & quinquaginta millia aureorum, & cùm eius mater Agrippina, vt apprehenderet ille excessum tanti doni, tali homini facti, supra plures mensas doni summam curasset repræsentari, tantum abfuit, vt facti pœnitentiam aliquam præ se ferret, vt etiam duplicari iusserit, dicens, non putasse se tam parum dedisse. Heliogabalus imperabat scrobibus ab auro elimatis vias, per quas erat transiturus, proseminari. Superbus & vanus totus quantus, ac pariter stul-

Plautus aquam plorat, dum lauat.

tus, atque ab auro dementatus, quod pedibus calcabat inani vanitate. Caligula adinuènit alium extraordinarium modum se exhilarandi: cùm enim curasset nummos aureos & alia auri elaborati segmenta in vna aula, non minus capace, quàm erat imperialis, in magna quantitate accumulari, nudis pedibus super ea ambulabat, & nonnunquam totus nudus in ijs se volutabat, non secus atque aper in volutabro. Insensatus, & simul infelix, quòd ob delectationem se volutaret in spinis aureis, magis pungentibus, quàm quæ ex dumis proueniunt, in quas Sanctus Benedictus meliori impulsus spiritu se nudum iactauit, ad amoliendos carnis stimulos, & ad reportandam, vti factum est, gloriosam de carne sua victoriam. Verùm quis tam miserabiliter infascinauerat horum principum cerebra, quòd pro gloria & delicijs haberent vilitatem & humilitatem talium actionum? nonné superbia, quæ omnium primùm ijs peruerterat intellectum, priuans eos lumine rationis? & deinde, infecto animi appetitu, inducens ad capiendam delectationem

in rebus vilissimis, & non solùm indignis persona Imperatoris, sed etiam cuiusuis miserabilis mancipij? Et quis obsecro inter mortales est integro constans iudicio, qui non malit nihil habere, & esse similis mendico Lazaro, quàm tam miserabiliter in hac vita à diuitijs torqueri, & in seruitutem redigi? in altera autem sepeliri æternis flammis, absque solatio vel vnius guttæ aquæ, diues in tormentis, sed simul indigus omnis boni & solatij?

De vana lætitia superborum in suis honoribus & dignitatibus.

SECTIO XXX.

HOnores mundani tantò sunt aptiores ad exhilarandos superbos, quantò eos ipsi pluris faciunt & amant. Dixi alibi, hominem naturaliter diligere gloriam, quia ad eam Deus illum creauit, eiusque fecit capacem: Verùm superbus qui hoc in genere semper delirat, eligit in hac vita mortali gloriam: cùm vera solùm in altera expectetur & habeatur: quæ enim

Grad. 3. sect. 40. & hic sect. 12.

enim in hac à multis suspicitur, non est gloria, sed tantùm vmbra gloriæ: si quæ tamen dici potest, quàm ea est exigua, quàm breui tempore duratura! gloria verè vana, & inanis: quia nequit animam solidè satiare; nec, vt experientiâ omnium mundanorum (qui eam habuerunt) clarum est; quemquam valuit quietum reddere. Repeto, si aliqua in hoc mundo est gloria, ea est, in prosequutione virtutum, & fuga vitiorum: seu quod idem est, in seruitio diligenti ipsi Deo exhibito. Is pro remuneratione talis obsequij coronam veræ gloriæ & felicitatis æternæ in beatorum domicilio, Angelis applaudentibus, est collaturus. Verùm quia hæc gloria est futura, quam *soli sapientes*, (qui acutè perspiciunt futura) apprehendunt; stulti autem (quorum infi-
Eccle. 1. 15. nitus est numerus) solùm vident præsentia, & quæ in oculos incurrunt: fit, vt maior hominum pars sibi complaceat in honoribus huius vitæ, eosq; veluti perfectam felicitatem ambiat, & (positâ omni curâ de honoribus alterius) sectetur. Huius veritatis exempla, prô dolor! nimis magno numero

habentur

habentur in historijs tam sacris, quàm prophanis! Sacra scriptura stolidam Regum orientalium gloriam, Nabuchodonosorum, aliorumque similium non exiguo numero refert: adiungit & peculiarem voluptatem, quam capiebant non solùm, dum honore afficerentur, vt Reges mortales, sed etiam vt Dij immortales. Alexander Magnus, qui minus vanus putabatur in his honoribus, mirè tamen delectabatur honorari, vt filius Iouis. Nero ob sua vitia indignus qui inter homines numeretur, iucundam ducebat vitam, videns homines sibi blandiri, & honorem deferre non solùm vt Deo, sed etiam vt Deorum supremo. Poteſtné in imaginationem hominis cadere honor magis vanus? lætitia infirmiori nitens fundamento? superbia magis abominabilis? sed age dic, omnes isti gloriosè superbi aliquandoné acquieuerunt partæ gloriæ? aliquandoné dixerunt, SATIS EST? Et quare non dixerunt? quia eorum gloria erat vana & insufficiens ad replendã cordis humani capacitatem, quod repleri nequit, nisi verâ gloriâ? *Satiabor*, inquit, rex Dauid, *cum apparuerit*

Plut. in eius vita.

Psal. 16. 15.

vir gloria tua. Porrò hæc ſtulta lætitia, & ſuperba gloria non tantùm inuenitur in affectatione honorum diuinorum, *qui ſunt altioris ordinis*, quàm vt debeantur hominibus, ſed etiam in immoderato appetitu & ſtudio humanorum. Talis erat lætitia triumphantium Romanorum, quæ ingreſſu in ciuitatem, & duratione aliquot horarum continebatur: nec alium habebat ſcopum & finem, quàm vanam oſtentationem captiuorum, & iactantiam ſpoliorum; (quæ aliud non erant quàm vel latrocinia vel expilationes triumphantium) ac vehementem imaginationem: quâ apprehendebant ſe reſpici, æſtimari & ſuſpici; nec non, quòd venturis ſæculis homines de eorum geſtis eſſent locuturi, eademq; admiraturi. Lætitia, hæc tam erat potens, vt omnium præteritorum laborum ac malorum eos obliuiſci faceret; tam efficax, ac adeo penetrans animos, vt nonnunquam afflatu ſpiritûs ſuperbiæ, & ſimul amentiæ animam pelleret è corpore. Nec id ſolùm in ſplendoribus triumphorum, qui ſpiſſiore vanitatis fumo aliquantulùm videri poterant illuſtrari, ſed etiam

in

in rebus longè inferioris momenti. Huius rei testis esse poterit Marcus Iuuentius Talua, collega in consulatu Tyberij Gracchi, qui, cùm existenti in Corsica insula innotuisset, senatũ eius nomine decreuisse fieri Romæ publicas preces, tanto exsilijt gaudio, vt legens litteras, quæ id continebant, expirârit. Valer. Max. lib. 9. c. 12.

Dionysius Tyrannus Syracusis pulsus, ac deinde Corinthi factus Ludimoderator, cùm intellexisset Tragœdiam à se compositam cæteris prælatam esse, lætitiâ mortuus est. Idem euênit Philipidi Atheniensi: postquam enim in concertatione Comicorum Poëtarum præmium retulisset, oppressus nimio gaudio, animam efflauit. Diagoras autem Rhodius, cùm tres eius filij in ludis Olympiacis victores eius capiti suas coronas & laurum imponerent, non sustinens abundantiam gaudij, viuere desijt. Verumenimuero lætitia ista non procedebat ex rei natura, neq; ex præmij magnitudine, quod aliud non erat, quàm fœnum, & vana quædam aura, sed ex falsa opinione, quam de illa habebant, & ex inordinato affectu, qui est proles superbiæ. Quæ falsa opinio post-

quam ijs iudicium corrupit (obicem ijs opponens, quo minus de veritate sincerè iudicent) & voluntatem infecit, ijs falsæ pulchritudinis imprimens amorem: de qua gaudentes tanquam de re valde laudatâ & amatâ, replebantur vanâ lætitiâ, apprehensâ veluti veritate rei. Vnde in rebus friuolis & insipidis saporis suauitatem percipiebant: similes in hoc genere fœminis prægnantibus, quæ cùm sensus habeant destructos, ob fœtum quem vtero gerunt, appetunt & sumunt res sensibus contrarias summa cum delectatione. Quo fit vt subinde comedant cineres, carbones, & res alias, quæ nauseam mouent sanis: similes etiam ijs, qui frictione, imò & virgarum vsque ad sanguinem cæsione recreantur, eò quòd sint scabiosi, ex quo aliàs nihil voluptatis, sed multùm doloris, si bonâ corporis valetudine vterentur, caperent. In horum numerum veniunt ij, qui sibi vanè complacent in publicis officijs, Magistratibus, Prælaturis, dignitatibus, & subinde ita vehementer, vt primo de ijs obtentis accepto nuncio, ita defectu halitûs laborare

incipiant,

incipiant, vt nequeant respirare, & deinceps in ijs constituti stultè vanâ istâ lætitiâ se pascunt, non consideratâ difficultate prouinciæ sibi impositæ, multò minus fine, ob quem alijs prælati sunt: qui non est, vt honorentur solùm ab ijs, quibus prælati sunt, sed vt ijs seruiant, & in eos influant bonis industriæ & auctoritatis suæ, veluti sidera quædam terrestria. Et quemadmodum js, qui comedit, non debet quærere voluptatem ciborum, sed nutritionem, quâ roboretur, & roboratus laboret; eodem modo js, qui magistratu fungitur in republica, aut in Ecclesia, non debet immorari delato sibi honori, sed eo vti ad emolumentum eorum, quorum causâ eo condecoratus est.

De lætitia superborum famâ celebrium.

SECTIO XXXI.

MIrum dictu est, quàm superbi sint studiosi ac cupidi famæ, quippe quæ est imago repræsen-

tans & manifeſtans eorum nomina & gloriam inter mortales, ad eam acquirendam conſeruandamque quicquid pecuniæ, quicquid poſſeſſionis in ſua eſt poteſtate, quin & ipſam fidem, parati ſunt oppignerare. Eam ſi adipiſcantur, dici non poteſt quantis incedant lætitijs. Cain, primus ſuperborum, ciuitatem ædificauit, quam nomine filij ſui Enoch nuncupauit: & id ideo vt celebris & clarus maneret in ſua poſteritate. Vnde exultans ſpe nominis ſui propagandi, & ſe apud ſeipſum, & apud alios iactabat non aliter, atque rex ille, qui in ſua vanitate dicebat: *nonnè hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore meæ fortitudinis & in gloria decoris mei?* Primi poſt diluuium ſuperbi eundem finem intendentes quem Cain, & rex Nabuchodonoſor inter ſe conſultarunt, & conſultatione habitâ adinuicem dixerunt: *Venite, faciamus nobis ciuitatem, & turrim, cuius culmen pertingat ad cælum: & celebremus nomen noſtrum, antequam diuidamur in vniuerſas terras.* Ciuitas iſta fuit turris BABEL ſeu confuſionis, quæ infamem reddidit memoriam iſtorum demen-

Gen. 4. 12.

Daniel. 4. 27.

Gen. 11. 4.

Grad. 2. ſect. 7.

dementium, vani nominis famam discupientium. Ad imitationem horum, reges Babylonij, eorum successores, magnificas ciuitates exædificarunt. Nec minus vani reges Ægypti excelsissimas pyramides, & admirando opere turres erexerunt. Eâdem vanitate nominis apud posteros continuandi, aliarum nationum populi in suis rebuspublicis & ditionibus ferebant leges, gerebant bella, publicè perorabant, libros conscribebant, & complura alia ex se, & materialiter loquendo, faciebant bona opera, sed vanâ eorum intentione (quæ erat consequi celebritatem & nominis immortalitatem inter homines) infecta ijs oberant, non proderant.

Qui inter Iudæos, audientes præclara Machabæorum gesta, dicebant: *faciamus & ipsi nobis nomen, & eamus pugnare aduersus gentes.* opus bonum vano fine susceperunt. Vnde neque gloriam, neque lætitiam, quam prætendebant, ijs Deus concessit. Bella, & heroica Romanorum gesta, sicut & Græcorum, ad alium scopum non collimabant; neque eorum victoriæ ad vlteriorem se

tans & manifestans eorum nomina & gloriam inter mortales, ad eam acquirendam conseruandamque quicquid pecuniæ, quicquid possessionis in sua est potestate, quin & ipsam fidem, parati sunt oppignerare. Eam si adipiscantur, dici non potest quantis incedant lætitijs. Cain, primus superborum, ciuitatem ædificauit, quam nomine filij sui Enoch nuncupauit: & id ideo vt celebris & clarus maneret in sua posteritate. Vnde exultans spe nominis sui propagandi, & se apud seipsum, & apud alios iactabat non aliter, atque rex ille, qui in sua vanitate dicebat: *nonnè hac est Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore mea fortitudinis & in gloria decoris mei?* Primi post diluuium superbi eundem finem intendentes quem Cain, & rex Nabuchodonosor inter se consultarunt, & consultatione habitâ adinuicem dixerunt: *Venite, faciamus nobis ciuitatem, & turrim, cuius culmen pertingat ad cælum: & celebremus nomen nostrum, antequam diuidamur in vniuersas terras.* Ciuitas ista fuit turris BABEL seu confusionis, quæ infamem reddidit memoriam istorum demen-

Gen. 4. 12.

Daniel. 4. 27.

Gen. 11. 4.

Grad. 2. sect. 7.

dementium, vani nominis famam discupientium. Ad imitationem horum, reges Babylonij, eorum successores, magnificas ciuitates exædificarunt. Nec minus vani reges Ægypti excelsissimas pyramides, & admirando opere turres erexerunt. Eâdem vanitate nominis apud posteros continuandi, aliarum nationum populi in suis rebuspublicis & ditionibus ferebant leges, gerebant bella, publicè perorabant, libros conscribebant, & complura alia ex se, & materialiter loquendo, faciebant bona opera, sed vanâ eorum intentione (quæ erat consequi celebritatem & nominis immortalitatem inter homines) infecta ijs oberant, non proderant.

Qui inter Iudæos, audientes præclara Machabæorum gesta, dicebant: *faciamus & ipsi nobis nomen, & eamus pugnare aduersus gentes.* opus bonum vano fine susceperunt. Vnde neque gloriam, neque lætitiam, quam prætendebant, ijs Deus concessit. Bella, & heroica Romanorum gesta, sicut & Græcorum, ad alium scopum non collimabant; neque eorum victoriæ ad vlteriorem se

extendebant lætitiam, quàm ad triumphos, quàm ad oculos communis populi, & seipsos vano aspectu pascendos, incredibilem capientes voluptatem ex vili isto fumo, & transitoria vanitate. Ita vehementer superbia vexat & excruciat animam! Quis non commiseratione moueatur aduersus vilem & abiectum summi alioquin Ducis Themistoclis animum, qui die quodam audiens in foro sonum susurrantis populi, qui de eo loquebatur, & cum admiratione dicebat: *Estné iste magnus ille dux Græcorum?* ita vehementi lætitiâ exultauit, vt diceret dominis sibi astantibus, se hoc die maiorem compensationem rerum à se in bello gestarum accepisse, quàm potuisset, aut sciuisset exoptare. Nonné ista est esca digna, non Aquila auium Rege, sed vili hirundine? Digna aliquo Thersite, & non supremo exercituum ductore? nonné lætitia non minus friuola, quàm compensatio ne flocci quidem pendenda? vtraque verò simul iuncta dignissima superbiæ & humanæ delirationis merces?

Plut. in eius vita.

Non minore commiseratione dignus

Demosthenes V.

gnus fuit magnus ille Græciæ Orator, qui simili lætitiâ præoccupatus, dum forte fortunâ ancillæ vasculum aquæ gestanti obuius esset factus, aduerteretque eam ad sociam dicere: ILLE EST, coniecturam inde fecit, quòd de se loquerentur cum admiratione suæ eloquentiæ. Talis fuit lætitia & vanitas plurium Poëtarum: qui ob sua opera credebant se apud posteros celebres futuros. Ipse Horatius de se dat testimonium, glorians & gaudens quasi feriret astra sublimi vertice, quòd à prætereuntibus digito demonstraretur. Alius etiam se consolatur, quòd sua scripta toti mundo sint grata, & quòd quilibet dicat de se: EN ILLE EST. sed ô! ad quantam humilitatem reducta est paupercula creatura rationalis per superbiam? quæ alioquin vitium est, quod, contemptis vilibus excelsa, solum videtur spectare. Interim tamen suos asseclas reptare facit post res viles & abiectas, impellens eos, relicto corpore, ad vmbram sectandam, ad fumum, omisso lumine, sequendum, ad inhærendum mendacio, veritatis loco, ad accipiendam apparentiam pro so-

Laert. lib. 6. in vita Diogenis ante medium.

Quod monstrari digito prætereuntium. Horat. lib. 4. oda 3.

At pulchrum est digito monstrari & dicier hic est. V. prouerb. 43. Chil. prima cen. 10. monstrari digito.

 liditate;

liditate; vanam alacritatem & voluptatem pro vera lætitia, & felicitate in perpetuas æternitates duratura. Et quis erit, qui hoc monstrum omnium horum, & aliorum malorum causam, & originem non detestetur? partes autem humilitatis, omnium bonorum matris, non sequatur, vt pacificè viuat in terra, & aliquando feliciter regnet in beatorum patria?

Sed hic requiescamus; attigimus siquidem vltimum humilitatis gradum: qui est gradus quietis, nec non prostratâ superbiâ, vltimum humilitati oppositum. Concludamus ergo Academiam honoris, & coronidem supremam operi imponamus.

CONCLVSIO
TOTIVS OPERIS.

ET ita per gratiam illius, qui suo diuino exemplo & verbo humilitatem mortales edocuit, ad gradum vicinum regio throno Salomonis, qui est figura throni gloriæ, throni honoris & felicitatis; (ad quam felicitatem pertingitur solùm per gradus humili-

Digitized by Google

humilitatis) peruenimus; &, iuxta exiguas nostras vires, expositionem Academiæ honoris & structuram spiritualem scalarum, per quas ad nos descendimus, & ad Deum ascendimus, nos humiliando in nostro NIHIL, vt in illo, in quo sunt omnia, exaltemur, exposuimus. Si quid boni de virtute humilitatis, quæ omnem superat eloquentiam, dixi, & aliquos discursus laude dignos in ADIVTORIO huius honorabilis ACADEMIÆ feci, tota laus cedat ei, qui mihi lumen, voluntatem & vires dedit eos faciendi; fructus autem ijs cedant, qui & hoc opus perlegendi laborem assument, & orabunt Deum pro auctore. qui aliud in toto hoc opere non intendit, quàm eorum salutem procurare. Fateor ingenuè me de humilitate ne centesimam quidem partem scripsisse, nec illam quidem eâ efficaciâ, quâ complures viri pij, & longè me meliores scribere possent.

Vellem

Voluissem equidem fusius & dignius de ea loqui, & multum mihi dolet quòd id præstare non potuerim; magis autem quòd eâ virtute caream, quam alios docere conatus sum: dedit tamen mihi Deus desiderium eam inuestigandi. Vnde eum per humilitatem vnigeniti Filij sui rogo, vt mihi, & omnibus qui eam inquirunt, gratiam etiam elargiatur eandem inueniēdi. Certus autem sum, quòd si eam vnà cum ijs, qui mecum inquirunt, inuenero, me in illâ vnicâ cum ijsdem inuenturum vniuersas virtutes Christianas; quia & origo est

go est omnium bonorum spiritualium, & fert in sinu suo patentes codicillos ad beatorum domicilium, sicut & diuinum thesaurum, in quo omnes pretiosi lapides, immortalis pulchritudo, ac omne decus, atq; ornamenta continentur: quæ ANIMAM CHRISTIANAM ditare, nobilitare, & exornare possunt, & eximio cum apparatu TOTAM PULCHRAM deducere ad societatem, & gloriam Angelorum, hominumque in cœlo triumphantium.

LAUS DEO
VIRGINIQUE
MARIÆ.

Patientia

sordidè

domari

C.

Cesarëa

 custos

 debent

paruitas

Dauid,

D.

D.

F.

F.

Guisius

I.

S. Ioannis

L.

Magi-

M.

ei

Moyses

M.

N.

Nihil,

N.

 relucet

O.

P. Pæda-

P.

P.

Principa,

Q.

R.

S.

Saluator.

Satu-

S.

S.

Satr

S.

S.

dicit

Reges

 Repre-

S.

Saluator.

Satu-

S.

Sera-

S.

dicit

1072. *vana eius lætitia est in bonis animæ.* 1043. *in corporis.* 1047. *in conuiuijs.* 1050. *in vestibus.* 1054. *in diuitijs.* 1058. 1061. *in dignitatibus.* 1065. *in fama.* 1071. *in fine deploranda.* 47. 48. *quàm Christus oderit.* 308. 309. *sinit Deus eos cadere vt humilientur.* 307. 308. *punitio primi superbi.* 508. *exempla hominum superborum, qui nulli volunt subesse.* 278. 279. 280. 282. *punitio superborum terrifica.* 283. 284. 285. *superborum & stultorum symbolizatio.* 61. 64. 481. *eorum stoliditas dum quærunt gloriam, vbi non inuenitur, ex quatuor causis.* 942. *insignis eorum stoliditas, qui voluerunt imperare dijs, & ipsi esse dij,* 944. *quicquid dicitur de superbo, credit, esto falsum sit.* 940. 941. 642. *non fert de suis actionibus rectum iudicium. ibidem. nemo superbus nisi etiam stolidus.* 65. *est velut animal irrationale actum à diabolo.* 483. *suæ vt satisfaciat vanitati, paratus omnes turbare virtutes, & earum loco substituere vitia.* 506. *diabolus superborum rex. superbus celebris omnem vanitatis colligit anram.* 940. 941. 942. *semper se minoribus comparat.* 319. *vide humilis & stultus.*

Superior, *qui, superbus, contemptibilis.* 678. *omnes debet credere sibi superiores.* 267. *qui non tolerat suorum subditorum defectûs, superbus est & noxius.* 678. *minoris omnibus se debet æstimare.* 268. 269. 270. *Alexander, Cæsar, Pompeius non ferebant*

V.

FINIS INDICIS.

Corrigenda

CORRIGENDA

Errata,	Correcta,	Pag.	Lin.
	A		
aliâ	alâ	983.	17.
accommodo.	ac commodo.	553.	6.
ænæam	æneam	203.	1.
Achylla	Achylle	284.	14.
arard	arare	327.	in marg.
anitas	vanitas	496.	1.
amate	amare	521.	10.
affigebatur	affligebatur	759.	4.
	B		
Bizentini	Bizantini	200.	20.
buffones	bufones	492.	21.
	C		
comprebendatis	comprehendatis	686.	7.
cutiosæ	curiosæ	804.	3.
cannæ	canna	182.	9.
Cameleontis	Chamæleontis	182.	13.
centurionibus	centurijs	211.	4.
catichizare	cathechizare	267.	7.
comparo	comparare	327.	12.
cum	eum	582.	2.
cum	eum	640.	16.
	D		
dignitat	dignitate	384.	22.
dij	Dei	982.	26.
dicent	dicent	802.	6.
	E		
exhorrescere	exhorresce	512.	15.

co

Erratum,	*Correctio,*	*Pag.*	*Lin.*
eo	Deo	827.	3.
&	vt	849.	10.
ecompellari	compellari	64.	10.
Empodocles	Empedocles	104.	9.
eorum	earum	455.	26.
cum	eum	574.	4.
	F		
feu	ſeu	397.	5.
frænetici	phrenetici.	170.	5.
fructum	fructuum	1046.	17.
	H		
Hedum	hœdum	193.	22.
humiliationa	humiliationis	22.	27.
homilia	Hom: Ilia:	205.	in marg.
	I		
Iuſtam	Iuſtitiam	477.	10.
indiuidu	indiuiduæ.	481.	20.
in aquoſo	in inaquoſo	503.	16.
immineunt	imminuunt	549.	in margine
	M		
maſculus	maſculum	421.	11.
modeſtâ	modeſtiâ	460.	7.
mellîtâ	Melita	316.	vlt.
monſtruoſa	monſtroſa	477.	27.
monſtruoſior	monſtroſior	477.	28.
	N		
noſtra	noſtræ	830.	26.
	P.		
peccati	peccatis	695.	22.
parentes	parentis	280.	vltim.
progenetriee	progenitrice	474.	24.
	Q		
qui	quæ	692.	9.
quod	quæ	870.	10.

R

Erratum,	Correctu,	Pag.	Lin.
	R		
repererit	repererit	124.	10.
	S		
ſculpſit	ſculpit	410.	2.
ſolidata	ſolidatæ	417.	19.
ſuperbiæ	ſuperbia	62.	9.
	T		
talo	tale	878	17.
	V		
vaticano	vatiniano	570.	5.
veneni ſui	veneno ſuo	1034.	26.

8–1

Digitized by Google